Digitized by Google



Si pietas, candor, vani et contemptus honoris
Dudum Sublimem provexit ad aſtra Marinum,
ArduaChaldęę, Hebręęque peritia linguę
Illius æternum facit, et venerabile nomen.

I. Ch. Trombelli

Benedetti fece.

MARCI MARINI
BRIXIANI

Canonici Regularis Sanctiſſimi Salvatoris

ANNOTATIONUM LITERALIUM
IN PSALMOS

PARS PRIMA.

Digitized by Google

MARCI MARINI BRIXIANI

Canonici Regularis Congregationis Rhenanæ Sanctiſſimi Salvatoris

ANNOTATIONES LITERALES IN PSALMOS

NOVA VERSIONE AB IPSOMET ILLUSTRATOS

NUNC PRIMUM EDITÆ OPERA, ET STUDIO

D. JOANNIS ALOYSII MINGARELLI

Ejuſdem Congregationis Canonici,

QUI ETIAM

Auctoris vitam, Scriptorumque de ipſo teſtimonia, & Hebræorum Canticorum explicationem

ADDIDIT.

Anecdotorum a Canonicis Regularibus SS. Salvatoris evulgatorum

Tomus Primus.



BONONIÆ, MDCCXLVIII.

Apud Thomam Colli ex Typographia Sancti Thomæ Aquinatis.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

BEATISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV.

P. O. M.

ABBAS, ET CANONICI REGULARES SS. SALVATORIS BONONIÆ

Sanctiſſimis pedibus obvoluti felicitatem precantur.

ID *quod vehementer Te cupere dixiſti*, BEATISSIME PATER, *dum familiariter atque amice* (*quæ tua humanitas eſt*) *apud nos degebas*, *ut ſcilicet in lucem* *emit-*

emitteremus, ſi quos habebamus nondum evulgatos codices, aliis curis hactenus impediti nunc tandem exſequimur, & quotquot apud nos invenimus nondum editos probabiles libros, eos typis committimus: neque eos tantum, ſed & alios etiam, ſane non paucos, quos in vetuſtis bibliothecis perquiſivimus, & comparavimus. Tibi vero B. P. laborum noſtrorum primitias ſacratas volumus, Marci Marini commentarios, quos autographos habemus, Tuo ſanctiſſimo Nomini devoventes: Eccleſiæ ſcilicet ſupremæ Præſidi, Bononiæ Principi atque Antiſtiti, familiæ vero noſtræ vindici præſtantiſſimo, atque ad hæc ſtudia hortatori. Neque vero aut in Marci Marini, aut in horum commentariorum laudes effundemur. Nimirum Tu, qui non minus dignitate, qua reliquos homines longe antecellis, quàm ſapientia plurimum præſtas, pulcre noſcis, ſummo in honore habendos eſſe commentarios hos, expeditiſſimos quippe, perſpicuos, & ipſum Pſalmorum ſenſum exhibentes: Marcum vero Marinum & Gregorii XIII. Pontificis utique doctiſſimi, & præſtantium aliorum virorum judicio in hebrææ linguæ peritia primas obtinuiſſe. Deus O. M. Te, BEATISSIME PATER, publico commodo natum diutiſſime incolumem, ac fortunatiſſimum, nobiſque beneficentiſſimum ſervet.

LE-

LECTORI BENEVOLO

CANONICI REGULARES SS. SALVATORIS BONONIÆ.

AUdivimus ſæpe exteros de Italis conquerentes, quod Codices ſuos hi adeo ament, ut nec evulgent ipſi, nec conſuli ab aliis ſinant. Falſo id dici, facile aſſequimur ex præclaris Venerabilis Monetæ libris, quos Vir egregius Thomas Ricchinius Anno 1743. e Bibliothecarum tenebris eruit, Romæque in lucem emiſit: aſſequimur quoque ex quinque Anecdotorum libris, qui a Clariſſimo Muratorio prodierunt: aſſequimur denique ex plurimis, iiſque ingentibus voluminibus, quæ a Muratorio pariter, & ſociis Palatinis, ſuperioribus annis edita novimus. Multa quoque ex veteribus Italiæ Bibliothecis eruta ſunt, quibus plurimum aucta eſt ea Conciliorum collectio, quæ Venetiis elaborata eſt. Multa itidem eruuntur etiam num vel ex Ambroſiana, vel ex aliis minus celebribus Bibliothecis, quibus Italorum nomen celebrius in dies fit. Laudabilia horum ſtudia nos imitantes, ea omnia evulgare ſtudebimus, quæ apud nos ſervantur, ab eo exorſi volumine, quod ut in publicum prodeat, plurimum noſtra intereſt: quippe eſt a viro egregio e noſtra familia elucubratum: ob dignitatem quoque ſuam, ac præſtantiam jam pridem a bonis omnibus expetebatur. Volumen alterum latinorum Patrum, atque Eccleſiaſti-

corum

Digitized by Google

corum Scriptorum Opuſcula ſane non contemnenda, quæ ſummo labore perquiſivimus, continebit. Græca proferet tertium. Eccleſiæ Canones, & veteres editiones quartum. Quod ſi Divinus SERVATOR, cui noſtra ſtudia ſacravimus, noſtris auſibus adhuc faverit, liturgica, catechiſtica, monaſtica, & hiſtorica deinceps addemus. Ad ultimum philoſophica, mathematica, epiſtolas, orationes, & carmina. Hæc ſciri a te volebamus. Vale.



Salvator Mundi, salva nos

MAR-

MARCI MARINI VITA

A JO. ALOYSIO MINGARELLIO,

S. Salvatoris Bononiæ Canonico,

SCRIPTA.

I. MArcus Marinus magis hebræarum literarum peritis, quam vulgo cognitus, eximium fuit ſeculo ſexto & decimo noſtri ordinis ornamentum & decus. Hujus viri memoriæ pro viribus conſulere certum eſt. Quod dum ingredior facere, non vereor, ut quiſquam me aut rerum noſtrarum, aut Marini ipſius paullo ſtudioſiorem ſuſpicatus, fidem his, quæ ſcripturus ſum, ne adjungat. Namque ea pauca duntaxat proferam, quæ partim e Scriptoribus Marini æqualibus, aut ex libris, quos confecit ipſemet, partim ex incorruptis, quæ apud nos Bononiæ aſſervantur, monumentis, quam potui diligentiſſime deprompſi.

II. Natus eſt Brixiæ in Italiæ urbe præclara, antiquo, & nobili genere. In Brixianis enim familiis illuſtrioribus Marina numeratur; nec deſunt (1), qui Marinos a Macrinis illis, quorum nobilitatis vetuſtatiſque plurima exſtant lapidibus inciſa monumenta, oriundos putent: vere ne, an ſecus, nihil ad rem; quum de eo viro ſcribam, quem animi magis, quam generis nobilitas illuſtravit.

III. Avus ipſi fuit (2) Petrus Jacobus, homo generoſus in primis, ac dives; magnus vero patruus Baptiſta Eques Auratus. Is, quum germanus frater Petrus Jacobus a Senatu Veneto bonis omnibus privatus foret, ea continuo recuperavit, ac mo-

 riens

(1) Teſtis ejus rei eſt Octavius Roſſius in *Elogiis hiſtoricis Brixianorum illuſtrium*, pag. 348.
(2) Vide Marini ipſius latinam præfationem, in *Theſauro linguæ ſanctæ* Venetiis edito a Joanne Degara anno 1593.

riens teſtamento reliquit fratri. At paullo poſt quum ſupremum diem Petrus etiam Jacobus obiiſſet, Joannes Franciſcus maximo natu filius rem familiarem juveniliter prodigeque adminiſtrans, familiæ bona magnam partem profudit.

IV. De Marini noſtri pueritia nihil habeo certi, quod dicam. Veri tamen ſimillimum eſt, ipſum ea ætate & optimis moribus fuiſſe imbutum, & iis præterea diſciplinis inſtructum, quibus puerum, maxime nobilem, erudiri dignum eſt. Idque ita eſſe, uti ipſe conjicio, facile quiſque judicabit, qui paullum modo ad vitæ progreſſum animum adverterit.

V. Ipſo adhuc adoleſcentulo Marcus pater, qui eum extrema fere ſenectute procreaverat, e vita exceſſit, morienſque teſtamenti tabulis heredem fecit ex ſemiſſe. Ex omnibus enim, quos admodum multos ex Antonina uxore ſuſceperat, liberis, vix duos ſibi habuit ſuperſtites, Marcum Antonium, cui dimidia pars altera obtigit patrimonii, & Marcum hunc noſtrum, qui tum ex avi nomine Petrus Jacobus vocabatur.

VI. Hic, ubi primo adolevit ætas, quo facilius reliquis ſolutus curis omnibus, iis tantum ſtudere poſſet, quæ hominem chriſtianum decent, ſeveriorem cælibemque vitam agere divino afflatu conſtituit. Itaque avitæ, paternæque hereditatis jus in Marcum Antonium fratrem tranſtulit, atque anno a V. P. CIↃIↃLIIX, quem ſeptimum ac decimum circiter fuiſſe opinor ab illius natali die (1), in cœtum noſtrum adſcitus eſt Brixiæ. Ex quo tempore patris nomine Marcus appellari cœpit.

VII. Inſequenti anno (ut aſſolet) ſolemnia vota ſuſcepit, quæ Servatori Deo ad extremum uſque ſpiritum ſanctiſſime ſolveret. Biennium vero moratus Brixiæ Venetias demigravit, ubi quum ſexennium ipſum manſiſſet, Tauriſium miſſus, tum Candianam, qui vicus Patavio abeſt millia paſſuum prope duodeviginti, utrobique annum fuit.

VIII. Per hoc tempus iis doctrinæ ſtudiis operam navavit, quibus adoleſcens ætas apud nos erudiri conſuevit, philoſophicis pri-

(1) Quo anno natus ſit Marinus, mihi certo non conſtat. Veri ſimile tamen eſt, natum eſſe anno circiter 1542, aut 1543. Unde id conjectem, apparebit infra ad numerum XXXIV.

primum, deinde theologicis. Atque ut erat ingenio eximio, ita mirabili flagrabat diſcendi cupiditate, quod unum illi ſuaviſſimum animi quaſi pabulum videbatur: ut proinde jam non ſolum de eo bene ſperare, ſed etiam confidere collegæ poſſent ſui, talem futurum, qualem reapſe poſtmodum ſe præbuit.

IX. Florebant ea tempeſtate, ex familia noſtra, doctrina & literis præſtantes viri, Leonardus Malaſpina in primis (1), Jacobus Lebetius Lavezolius (2), ac Joſephus Bergomius (3), & ſecundum hos Leonardus Cernotus (4), Onuphrius Zarrabinius (5), Pius Mirandulanus (6), aliique etiam complures, quorum vetuſtate memoria pene abiit. Sed præ cæteris maxime congregationem noſtram ſcriptis ſuis illuſtrabat Auguſtinus Steuchus Iguvinus (7), qui non unus e multis, ſed inter multos ſingularis fuerat.

X. Horum ſtudia æmulabatur per ea tempora Marinus, ac præſertim Steuchi, quem & plurimi faciebat, & magnis etiam laudibus poſtea extulit in ea præfatione, quæ hebræo ſermone confecta exſtat in fronte enarrationum Steuchi ipſius in librum Jo-

(1) D. Leonardus Malaſpina, Florentinus, Steuchi diſcipulus, ſcripſit *Emendationes, ac ſuſpiciones in epiſtolas Ciceronis ad Atticum, Brutum, et Q. Fratrem*. Editæ ſunt primum Venetiis a Jo. Baptiſta Somaſco. anno 1563, deinde ab aliis ſæpius. Fecit præterea orationem latinam, quam habuit in funere Franciſci Gonzagæ Cardinalis. Edita eſt Mantuæ eodem anno 1563. apud Philoterpſem, & Clidanum Philoponos fratres, una cum aliquot ejuſdem Malaſpinæ latinis epiſtolis eleganter ſcriptis. Quamplures denique *orationes coram Pontificibus* a ſe *habitas* edidit Romæ, ubi obiit anno 1571.

(2) D. Jacobus Lebetius Lavezolius, Ferrarienſis, ſcripſit carminum latinorum ſatis elegantium libros quatuor Ferrarię editos a Victorio Baldino, anno 1583. Fecit inſuper *de Habitu Canonico* libros duos ibidem prælo typographico mandatos anno 1585.

(3) D. Joſephus Bergomius, Mirandulanus, præclarus orator, multa quidem diſerte, ac polite ſcripſit: at ex ejus opuſculis nulla alia in manus meas venerunt, quam hęc duo; nimirum *Oratio* latina, *in qua Reip. Chriſtianæ gerendę ratio demonſtratur*: Itemque longa *epiſtola*, ſeu libellus potius *ad Ludovicum Mirandulę Principem* miſſus, edituſque Venetiis a Gabriele Jolito de Ferrariis anno 1553.

(4) D. Leonardus Cernotus, Venetus, edidit Coſmographiam Ptolemęi latine redditam: ac pręterea libellum *de reſidentia Epiſcoporum*, qui Venetiis in lucem exiit anno 1562. inter alia opuſcula a Fratre Remigio Florentino, ordinis Prędicatorum, collecta.

(5) D. Onuphrius Zarrabinius, ortus in agri Ravennatenſis oppido Cotignola, multa fecit ſermone italico, quę in vulgus prodierunt. Ejus vitam ſcripſit Carolus Sigonius.

(6) D. Pius Mirandulanus ſcripſit vitam Chriſti Domini carminibus latinis. Id opus manu exaratum exſtat in hac noſtra bibliotheca S. Salvatoris Bononię.

(7) D. Auguſtinus Steuchus Iguvinus, e Canonico noſtro Epiſcopus Kiſami factus eſt, tum Sanctę Sedis Apoſtolicę Bibliothecarius. Plurima edidit opera, quæ eruditis viris ſunt notiſſima. Obierat anno 1550. Scriptores eum per *ἀντονομασίαν Eugubinum* appellare ſolent.

Jobi (1). Summam illius viri eruditionem maxime admodum ſuſpiciebat, ejuſque laudum æmulus eſſe cœpit. Ut ergo pulcre noverat, quantum præſidii Steucho ad tantam eruditionem comparandam græcæ potiſſimum, atque hebrææ linguæ ſcientia attuliſſet, animum ad utriuſque ſtudium appulit.

XI. Hebræarum literarum doctore uſus eſt Paullo Veneto (2), homine docto, qui ex hebræo chriſtianus factus, anno CIƆIƆLXI. cœtui noſtro adjunctus eſt. Hic Venetiis hebræam linguam adoleſcentes noſtros docuit, in quorum numero Marinus quum eſſet, tantum in eo ſtudio progreſſum fecit, ut præceptorem ipſum brevi tempore æquiparare putaretur.

XII. Hujuſmodi ſtudio jam tum mirifice delectabatur, eique totum ſe dedere conſtituit; quod intelligeret, eum, qui Judaicarum literarum rudis ſit, germanam ſacrorum librorum intelligentiam, cujus ipſe acerrimus ſemper ac diligentiſſimus inveſtigator fuit, vix ac ne vix quidem poſſe aſſequi.

XIII. Itaque hebraicum veteris teſtamenti exemplar noctu diuque verſabat; quod ut penitius poſſet intelligere, chaldaicæ etiam linguæ ſtudium ſibi ſenſit neceſſarium: eamque ob rem ad iſtud quoque animum adjunxit. Nec eo adhuc contentus, græcam inſuper, tum arabicam, & illyricam linguam didicit (3). Quo præceptore, latet: eum vero ſuopte labore, nullo doctore, didiciſſe, dictu proclive eſt; quum nec ingenio ipſe umquam defuerit, nec ipſi ingenium.

XIV. Steuchum Marinus tamquam exemplar ſibi imitandum propoſuerat. Itaque ut earum, de quibus ante memini, linguarum ſermones ſtudioſe perdiſceret, Steuchi exemplum fecit, quem illas omnes, extra unam illyricam, apprime calluiſſe, memoriæ prodidit Zupponius noſter (4). Attamen ut Steuchus græcam, ita Marinus hebræam egregie præter ceteras coluit, quoad vixit.

XV.

(1) Editæ ſunt *Enarrationes* Steuchi *in Jobum* anno 1567. Venetiis apud Cominum de Tridino Montisferrati.

(2) Id teſtatur Joſephus Mozzagrugnus, Canonicus noſter, & Abbas, in *Narratione rerum geſtarum Canonicorum Regularium*, libro VII, pag. 14. Prodiit id opus Venetiis anno 1622. e typographia Alexandri Poli.

(3) Teſtes hujus rei ſunt Octavius Roſſius, Jo. Petrus Creſcentius, Leonardus Cozzandus, & Joſephus Mozzagrugnus, quorum verba infra videre licet.

(4) In epiſtola ad Pium V. Pontificem, quæ edita eſt initio *Enarrationum* Steuchi *in Jobum* anno 1567.

XV. Quo anno in Candianæ vico verſabatur, Tranquillus Zupponius, is de quo modo commemoravi, vir ſatis doctus, ac longe prudentisſimus (1), *Enarrationes in Jobum*, Steuchi doctoris ſui opus poſthumum, in vulgus edebat Venetiis. Zupponium Marinus non ſecus obſervabat ac patrem. Illius itaque rogatu, aut potius juſſu, procœmium ejus libri ſcripſit hebraice, in quo purum illum caſtumque ſermonem hebræum continuo agnoſcas, qui ſacris ſcriptoribus, ac nominatim prophetis iis, quos אחרונים, ideſt poſteriores, vocant, peculiaris eſt. Horum enim ſtylum imitatus crebris metaphoris orationem perſpergebat: nec æquo animo ferre poterat, a recentioribus Rabbinis hebræam linguam peregrinis, atque ab exteris linguis adſcitis vocibus fœdari.

XVI. Id procœmium edidit annum haud amplius poſt quintum, quam hebræas literas diſcere cœperat. Ex quo facile cognoſci poteſt, quanto ingenio fuerit, quamque ad diſcendum ſtudio incitato. Quo enim tempore hebrææ linguæ, eodem & theologiæ operam dedit.

XVII. Anno ſexti decimi ſeculi octavo & ſexageſimo e Candiana Venetias habitatum revocatus eſt, ubi decennium perpetuum manſit. Tunc eum ſibi Venetorum Reſpublica ab epiſtolis illis adſcivit, quas a rege thracio (2), ab ægyptiis, atque a perſis acciperet. Per id temporis etiam juvenes noſtros docuit. Ac prout ipſe unice amabat ſacras atque hebræas literas, auditores quoque ſuos earum diligentes facere ſtudebat: nec umquam deſtitit, illos, quibuſcumque rebus poſſet, adjuvare.

XVIII. Hanc ob rem librum confecit, in quo grammaticam hebræorum artem preſſe atque enucleate expoſuit, nihil tamen eorum prætermittens, quæ ad illam facultatem pertinere poſſent. Quam vere id dicam, cuivis facile ſcitu eſt, modo eum libellum habeat præ manibus. Illum anno CIƆIƆLXXX. Baſileæ a Frobenio, quinque autem poſt annis auctum, magiſque expo-

(1) D. Tranquillus Zupponius, Venetus, hebraicæ linguæ peritus fuit. Plurimas præfecturas apud nos prudenter geſſit, & anno 1570. totius congregationis pater renuntiatus eſt. Is Marinum ad ſtudia & adjuvit, & incitavit.

(2) Turcarum regem ita appellavi cum Petro Bembo.

expolitum, ac ſtudioſis noſtri ordinis adoleſcentibus commendatum, Venetiis a Joanne Degara edendum curavit. Inſcripſit autem גן עדן (1), ideſt, *Hortum Eden*, ſive *deliciarum:* ut lectorem eo titulo in hebrææ linguæ ſtudium illiceret.

XIX. Curavit etiam, ut tres librorum Moyſi chaldaicæ explicationes, quas תרגומים appellant, conjunctim ederentur, una Jonathani, quam Judæi putabant intercidiſſe, Marinus vero reperit Venetiis (2); altera Onchelofi; tertia, quam dicunt Hieroſolymitanam. At quum pluribus diſtentus curis in earum editionem incumbere ipſe non potuiſſet, ab aliis poſtea editas (3) libens vidit.

XX. Grammatica hebrææ linguæ præcepta dum ſcriberet, aliud interea ſummæ utilitatis opus moliri cœpit. Novum ſcilicet ejus linguæ Lexicon, ſive, ut ipſemet poſtea appellavit, *Theſaurum*, condere conſtituit. Ab qua voluntate eo non eſt deterritus, quod jam tum animo proſpiceret, quantum ſibi laboris ſubeundum foret, quamque difficile factu eſſet conata perficere. Sed poſtquam ipſi ſententia ſtetit propoſitum peragere, omnia, quæ quidem reperire licuit, hebræa Lexica ſive a Judæis confecta, ſive a Latinis, maximeque a Pagnino, innumeroſque alios talium rerum ſcriptores (4) aſſidue legens, ac pervolutans, undique, quod idoneum ad ſuum *theſaurum* putaret, congerebat. Non nocte, non die ab eorum umquam lectione ceſſabat. Ac quod magis mirere, ſumto in manus hebræo veteris teſtamenti volumine, a בראשית ad ויעל (5) ſyllabatim ac pedetentim de verbo in verbum progreſſus, ea omnia accuratiſſime, literarum ordine, adnotavit (6), quæ adnotanda videbantur.

XXI. Dum tantis ſuſceptarum rerum, ac jam inſtitutarum oneribus premeretur, graviſſimo fortunæ vulnere perculſus eſt. Quam-

(1) Allegoricam ejus tituli explicationem affert Marinus in proœmio hebraico *Theſauri* ſui *linguæ ſanctæ*.
(2) Locupletiſſimus ejus rei teſtis eſt Marinus ipſe in latina præfatione *Theſauri* ſui.
(3) Edita ſunt tria hæc Targumim Venetiis anno 1590.
(4) Pleroſque enumerat ipſe Marinus in latina præfatione ſæpius jam memorata.
(5) Primum veteris teſtamenti verbum eſt בראשית, ideſt, *in principio*; poſtremum vero apud Hebræos eſt ויעל, ideſt, *& aſcendat*.
(6) Id teſtatur Marinus ipſe in proœmio *Theſauri*.

Digitized by Google

Quamquam eum non tam ſuæ excruciarunt ærumnæ, quam ſororum. Obiit enim Marcus Antonius frater, ſine liberis, bonorumque omnium uxori legavit uſumfructum, quo frueretur, dum viveret ſervata viduitate. Magno id dolori Marino fuit: ſororibus enim, quæ ſolæ tunc exſtinctæ familiæ (1) ſuperfuerant, fraternam hereditatem deberi cenſebat, quippe quas ſecundas a fratribus heredes teſtamento pater inſtituerat.

XXII. Acceſſit etiam quod vehementiſſime dolorem augeret. Mortua enim fratris uxore, ne tum quidem hereditatem ſorores adierunt, ſed ii, qui Marino nec propinquitate, nec amicitia conjuncti fuerant, immo quos ne de facie quidem noverat. Dici non poteſt, quam ſolicitum ea res tenuerit Marcum noſtrum, qui mœrore etiam confectus eſſet, niſi reſtitiſſet. At quo facilius cogitationem ab ærumnis averteret, perfugio illo utebatur, quod literatis hominibus numquam non præſto eſt, cariſſimis ſtudiis ſuis. Idemque, nihil Deo volente non fieri cogitans, crebro uſurpabat Jobi illud, יהוה נתן ויהוה לקח יהי שם יהוה מבורך (2). Sed hæc miſſa faciamus, quæ non alia de cauſſa commemorata ſunt, quam ut Marini pietas in ſuos eluceret, quibus in eo caſu neque conſilio umquam defuit, neque opera.

XXIII. Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, dum in lexico ſuo conficiendo totus eſſet, Romam Venetiis proficiſci coactus eſt, ejuſque demigrationis hæc cauſſa fuit. Gregorius XIII. Summus Pontifex in Judæorum libris ea emendari juſſerat (3), quæ a Rabbinis in Chriſtum, & chriſtianos homines impie dicta fuerant. Hujuſmodi provinciam viris & probitate, & ſacrarum, in primiſque hebræarum literarum ſcientia præſtantibus demandandam intelligebat, quos proinde conquiri diligenter juſſit, ac deligi. Eam ob rem Marinus, quum talis prorſus eſſet, qualem optabat Pontifex, Romam evocatus eſt. Is porro, tametſi quantæ ſibi moleſtiæ, quantoque one-

(1) Familiæ, inquam, non genti; gens enim Marina Brixiæ adhuc floret.

(2) Hæc verba Jobi Vulgatus interpres ſic latine reddit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum*.

(3) Vide librum v. *Annalium Gregorii XIII.* a Jo. Petro Maffeio Societ. Jeſu confectorum, num. 37. pag. 250. In lucem prodierunt Romæ anno 1742.

oneri futurum eſſet id munus, provideret; confeſtim tamen dicto audiens his, quorum juſſibus non parere nefas ducebat, vix ſe libens dedit.

XXIV. Romæ ſex annos continuos commoratus eſt. Quintum vero poſt annum, quam eo venerat, Abbas creatus fuit, eique *Canonicæ* (ita enim vocant) præfectus, quæ a proximo templo divæ Agneti ſacro nomen accepit, & ſeptingentis fere paſſibus ab Urbe abeſt in via Numentana. Quamdiu Romæ fuit, plurimos habuit ſui ſtudioſos, ac patronos, ſuæque doctrinæ admiratores; Gregorium Pontificem in primis, & Jacobum Boncompagnum.

XXV. Gregorius quidem non modo eum librorum a Rabbinis confectorum cenſorem fecit, verum alia etiam optimæ opinionis, atque exiſtimationis, quam de ipſo conceptam habebat, argumenta præbuit atque indicia. Nam & certam nummorum ſummam illi in annos ſingulos conſtituit penſionis nomine, & plures etiam obtulit (1) Epiſcopatus. Quorum utrumque quum Marino utile, ſecundum vero etiam perhonorificum foret; primum tamen duntaxat munus a Pontifice delatum accepit, alterum autem iterum ac tertio oblatum conſtantiſſime recuſavit. In quo & neceſſitati ſerviebat, & vitæ tranquillitati, & animi ſui moderationi. Quum enim libros edere plurimos in animo eſſet, ut mox dicemus, magno ſibi uſui futuros ad eam rem nummos intelligebat. Contra Epiſcopatus Marino, quum ab honoribus alienus eſſet, oneri potius futurus videbatur. Atque hinc fiebat, ut aulicis omnibus carior eſſet, quod eum viderent non ſpe aliqua, aut ambitione ductum Romæ degere, ſed ut Pontifici, ac ſodalibus ſuis morem gereret.

XXVI. Neque vero ille minus Jacobo Boncompagno carus, quam Gregorio fuit. Ut enim literarum, ita literatorum hominum ſtudioſiſſimus erat Jacobus. Ac quamvis graviſſimarum rerum cura, atque adeo procuratio a Pontifice data (2), multis eum ne-

(1) Id teſtantur Joſephus Mozzagrugnus, Octavius Roſſius, & Jo. Petrus Creſcentius.
(2) Jacobus Boncompagnus, Dux Soræ, a Gregorio Pontifice factus eſt S. R. E. generalis Gubernator. Vide epiſtolam, qua Marinus ipſi Boncompagno *Theſaurum* ſuum tradit, commendatque.

negotiis implicatum teneret; doctrinæ tamen, exterarumque linguarum ſtudia colere non omittebat. Quocirca Marinum fama prius, deinde re cognitum hebrææ linguæ doctorem ſibi adſcivit [1], eumque cum in ſuis intimis habuit, tum magnis etiam beneficiis ornavit.

XXVII. Sanctorius quoque Cardinalis [2], homo rebus omnibus ornatiſſimus, plurimis Marinum proſecutus eſt officiis & humanitatis, & benevolentiæ, eique magno tum ornamento fuit, tum etiam adjumento. Erat is unus e Præpoſitis quos dicunt *Sancti Officii*, ad eumque pertinebat Pontificis juſſa de expurgandis Rabbinorum libris perficienda curare. Qua ex re Marinum ſecum eſſe voluit, non minus doctrina hominis captus, quam vitæ integritate, ac moribus ſuaviſſimis. Apud Sanctorium itaque ad libros, quos ante dixi, recenſendos, caſtigandoſque incubuit: ac eum præcipue correxit [3], qui vulgo תלמוד, hoc eſt, *doctrina*, dici ſolet, unde plura impie dicta detraxit, & nominatim libellum, cujus inſcriptio eſt עבודה זרה, ideſt, *ſervitus aliena* [4]. Thalmudem vero ita emendatum Baſileæ Frobenius edidit anno ſupra milleſimum quingenteſimum octavo & octogeſimo.

XXVIII. Hiſce rebus effectum eſt, ut magnam temporis partem ſtudiis ſuis adimere cogeretur Marinus, quam talium virorum officiis, ac Judaicorum voluminum recenſioni tribueret. Quod tamen ipſi ab hiſce occupationibus reliquum erat otii, id perficiendo *Theſauro* ſuo, illuſtrandiſque Davidis canticis [5] impendebat, quorum unumquodque ad verbum de hebræo exprimebat, & brevibus dilucidiſque ſcholiis explicabat.

XXIX. Dum Romæ adhuc moraretur, per literas a pluribus rogatus eſt, ut *Theſauri* ſui editionem, quam promiſerat, maturaret, ac quod diu parturiebat, pareret aliquando. Itaque ipſe nihil prolatandum ratus, id volumen ad exitum perduce-

(1) Vide Roſſium, & Creſcentium.
(2) Vide, ſi libet, Alphonſum Ciacconium de Sanctorii vita ſcribentem.
(3) Ita teſtatur Buxtorfius Junior, cujus verba habes infra.
(4) Ita appellant hebræi ſcriptores profanum illum cultum, quem chriſtiani dicunt *Idololatriam*.
(5) Davidis pſalmos centum & quinquaginta in quindecim decades diviſit Marinus, quas etiam *Gradus* appellavit.

re decrevit: & quamvis infirma uti cœpiſſet valetudine, adjutus tamen a Sanctorio [1], qui nullis ei rebus non commodabat, opus illud immenſi laboris, atque operæ tandem abſolvit. Eique libellum etiam ad extremum adjecit, mole quidem exiguum, perutilem tamen, quem לקט הקציר, ideſt, *collectionem meſſis*, appellavit.

XXX. Totum opus Jacobo Boncompagno, cui ſe plurimum debere profitebatur, per epiſtolam commendatum voluit, ut grati animi ſui erga tantum virum monumentum aliquod perpetuo exſtaret. Binas præterea initio libri præfationes poſuit, alteram bene longam latine ſcriptam, breviorem alteram hebraice. Habet utraque, cur libenter legi poſſit. Prima, quod multa contineat ſcitu utilia, altera, quod eleganter etiam ſcripta ſit. Librum ipſum inſcripſit תבת נח, ideſt, *Arcam Noe*: ejuſque tituli in ſecunda præfatione explicationem attulit allegoricam, prout fert hebræi ſermonis conſuetudo.

XXXI. Nunc operæ pretium facturus mihi videor, ſi de hoc Marini *Theſauro*, quem viri doctiſſimi ſummopere laudarunt, pauca breviſſime dixero: tum quia hoc ad Marini commendationem valebit plurimum; tum vero etiam quia perrara jam ſunt ejus operis exemplaria [2]. Commodiſſimus eſt is liber in primis, & his præcipue, qui in hebrææ linguæ ſtudio tirones adhuc ſunt, utiliſſimus; nec enim radices duntaxat vocum, uti alii ante fecerant, ſed verba etiam conjugata, atque a radicibus derivata, literarum ordine diſponit Marinus. Chaldaica inſuper vocabula omnia a ſacris ſcriptoribus uſurpata explicat. Virorum, ac feminarum, de quibus in ſacris libris fit mentio, nomina adjicit. Quot ejuſdem nominis fuerint, quo quiſque tempore vixerit, quo obierit, indicat. Nec provincias ullas, aut urbes, aut loca, aut flumina, aut montes prætermittit. Hebræi ſermonis idiotiſmos, atque

(1) Id profitetur Marinus ipſe in procemio *Theſauri*.

(2) Initio quoque ſuperioris ſeculi perrara erant in Italia ejus operis exemplaria. Id mihi conſtat ex epiſtola Antonii Mirandulæ, Bononienſis, Canonici noſtri, & Abbatis, ad Thomam Bolognettum ſcripta, in qua ne unum quidem, quod Bolognetto mitteret, inveniri a ſe potuiſſe teſtatur, *propterea quod*, inquit, *pleraque ultra montes perlata ſint*.

que elegantias in unaquaque hebræa voce pulcherrimo artificio complectitur. Si quando vero vocabulum aliquod occurrit incertæ ſignificationis, Marinus illud non e Rabbinorum ſententiis explicat, ſed ex aliorum locorum collatione, aut e conjecturis ſuis. Cujuſque verbi, aut nominis genera, numeros, perſonas, ac tempora, quæ quidem in ſacris libris reperiuntur, recenſet. Denique quum hebræa lingua hodie in ſolo veteris teſtamenti codice contineatur, quod ceteri antiquorum Judæorum libri interierint; proinde ſatis de hujus operis laudibus erit dictum, quum adjunxero, nihil in toto veteris teſtamenti exemplare hebræo, quale exſtat noſtris temporibus, reperiri (1), quod in Marini *Theſauro* non fuerit explicatum.

XXXII. Sed jam de hoc *Theſauro* ſatis. Revertor nunc ad Marinum ipſum. Is anno CIↃIↃLXXXV, ut ægram valetudinem curaret, Brixiam Roma conceſſit, ibique diu fortaſſe manere in animo erat, ſed certis de cauſſis anno poſtero ad Corvariam vocatus fuit, qui pagus eſt montoſus in ſuburbiis Bononiæ, a mœnibus abſens millia paſſuum circiter tria. Domicilium ibi nobis eſt, eoque ſæpius, veluti in diverſorium, venire conſueverat, ac magnam interdum æſtivi temporis partem apud nos, tamquam domi ſuæ, traducere Gabriel Paleotus Cardinalis, vir & diſciplinæ ſanctitate, & doctrina præclariſſimus, noſtrique ordinis valde ſtudioſus, ac de Canonicis noſtris Bononienſibus optime meritus. Amabat Paleotus hebræas literas (2), ac Marini doctrinam noverat, cujus etiam conſuetudine frui optabat. Itaque tum rogatu ipſius, ut opinor, tum etiam ob aeris ſalubritatem, quæ ibi, ſiquo alio in loco, maxima eſt, ad Corvariam acceſſitus Marinus ibidem Abbas biennium fuit. Quo tempore noſtri homines illius effigiem, quam Bononiæ etiamnum aſſervamus, pingendam curarunt: ut, quoniam brevi triſte ipſis ſui deſiderium relicturus erat, habitum ſaltem oris, ac lineamenta intueri liceret. Paleotus

 Ro-

(1) Ita monet Marinus ipſe in procemio.
(2) Vide librum II, caput XIII, paginam 91. *Vita Paleoti*, Bononiæ editæ anno 1647. a D. Alexio Ledeſma Clerico Reg. S. Paulli.

Romam conceſſit. Quare quum nihil eſſet, cur jam in Corvariæ *Canonica* moraretur Marinus, congregationis noſtræ Cenſor factus Brixiam rediit, ibique quod reliquum vitæ fuit, ideſt ſeptennium, vixit. Quo tempore Cenſuram annum geſſit, deinde præfecturam triennium.

XXXIII. Adnotationes ſuas in pſalmos, quas Romæ perfecerat, Brixiæ expolire cœpit, ac reapſe expolivit ad pſalmum uſque duodetriceſimum. Sed, ut ſunt res hominum fluxæ, atque incertæ, exædificare id opus, quod inſtituerat, non potuit. Quum enim maximis & animi, & corporis laboribus defatigatus eſſet, in morbum incidit, quo ingraveſcente, in propinquum adductus diſcrimen, Eccleſiæ ſacramentis expiatus eſt, paulloque poſt, dulciſſimum Jeſu nomen tanta conſtantia oris, ac vocis invocans (1), ut ipſi non vita eripi, ſed mors donari videretur, animam efflavit XIII. calendas Junias anno CIↃIↃXCIV.

XXXIV. Exſtinctus autem eſt tempore & ſibi, & collegis, & hebræarum literarum cultoribus alieniſſimo. Sibi, quod annorum eſſet, ut opinor, paullo plus trium & quinquaginta (2); collegis, quod nihil de illo ſperare non poterant; ſtudioſis vero hebrææ eruditionis, quod multos, iiſque perutiles libros confecturus erat, ſi diutius fuiſſet in vita. Aliud opus nimirum ex alio in dies moliebatur. Locupletes in centum & quinquaginta Davidis cantica commentarios (3) edere ſtatuerat: præcepta itidem (4) de conſcribendis epiſtolis hebraice, de phraſi, de interpretatione, aliaque adhuc plura (5), quæ non enumeramus hoc loco, ne lectorem fatigemus.

XXXV.

(1) Marinus moriens nomen Jeſu in ore habuit. Id conſtat ex necrologio Brixianæ *Canonica* S. Joannis Euangeliſtæ.

(2) Anno 1503. edidit Marinus *Theſaurum linguæ ſanctæ*, in quo circa ejus effigiem inſcripta ſunt hæc verba: *Marcus Marinus Brixianus anno ætatis 52.* Marinus autem anno inſequenti, ideſt 1594, vita defunctus eſt. Ex his veriſimile fit, ipſum 52, aut potius 53. circiter annos natum occubuiſſe: nam veriſimile eſt eam effigiem eodem fere anno expreſſam eſſe, quo anno editus eſt *Theſaurus*. Ejus effigiei exemplum in hoc libro habes.

(3) De his commentariis mentionem ſæpius facit Marinus in ſuis *Adnotationibus in pſalmos*, ex. gr. pagg. 52, 56, & alibi.

(4) *Præcepta de ſcribendis epiſtolis hebraice*, &c. Marinus ſe editurum pollicetur in calce artis grammaticæ.

(5) Ceterorum, quæ Marinus parabat operum, indicem habebis poſt illius adnotationes in pſalmum Davidis poſtremum.

XXXV. Adnotationum, de quibus ante memini, autographum exemplar poſt Marini obitum Brixia Bononiam deportatum, ad hanc diem ipſi aſſervavimus. Illarum exemplum, juſſu Innocentii X. exſcriptum, in Vaticanam bibliothecam ſuperiore ſeculo translatum fuit. At nunc tandem ſuaſore, atque impulſore Joanne Chryſoſtomo Trombellio Abbate, in lucem prodit id opus, utque correctum quam maxime, & emendatum prodiret, curavi ipſe ſumma ope, nec mediocri labore, Trombellii juſſu. Quod ſi id nunc memorare velim, quam utile futurum ſit, vere poſſim, niſi ex ejus lectione te magis id velim reſciſcere.

XXXVI. Multæ in Marino virtutes explendeſcebant. Probus fuit, prudens, modeſtus, doctorum hominum æmulator, &, quod caput eſt, de ſe ipſe demiſſe ſentiens. Honores multo malebat mereri, quam conſequi. Laborioſus præterea admirandum in modum fuit, ac beneficiorum, quæ acceperat, perpetuo memor.

XXXVII. In libris, quos edidit, quum multorum Scriptorum opiniones ſæpenumero refellerit, neminem tamen refellit umquam nominatim. Idque conſulto fecit. Ita nec laceſſens, nec laceſſitus invidiam omnem evitavit. Genebrardum quidem paullo acrius fortaſſe, quam par eſt, reprehendit nonnumquam in aliquibus ſuarum in pſalmos adnotationum locis. At id in ea tantum operis parte præſtat, cui extrema manus non acceſſit; in alia vero non item. Ex quo judicari facile poteſt, ipſum ea loca emendaturum fuiſſe, ſi librum edidiſſet.

XXXVIII. His rebus omnibus factum eſt, ut Marinus merito & domi, & foris omnibus eſſet cariſſimus. Quin vel ipſi Hebræi, quorum is Romæ quamdam veluti poteſtatem habuit, illum tamen & verebantur, & diligebant. In Urbe ſtudioſe comitabantur (1). Quum autem iter faciens in ea loca venerat, ubi domicilium illis permiſſum eſt, ad eum frequentes confluebant, adventum gratulabantur, ac diſcedentem ad multam

(1) Teſtis hujus rei eſt Octavius Roſſ...

Digitized by Google

tam viam proſequebantur. Hebræorum vero illa ætate in Italia doctiſſimi, Leo Mutinenſis, David Pomarius, Samuel Archivoltus, atque Iſrael Ziſronius (1), cum ipſum, tum ipſius ſcripta laudibus maximis celebrarunt. Et merito quidem. De hebræis enim literis præclare adeo meritus eſt Marinus, ut jure a Cottono (2) *Hebrææ linguæ Priſcianus* (3) fuerit appellatus.

(1) Iſrael Ziſronius Guaſtallenſis, unus fuit e duobus, qui Marini rogatu præfuerunt editioni *Theſauri linguæ ſanctæ*. Id teſtatur Ziſronius ipſe, cujus verba habes infra, pag. xxiv.
(2) Vide Benedicti Turretini verba, quæ infra afferuntur.
(3) Steuchi laudes æmulatum eſſe Marinum, dixi ſupra, pag. xii. Reipſa vero paria fere uterque elogia conſecutus eſt: quemadmodum enim Steuchum Julius Cæſar Scaliger epiſt. lv. *hominem divinum, & veræ literaturæ ſine dubitatione principem* vocat; ita Marinum Petrus Cottonus *hebrææ linguæ Priſcianum* appellavit.

SELE-

SELECTA SCRIPTORUM

DE MARCO MARINO,

EJUSQUE OPERIBUS

T E S T I M O N I A.

H E B R Æ O R U M.

Leo Mutinenſis *Theſaurum linguæ ſanctæ* a Marco Marino confectum laudavit carmine hoc rhythmico, quod exſtat initio ejuſdem libri.

אם מן   שאר כל מין   מעולה מין   אדם   ילוד אשה   בדבורו :
גם אם   ברכורים   לשון עברים   היה   לשון קודש   למבחרו :
חוות   בספר זה   אמת יוה   כי הוא   בחיר הכל   ומפורו :
דבור   בתוך חבור   עלי דבור   חבור   לכל חבור   וגם שרו :
גלות   והרלות   ורוב שפלות העם   ידיד האל   ומשברו :
בלבל   וראש חבל   כציץ נובל   כמעט   הלום מקרא   זאת שברו :
רבים   בני טובים   ונחשבים   לא י־   דעו דרכי   שדה נירו :
נשמת   בקול האת   בבא האת   דונם־   רקו מארין   פאר דורו :
אחר   אשר בחר   עשות שחר   מאיר   וגם מפיץ   ענן אורו :
גלה   יסוד מלה   ומפעלה   שורש   ענף פרי   בתוך ספרו :
חבה   לכל תבה   מאר טובה   אל איש   ואל אחיו   ואל גרו :
נכסף   וכל אסף   וחן יוסף   על כל   אשר קצר   בקיצורו :
כא רוץ   אנוש חרוץ   קנה חרוץ   פז רב   לכל פסוק   בביאורו :
תראה   כתיב נאה   ותשתאה   על כי   אמת הפליא   בחבורו :
לדרוש   אשר ידרוש   בסוף וראש   אדם   ילור אשה   בדבורו :

Samue-

Samuelis Archivolti carmen in Marini *Theſaurum*:
Exſtat in eodem libro.

אל נא תהי לשבא הליכת רוכלים •
לקנות כשמים ראש ואבן יהלום •
סוחר צרי ולוט בעדיו לכלום •
ישים מכון שבתו בקרב עוללים •

לא על זהב אופיר ינובון נוחלים •
לסגור באוצר צר • ואיש לא יכלום •
אדר יקר ערך • והיו בחלום •
שדה וגם שדות • ושרים חוללים •

ולבר סגמת כל לספרי קדש •
הגדל • ושום שכל למה יביעו •
כי שם פרי חיים הכי ארינו •

וכבן מבורך יום וגם החדש •
האיר מאורי אור אשר ישביעו •
אישים • בניב דון מ — רקו מארינו •

Iſrael Zifroni Guaſtallenſis Marinum commendat ibidem his verbis.

אמר הזיפרוני

מי הוא זה ואיזה הוא אשר מלאו לבו לראות את כל אלה יוצאים ולא יצא לשבח להלל ולומר לאיש כזה אין כמהו מורה אשר ראה ויתר ספקות אל מי שאל וסתרי אל צפן בתוך ספרו ימצאון איש על דגלו • שמות • מלות • פעולות • ולא הניח דבר קטן או גדול אשר לא שם במקומו הראוי לו עם דקדוקו הנמצא וגם הראוי להמצא ולא נמצא • ומה יאמרו מלאכי גוי בראותם כל שמות האנשים והנשים והעיירות • ההרים והגבעות • האפקים והגאיות • ימים ונהרות • ויאורים • האיר לארץ ולדרים • ופירוש תפארת העכסים השביסים והשהרונים • אבני שוהם ואבני מלואים לאגדים ותומים • כלי הספינה של יחזקאל • ותנבו יואל • תן אמת יהגה חכו • אין בערכו : לכן אתם החפצים הנגשים אצים לדעת דרכי לשון הקדש לכו שברו ואכלו כי לא באתם עד עתה אל המנוחה ואל הנחלה שם ינוחו יגיעי כח • בתבת נח ואם תמצאו בו איזה שגיאה דעו כי זה לא היה לחסרון המחבר • חיילים יכבר : רק קוצר השגת המדפיסים ומגיהי הדפוס עינים להם ולא יראו • ובחפזם יבוכו : ואף גם זאת כי ההעתק היה מכתיבת יד וגם כי המחבר הפליא לעשות כבתבו בתיבה מפורשת כתנו כיד שני אנשים האחד להגיה הלשון לאטינו ולא היה יודע בטיב לשון הקדש אפילו אות אחד • דאנכי הצעיר המטה לשון הקדש לא בינותי בלשון לאטינו כי אם מעט מוער : ואם תמצאו בפסוקים מקצתם אשר לא נוקדו כהוגן ובשורה דעו כי זה היה נסבה כי לא נוקדו על ידי המחבר רק על ידי אנשים אשר לא ידעו כל המצטרך • אמנם כל הדברים אשר נקד המחבר מידו ממשכלם נכוחים למבין וישרים למוצאי דעת ועיניכם תראינה ושמחתם • תגדילו שמו וברכתם • אשר חלק מחכמתו אליכם :

נאם הצעיר ישראל הזיפרוני מגוואסטאלה :

David

David de Pomis in præfatione *Lexici Novi Hebraici*, quod eſt editum Venetiis anno 1587.

Si labor noſter mancus in re aliqua exſtiterit, alii perfacile ſupplere poterunt: Reverendus præſertim Abbas ac doctiſſimus Dominus MARCUS MARINI, *qui non parum apud latinos hebraicam linguam illuſtravit.*

GALLORUM.

Andreas Rivetus in *Iſagoge ad Scripturam Sacram*, pag. 102.

Solus, quod ſciam, e Pontificiis pro punctorum Hebraicorum antiquitate ſtetit MARCUS MARINUS *Brixianus, S. Salvatoris Romæ Canonicus, qui Theſauro linguæ ſanctæ, cui titulum fecit* Arca Noe, *præfationem præfixit, in qua probare conatur contra Eliam Levitam Germanum, Judæos ab omni tempore ſua puncta vocalia habuiſſe.*

Benedictus Turretinus in libro, qui inſcribitur *La Défenſe de nos Verſions*, tom. 1. pag. 53.

MARINUS, que Cotton en quelque endroit de ſon livre appelle Priſcian de la langue hebraique, *en ſon* Arca Noe *eſcrit, que les Points ſont d' ancienneté.*

Jacobus le Long tomo 2. *Bibliothecæ Sacræ*, pag. 847. editionis Pariſ. anni 1723.

MARCUS MARINUS Italus, Brixianus, Canonicus Regularis Lateranenſis (hac in re fallitur iſte ſcriptor, ſed errorem ſuum emendat poſtmodum pag. 1203.) *Linguarum orientalium peritus obiit 1594. Commentarius in pſalmos.* Celſus de Roſinis.

Et pag. 1187.

MARINI MARCI תבת נח, *ideſt* Arca Noe, *Theſaurus linguæ ſanctæ novus, ſeu Lexicon Hebræo-Latinum ampliſſimum, in fol. Venetiis 1593.*

Auguſtinus Calmet tom. 1. *Dictionarii Sacræ Scripturæ*, in *Bibliotheca ſacra*, pag. 68. editionis Lucæ anni 1725.

MARCI MARINI Brixiani Arca Noe, *ſeu Theſaurus linguæ ſanctæ Venetiis 1593. Non tam dictionarium eſt, quam hebraicarum Concordantiarum ſumma; ſub certis enim nominum hebræorum claſſibus potiſſima Scripturæ loca adducit.*

Digitized by Google

HISPANORUM, ATQUE BELGARUM.

Alphonſus Ciacconius Biacenſis, ex Ordine Prædicatorum, in *Vitis, & Geſtis Summorum Pontificum*, pag. 431. editionis Romanæ anni 1601.

Quæ (ideſt Congregatio Canonicorum Regularium S. Salvatoris) *ab ejus initiis mirabiliter aucta, viros plurimos, vitæ ſanctitate, ac doctrina præcellentes ſemper tulit. Præſertim vero noſtra tempeſtate eam maxime illuſtrarunt duo illa literarum lumina, D. Auguſtinus Steuchus Kiſami Epiſcopus, & D. MARCUS MARINUS Brixienſis, utrique de Hebraicis, Chaldaicis, Græcis, ac Latinis literis optime meriti. Quod eorum egregia monumenta poſteritati tradita ita clare teſtantur, ut eos ſupra omnem ingenii aleam poſitos eſſe nulli addubitarint.*

Aubertus Miræus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui ab anno* 1494. *uſque ad annum* 1641. *vixerunt*, pag. 212. editionis Fabricii.

MARCUS MARINUS Brixianus Canonicus Regularis Theſaurum ſuum hebraicum, quem Arcam Noe *vocat*, 1581 *publicavit* (id falſum eſt ; Marinus enim Theſaurum ſuum edidit anno 1593.).

G E R M A N O R U M.

Buxtorfius Junior in *Conſilio de ſtudio hebraico, & chaldaico feliciter inſtituendo.*

Secunda editio Thalmudis Baſileæ prodiit ab Ambroſio Frobenio anno 1588. *In hac editione exſecta ſunt, opera MARCI MARINI, ea, quæ contra Chriſtum, & Chriſtianos erant dicta, & hujus rei cauſſa quoque integer omiſſus tractatus, qui* Avoda Sara *appellatur, hoc eſt* de idololatria. *E contra habet hæc editio hoc præ editione Veneta, quod libri, & capita locorum Scripturæ in Thalmud allegatorum, in margine ſunt adſcripta.*

Idem ibidem.

Præter Lexicon Hebræum Patris mei, alia quoque extant lexica optima, & utiliſſima, magiſque prolixa, & copioſa, veluti Arca Noe, *ſive Theſaurus linguæ ſanctæ MARCI MARINI. Plurima hic in eo adducit exempla, & magnum uſum præſtare poterit, ſi quis aliquid hebraice, oratione ſeu proſa, ſeu ligata velis ſcribere ad ſermonis Biblici imitationem.*

Konigius in *Bibliotheca Vetere, & Nova*, pag. 510.

MARINUS MARCUS Brixianus Lexicon Hebræum duobus voluminibus abſolvit, Venetiis ann. 1593. *fol.*

Chri-

Digitized by Google

Chriſtophorus Wolfius *Bibliothecæ Hebraicæ* tomo IV., pag. 293.

MARINI MARCI Grammatica linguæ ſanctæ primum Baſil. 1580. 4.*; hinc Venet.* 1585.*; ac denique* 1593. *prodiit.*

ITALORUM.

Antonius Poſſevinus, e Societate Jeſu, in *Apparatu ſacro*, tom. II. fol. 384.

MARCUS MARINUS Brixianus Canonicus Regularis, Ordinis S. Salvatoris, ſcripſit commentaria in pſalmos, Grammaticam linguæ ſanctæ, ac Theſaurum linguæ ſanctæ, quem prænotavit Arca Noe. *Qui Venetiis editus fuit apud Joannem Degaram anno* 1593. *At Grammatica prodiit Baſileæ apud Frobenium anno* 1586. *Sed quum ea civitas hæreſeos labe jam dudum infecta fuerit, cavendum eſt, ne quid illi editioni fuerit inſperſum, quod & Catholicam Religionem convellat, & ab Auctoris mente ſit alienum.*

De Theſauro autem linguæ ſanctæ hoc primo dicendum eſt, ingentis laboris fuiſſe collectionem illam, quæ item perſpicacibus ingeniis ſit futura perutilis, ſi ſeſe inter cancellos orthodoxæ, & Catholicæ Fidei contineant, neque hinc vergant ad perverſas Rabbinorum curioſitates: perutilis, inquam, & propter illa, quæ complexus eſt, & quoniam opus jam non eſt, ut Rabbini illi ſine periculo verſentur, quibus idem fuit argumentum in ſuis operibus, nimirum Rabbi Judæ Hyug, Rabbi Jonæ filio Ganah, Rabbi Salomoni filio Abrahami filii Berahonis, qui de Radicibus ſcripſit, Rabbi Chimchi, Rabbi Moyſi Anglico, Rabbi Joſeph Caſpi, Rabbi Joſeph, & Rabbi Almelio, qui ſæpe refellit Rabbi Chimchi, quemadmodum & alii Hebræi faciunt. Et noſter igitur MARCUS MARINUS cum illos legerit, eorumque errores obſervaverit, elicuit e Bibliis ſacris, quæ ſolæ in gratiam Chriſtianorum ſervatæ ſunt divinitus incorruptæ, bis mille ac ducentas radices ... quibus radicibus ſigillatim per Alphabeti ſeriem omnia derivativa ſubjecit: quæ poſtea non ibidem, ſed alibi ordine item Alphabetico declaravit: quando tyronibus initio non minimus eſt labor in ipſis radicibus excipiendis.

Verumtamen & aliud ex hoc Theſauro commodum exſtitit: nimirum quod in primis agit de laudibus linguæ ſanctæ; mox de translationibus; & an Hebræa Biblia corrupta ſit; deinde quot puncta vocalia una cum literis apud Hebræos ſemper extitiſſe veroſimilius ſit: demum de titulo operis, & utilitate lectionis Scripturæ ſanctæ.

Silveſter Maruli in Hiſtoria, quam inſcripſit *Mare oceano di tutte le Religioni*, libro IV., pag. 325., ubi loquitur de Congregatione Rhenana Sancti Salvatoris.

Fiorì ancora un Padre Don MARCO da Breſſa in lettere Greche, e Latine, & Ebraiche dottiſſimo, e fece un gran volume in lingua ebraica intitolato Arca Noe.

Joſephus Mozzagrugnus, Canonicus Regularis S. Salvatoris, & Abbas, in Opere, quod inſcribitur *Narratio rerum geſtarum Canonicorum Regularium*, libro VII, pag. 14.

Paulus Venetus ex Hebræo factus Chriſtianus docuit D. MARCUM MARINUM, de quo in Brixienſi Canonica.

Et pag. 20.

In hac autem Canonica (ideſt in Canonica S. Joannis Euangeliſtæ Brixiana) *floruerunt MARCUS ejuſdem civitatis, hebraicæ linguæ, chaldææ, arabicæ peritiſſimus. Impreſſit grammaticam ejus linguæ,* Arcam Noe, *Theſaurum linguæ ſanctæ, ultra Pagnini, & aliorum locupletiſſimum. Scripſit collationem omnium traductionum pſalmorum cum Septuaginta (eſt apud Bononiam). Me juvenem pluries docuit intelligentiam ſacræ Scripturæ juxta hebraicam veritatem. Fuit apud Gregorium XIII. cariſſimus. Epiſcopatus multos recuſavit. Interpres, & a Secretis Sereniſs. Reipublicæ Venetæ litterarum Turcicarum, Ægyptiacarum, Perſicarum.*

Octavius Roſſi in *Elogiis hiſtoricis Brixianorum illuſtrium*, pag. 348.

Si crede comunemente, che la nobil famiglia Breſciana de i Marini ſia diſceſa da quella antichiſſima de i Macrini, della quale abbiamo quaſi infiniti marmi, che in modo eccellente manifeſtano la ſua antica grandezza. Di queſta nacque il P. MARCO celebre non ſolamente nella ſua nobiliſſima Religione de' Canonici Regolari di S. Salvatore (in queſta Città di S. Giovanni Evangeliſta), ma per tutte le altre claſſi di que' Religioſi, che maneggiano le ragioni ſantiſſime della Chieſa, e conſeguentemente per tutto il mondo. Egli era eminentiſſimo conoſcitore, e pratico eſpoſitore delle lingue Greca, Ebrea, Caldea, & Arabica. Papa Gregorio XIII. lo ſtipendiò, dandogli carico ſopra l' Inquiſizione degli Ebrei. Il che fu cagione di eſercitare quaſi un principato ſopra di loro: tanto lo temevano, e l' onoravano. E per il vero era gran meraviglia vedere, che non ſolamente era ſrequentiſſimamente corteggiato da quella gente in quelle Città, dove tengono le Sinagoghe, ma l' accompagnavano, e lo ſervivano per viaggio con ſegnalata pompa della ſua virtù, che in queſto modo trionſava del popolo oſtinato. Nella Corte di Papa Gregorio perciò grande appariva la ſua riputazione, e tanto più perchè Giacomo Boncompagno dimoſtrando con particolar deſiderio d' imparar la lingua Santa, profeſſava di eſſere ſuo ſcolaro. Onde ancora per queſta via il MARINO ſi rendeva celeberrimo, perchè tale è la potenza degl' intimi conſanguinei del Sommo Pontefice, che dovunque benignamente appena intendono gli occhj, producono quaſi in infinito le perfette grandezze. Nè minor plauſo riceveva il MARINO in Venezia, perchè la Sereniſſima Signoria ſoleva ſervirſi di lui per Interprete, e Segretario delle lettere, che vengono dall' impero del Turco, dall' Egitto, e dalla Perſia. Nè tanti negozj lo toglievano da' ſuoi graviſſimi ſtudj. Furono da lui commentati li Salmi, e ſcritta una compita grammatica Ebrea, e un libro, o per dir meglio, un volume, ch' egli chiama Teſoro della lingua ſanta, & Arca di Noè. *Opera di eſtrema fati-*

Digitized by Google

ſatica, & utiliſſima ai noſtri Teologi, perchè egli con quella ha rintuzzati varj ſofiſmi di molti Rabbini, e con la confutazione degli errori di coſtoro ha del tutto dimoſtrato il maſſiccio della verità. Diceſi che abbia laſciato altre opere ancora; ma io non le ho vedute, nè di penna, nè di ſtampa. Eſercitò diverſi carichi ſopra li ſuoi clauſtrali con quella prudenza, che è figlia del merito, e della virtù. E con tanti mondani lumi, che lo circondavano d' ogn' intorno, mai però ſi laſciò dominare da quella ambizione, che di ſerva ſecolare ſi è fatta tiranna dell' univerſo. Ricusò diverſi Veſcovati. La ſua vita ſincera fu la ſtella del ſuo nome: ora è il ſole della ſua immortalata virtù. E l' Ebraiſmo iſteſſo, contro del quale adoperò i ſuoi fulmini, gli rende tributo di ancor timida ſoggezione. Morì in Breſcia li 20. Maggio 1594.

Joannes Petrus Creſcentius, libro 11. *Præſidii Romani*, pag. 18.

MARCO da Breſcia fu dell' antica, e nobiliſſima Caſa de' Marini. Ebbe lingua Latina, Greca, Arabica, Caldea, Ebrea, Schiavona. In Roma Giacomo Boncompagno allor Primo Principe di quella Corte ſe lo fece Maeſtro, e Gregorio XIII. lo ſtipendiò, dandogli carico ſopra gli Ebrei. La Repubblica Veneta ſe lo fè Interprete, e Segretario delle lettere, che vengono da Coſtantinopoli, dall' Egitto, e dalla Perſia.

Leonardus Cozzandus *Bibliothecæ Brixianæ* parte 1., pag. 170.

MARCO MARINO Canonico Regolare di S. Salvatore in S. Giovanni di Breſcia non meno eminente conoſcitore, e pratico eſpoſitore delle lingue Greca, Ebrea, Caldea, ed Arabica, che buon letterato. Comentò i Salmi di David, *e ſcriſſe una compita grammatica Ebrea*, Hortus Eden, *ſtampata in Baſilea 1580. in 4., e in Venetia 1585. in 8. Et un altro volume in foglio, ch' egli chiamò* Teſoro della lingua ſanta, & Arca di Noe. *In Venetia 1593. Soleva ſervirſi di lui per interprete la Sereniſſima Republica di Venetia per intelligenza delle lettere, che venivano dal gran Turco, dall' Egitto, e dalla Perſia. Morì in Breſcia 1594.*

Benedictus Blancuccius Romanus in prima præfatione ſuarum *Inſtitutionum in linguam ſanctam*, quas edidit Romæ anno 1608.

Itaque ad hanc rem, Arcam Noe, *Theſaurum Hebraicum a D. MARCO MARINO Canonico Regulari Sancti Salvatoris de induſtria recens elaboratum tibi comparabis, ac diligenter evolves, qui eſt concordantiarum (ita vocant) Hebraicarum fidelis ad verbum interpres.*

Pius Thomas Milante, ex ordine Prædicatorum, Epiſcopus Caſtri maris, in *Auctario Bibliothecæ ſanctæ*, fol. 547.

MARCUS MARINUS Italus, Brixianus, Canonicus Regularis Sancti Salvatoris, Hebraice doctus, edidit commentarios in pſalmos, Grammaticam Hebraicam, & Theſaurum linguæ ſanctæ anno 1593.

Ange-

Angelus Maria Quirini, Cardinalis ampliſſimus, atque doctiſſimus, in epiſtola ad Joſephum Antonium Saxium, pag. 23.

Equidem haud minus Hebræarum, quam Græcarum litterarum Athenæum in Urbe Brixiæ viguiſſe ea ætate, de qua hic agimus, vel illud certo argumento eſt, quod ea, quæ proxime ſubſecuta eſt, excellentiſſimos utriuſque litteraturæ magiſtros, cives ſuos, urbs iſta oſtentaverit, cujuſmodi certe fuit in Hebraica MARCUS MARINUS, Canonicus Regularis D. Salvatoris, & in græcanica T. Proſper Martinengus, Monachus Benedictinus. Amborum eximiam in iis literis peritiam unum epigramma comprobabit, conditum ſcilicet a Martinengo in laudem Theſauri linguæ ſanctæ, cujus auctor MARINUS, quodque præfixum legitur inſigni hujus operis editioni ... Illud ipſum manifeſtius declarabit luculentiſſimus in Pſalterium Davidicum commentarius ab eodem Marino compoſitus, ſi quæ ejus in publicam lucem edendi, quam ſperavimus, occaſio ſe obtulerit, jamque in ejus ſpecimen Bononienſes typi anno 1732. protulerunt interpretationem pſalmi XXI., ceu corollarium libelli, quo exhibuerunt verſionem explicationis ejus pſalmi ab Jacobo Benigno Boſſueto lucubratæ, una cum hujus explicatione prophetiæ Iſaiæ de Mariæ Virginis partu.

Vidit

Digitized by Google

Vidit D. Aurelius Caſtanea Cleric. Regul. S. Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro SS. D. N. Benedicto XIV. Archiepiſcopo Bononiæ.

Ad Reverendum, & Excellentiſſimum D. Joannem Baptiſtam Bianconi Sacræ Theologiæ Doctorem, publicum in Bononienſi Univerſitate Linguæ Græcæ Profeſſorem, ut videat pro S. Officio, & referat.

Fr. Thomas Maria de Angelis Inquiſitor Generalis Bononiæ.

Die 15. Novembris 1747.

De mandato Reverendiſſimi P. Inquiſitoris Generalis Bononiæ legi librum, cujus titulus eſt: Marci Marini &c. Annotationes litterales in Pſalmos, *nihilque in ea lectione mihi occurrit, quod libri editionem impedire poſſit: immo cum auctores legentibus Hebraicum, & Græcum fontes admoveant, eoque pacto ſenſum aperiant libri difficillimi, valde utilem librum eſſe judico. Ita &c.*

Joannes Baptiſta Bianconi.

Attenta ſuprapoſita atteſtatione

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria de Angelis Inquiſitor Generalis Bononiæ.

Deli-

Deliciæ ſpiritus noſtri
divina Cantica.

D. Auguſtinus tractatu in pſ. cxlv.

M. MA-

Digitized by Google

M. MARINI BRIXIANI
CANONICI REGULARIS
CONGREGATIONIS RHENANÆ SS. SALVATORIS
ANNOTATIONES LITERALES IN PSALMOS
Nova verſione ab ipſo illuſtratos.

LIBER PSALMORUM.
GRADUS PRIMUS.

Pſalmus I.

אשרי האיש אשר לא הלך בעצת רשעים ובדרך חטאים לא עמד ובמושב לצים לא ישב:	1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio injuſtorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra deriſorum non ſedit.*	1. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.
כי אם בתורת יהוה חפצו ובתורתו יהגת יומם ולילה:	2. Sed (*Quod ſi*) *in lege DOMINI voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.*	2. Sed in lege DOMINI voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.
והיה כעץ שתול על פלגי מים אשר פריו יתן בעתו ועלהו לא יבול וכל אשר יעשה יצליח:	3. *Et erit tanquam lignum plantatum ſuper rivos aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet, & omne, quod faciet, proſperabitur.*	3. Et erit tanquam lignum (*quod*) plantatum (*eſt*) ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.
לא כן הרשעים כי אם כמוץ אשר תדפנו רוח:	4. *Non ſic injuſti*, ſed (*quod ſi*) *tamquam acus, quod impellet* (*illud*) *ventus.*	4. Non ſic impii *non ſic*, ſed tamquam pulvis, quem projicit ventus *a facie terræ.*
על כן לא יקמו רשעים במשפט וחטאים בעדת צדיקים:	5. Ideo (*ſuper ſic*) *non ſurgent injuſti in judicio, & peccatores in conſilio juſtorum.*	5. Ideo non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in conſilio juſtorum.
כי יודע יהוה דרך צדיקים ודרך רשעים תאבד:	6. *Quoniam cognoſcit Dominus viam juſtorum, & iter injuſtorum peribit.*	6. Quoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit.

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

HÆc præfatiuncula totius libri Pſalmorum, ſive a Davide, ſive ab Eſdra, vel ab alio quopiam addita (nam id ſatis apertum non eſt, quod inſcriptione careat) eſt adhortatio ad lectionem ſacrorum carminum, propoſito ingenti præmio, quod eſt affluentia bonorum omnium, & quod magis refert, amicitia Dei Optimi Maximi, benevolentiaque.

1. Nec audias, qui dicunt, אַשְׁרֵי *beatitudinem* ſignificare; quin vel ſaltem ex hac vocula ſcias velim, quod parum in Hebraicis profecerint literis, qui auſint hoc affirmare, ut pluribus diſſeruimus in noſtro Theſauro, cum hanc dictionem tractaremus. *Impiorum*. Sic transferunt ubique noſtri. Hebræus injuſtorum, de qua ſignificatione diximus in Tbeſauro. *Peſtilentiæ*. Hebraice לֵצִים, deriſorum, quod latinum nomen aptius peſte non potuit exprimere. Exſtat hujus nominis deſcriptio apud Salomonem Prov. 21. 24. hiſce verbis, Superbi, arrogantis. לֵץ eſt nomen, Peſtis videlicet. Fortaſſis vero Vulgatus *in cathedra peſtilenti* dixerat, quod Hebraice cathedra peſtium, aut peſtilentium bominum, & deriſorum, qui humana, divinaque rident, eſt; incuria dein ſcribarum additum fuit, *ae*, nunc ſummovendum; vel certe numerum mutavit; ſed Hebraicum plurale majorem vim habet. Sæpius tamen in concreto, quam in abſtracto (ut loquuntur Logici) verbum Hebraicum לֵץ uſurpatur, quod hic dictionibus *Impiorum*, & *peccatorum* aptius correſpondet. Græcus inſuper habet λοιμῶν, peſtium, ſeu peſtiſerorum, & ſceleratorum hominum. Sic Latini ſcelus pro ſceleſto uſurpant. Abire in conſilio, ſtare in via, ſedere in cathedra, omnes ſunt Hebraiſmi a nobis in Grammaticis rebus jam declarati. Notes interim verbum Abire pro ſimplici ire, non pro diſcedere, hoc loco poſitum eſſe, & peccatorum a ſingulari peccator derivare. *Cathedra*. Vox Hebræa Sedem ſignificat, quicquid ea ſit, ubi quis ſedet, manet, habitat. Conſule Tbeſaurum.

2. *Sed*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo; Quod ſi, niſi. *DOMINI*. Sic transferunt ubique Noſtri nomen Dei proprium יְהֹוָה, de cujus ſignificatione Theſaurum conſulas velim. Curavimus interim vocem hanc literis majuſculis in toto pſalterio deſcribere, quando nomen Dei proprium eſt, ad differentiam nominis appellativi: quod notes, ne ſemper idem nobis repetendum ſit. *Meditabitur*. Sic interpretantur ubique noſtri. Verbum Hebræum meditationem, & locutionem includit. Conſule Theſaurum.

3. *Et erit*. Et, emphatica particula: Sane erit. *Tanquam lignum*. Pulcra comparatio. עֵץ quodlibet lignum ſignificat. Quis vero ignorat, lignum plantatum eſſe circumſcriptionem arboris? *Quod eſt*. Addita ex ſermonis conſequentia. Hebræus ſolo participio: Plantatum, ſicut arbor plantata. *Secus*. Idem Hebræus, ſuper, juxta. *Decurſus*. Optime tranſtulit פַּלְגֵי Hebraicum, quod per translationem rivos, vel decurſus aquarum ſignificat, quaſi diviſionem e fluvio diceres. *Et folium*. In fonte, & Græcis exemplaribus non ſunt duo, ſed unicus verſiculus cum ſuperiori, quod parum, aut nihil refert. *Et omnia &c.* Hebræus ſingulariter: & omne quod faciet, proſperabitur. Vulgatus autem verbum יַצְלִים, quod ad virum illum etiam referri poterat, hoc modo; & quicquid faciet, proſpere faciet; ad actiones ejus, nec penitus inſulſe retulit: ac fortaſſe verior interpretatio eſt, & ſi idem ſenſus; nam cum ſit verbum commune, ſæpius neutraliter poſitum invenitur. Sunt qui referant ad arborem hæc verba, nec inepte meo judicio, ut quidam vellent.

4. *Impii*. Hebræus: Injuſti, ut ſupra. *Non ſic*. Ad emphaſim additum, quod

Digitized by Google

quod licet non habeatur in Hebræo, non tamen ſupervacaneum eſt judicandum, & ob id expungendum, nam & Græcus illud habet. *Sed*. Hebræus ut ſupra, quod ſi. *Pulvis*. Altera comparatio. Hebræus habet מֹץ, quod per tralationem, acus, ſignificat, quaſi expreſſionem e tritico. Minimi ponderis variatio, quamvis levius ſit acus pulvere, quod auget non nihil ſignificationem comparationis, & ideo notes locum velim. *Projicit*. Non longe aliter Hebræus futuro; propellet, propulſabit, impellet. Additur inſuper in Hebræo poſt relativum pronomen *illud*, de more linguæ, quod latine vacat. *Ventus*. Vox Hebræa generalis eſt ad omnem ſpiritum. Vide Theſaurum. *A facie terræ*. Ad majorem declarationem a noſtris additum, niſi malles, prius a quopiam in margine libri ſolum fuiſſe poſitum, & poſtea ſcribæ inſcitia (ut plurimi ſunt literarum expertes) textui interpoſitum. Sed hoc parum, vel nihil referre crederem.

5. *Ideo*. Hebræus idem, ſuo loquendi tropo: Super ſic. *Impii*. Hebræus ut ſupra: Injuſti. *Neque*. Hebræus ſola conjunctione, *&c*; quamvis negatio ex ſuperiori membro per zeugma repetenda ſit de more linguæ. Et peccatores, ſupple, non ſurgent, Concilium, vel etiam conſilium latine dicitur de hominibus in unum collectis, quod idem ab Hebræa voce deſignatur. Eodem modo & Græcum βουλή uſurpatur, ne putes, LXXII. facili vocis tranſitu legiſſe בַּעֲצַת, ut ſupra verſu 1. Reſurgere in judicio, & in concilio, phraſes ſunt Hebraicæ, ut annotavimus in Theſauro. Nec arbitreris, reſurgere eſſe idem quod reviviſcere, ut quamplurimi vellent, ex hoc loco falſa dogmata derivantes, ſed ſimplicis ſurgere ſenſum habet.

6. *Novit*. Hebræus præſenti participio: Noſcens, noſcit. Quod verbum, ſicut & latinis, ultra notam ſignificationem, carum habere, curam gerere, recognoſcere, & hujuſmodi ſignificat. *Iter*. Latinis fere idem eſt, quod via. At hic proprie pro ea ſumendum eſt: quo uſus eſt Vulgatus, ne bis viam repeteret. *Impiorum*. Hebræus: Injuſtorum, ut ſupra. Cognoſcere viam alicujus, & eam perire, ſunt bini Hebraici ſermonis idiotiſmi, jam a nobis in commentariis perquam diligenter declarati. Dominus, ait, gratam habet, curatque vivendi rationem, & ſtudia juſtorum; injuſtis interim cum ſua vivendi ratione tendentibus ad interitum.

PSALMUS II.

לםה רגשו גוים דלאםים יהגו ריק:	1. Quare (*Cui rei*) *fremuerunt gentes, & populi meditabuntur inane?*	1. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?
יתיצבו מלכי ארץ ורוזנים נוסדו יחד על יהוה ועל משיחו :	2. *Aſtabunt Reges terræ, & principes conſultarunt ſimul ſuper DOMINUM, & ſuper Chriſtum ejus.*	2. Aſtiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſum DOMINUM, & adverſus Chriſtum ejus.
ננתקה את מוסרותימו ונשליבה ממנו עבתימו :	3. *Dirumpemus vincula eorum, & projiciemus a nobis funes ipſorum.*	3. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipſorum.
יושב בשמים ישהק ארני ילעג למו:	4. *Habitans in cælis ridebit, Dominus ſubſannabit eis.*	4. Qui habitat in cælis irridebit *eos*, & Dominus ſubſannabit eos.
אז ידבר אליחו באפו ובחרונו יבהלמו :	5. *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.*	5. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.
ואני נסכתי מלבי על ציון הר קדשי :	6. *Et ego conſtitui Regem meum ſuper Sion montem ſanctitatis meæ.*	6. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum ejus; 7. prædicans præceptum ejus.
אספרה אל חק יהוה אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך :	7. *Narrabo ad decretum, DOMINUS dixit ad me, filius meus tu, ego hodie genui te.*	DOMINUS dixit ad me, filius meus *es* tu, ego hodie genui te.
שאל ממני ואתנה גוים נחלתך ואחזתך אפסי ארץ :	8. *Poſtula a me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ.*	8. Poſtula a me, & dabo *tibi* gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.
תרועם בשבט ברזל ככלי יוצר תנפצם :	9. *Franges eos in virga ferri, tanquam vas figuli diſtringes eos.*	9. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.
ועתה. מלבים השכילו הוסרו שפטי ארץ :	10. *Et nunc Reges intelligite; erudimini judices terræ.*	10. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.
עברו את יהוה ביראה וגילו ברעדה :	11. *Servite DOMINUM in timore, & exultate in tremore.*	11. Servite DOMINO in timore, & exultate *ei* cum tremore.
נשקו בר פן יאנף יתאברו דרך כי יבער כמעט אפו אשרי כל חוסי בו :	12. *Oſculamini filium, nequando iraſcetur, & peribitis via, quia ardebit ut parum ira ejus, beati omnes refugientes in eum.*	12. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur *DOMINUS*, & pereatis de via *juſta*. Cum exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.

AN-

ANNOTATIONES.

CArminibus elegantiſſimis prophetiam perquam manifeſtam de Chriſto Domini proponit, quæ ob id etiam ſine titulo eſt: nam quamvis in libris vulgatis ejus inſcriptio ſit ψαλμὸς τῷ Δαβίδ, apud Hebræos tamen Pſalmus eſt ανεπίγραφος, ſicut nec in exemplari Vaticanæ bibliothecæ ulla eſt inſcriptio, neque apud aliquot gravioris doctrinæ viros invenies inſcriptum eſſe hunc Pſalmum, ne ſi forte Davidem præ ſe ferret auctorem, eundem etiam diceres, de quo hic agitur. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcas velim.

1. *Quare*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo. Cui rei, ad quid, ut quid, ſic vulgo: *A che?* *Fremuerunt*. Optime expreſſit verbum Hebræum, quod concurſum populi denotat. Fit etenim cum fremitu maximo. Conſule Theſaurum. *Meditati ſunt*. Ut transferunt noſtri. Hebræus idem futuro: Meditabuntur, loquentur, effutient. *Inania*. Idem Hebræus ſingulariter: Inane, res, quas perficere non poterunt.

2. *Aſtiterunt*. Hebræus idem futuro: Aſtabunt, ſe collocabunt. *Convenerunt*. Translatio ſenſus. Verbum Hebræum a fundamentis deductum conſulere per translationem proprie ſignificat; quare conventionem hoc loco conſulendi cauſa factam intelligas, nec prorſus eſt reſpuenda translatio. *In unum*. Simul, una, pariter. *Adverſus*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Super, contra Dominum, & ſuper Chriſtum ejus.

3. *Dirumpamus, projiciamus*. Idem Hebræus futuro, quod variis temporibus transferri poteſt, ut in rebus Grammaticis docuimus: Dirumpemus, projiciemus. Mimeſis, qua Chriſti hoſtium verba deridens ſacer vates, & improbans, eorum geſtum imitatur. *Jugum*. Hebræus pluraliter: funes, vincula. Nullius ponderis variatio; nam ad fugiendam repetitionem ejuſdem vocis Vulgatus jugum dixit, quod non valde refert: legem Dei, & Chriſti, ſive Euangelium vocant impii vincula, & jugum, ſeu funes, contra illud, *jugum meum ſuave eſt, & onus leve*.

4. *Qui habitat*. Hebræus participio: Habitans, habitator. *Irridebit*. Verbum יִשְׂחָק Hebræis modo pro ridere, modo pro irridere, modo tandem pro ridendo ludere ponitur: at hic ſatis caute pro irridere Vulgatus tranſtulit, habita ratione ſequentis verbi ſubſannandi, quod fere ejuſdem intellectus eſt. *Eos*. Ad declarationem additum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Eos*. Hebræus dativo, de more linguæ: Eis.

5. *In Ira*. Vox Hebræa naſum, & per tralationem iram ſignificat. Vide Theſaurum. Loqui in ira, & conturbare in furore, ſunt idiotiſmi Hebraici, ut in Theſauro. Verba Hebræa aliam etiam patiuntur interpretationem, nam יְדַבֵּר derivari poteſt a דֶּבֶר peſte, & אֵלֵימוֹ ab אֵל fortitudine, quaſi diceret: Tunc interimet fortes, nobiliores eorum. Sed prior ſenſus magis arridet.

6. *Ego autem &c.* Vulgatus facta mutatione quam facillima literarum aliquot atque vocalium, lectionem fortaſſe veriorem habuit hoc modo: נִאֲנִי נִסַּכְתִּי מַלְכּוֹ עַל צִיּוֹן הַר קָדְשׁוֹ; nam in lectione hodierna Vau dictionis וַאֲנִי aliquam difficultatem præbet lectoribus, quamvis utranque lectionem defendere poſſimus, quæ nec ſenſum variat, nam idem eſt conſtituere, & conſtitui regem. Conſulas tamen velim ea, quæ ſcripſimus in commentariis ſuper hoc verbo נסך, quod inaugurandi verbo non inſulſe penitus transferri poteſt. Hebræus igitur ad verbum habet: וַאֲנִי נָסַכְתִּי מַלְכִּי עַל צִיּוֹן הַר קָדְשִׁי. Et ego inauguravi regem meum, &c. Deum inducit loquentem poetice. Noſtris vero Chriſtus loquitur. *Sanctum*. Hebræus ſubſtantivo nomine, & ge-

& genitivo, de more linguæ: Super montem ſanctitatis meæ. Mons ſanctitatis Dei eſt, in quo requieſcit illius ſanctitas, & reverentia.

7. *Prædicans*. Translatio ſenſus. Hebræus futuro: Narrabo, narrando prædicabo. *Præceptum*. Non longe aliter Hebræus decretum, ſtatutum, ordinationem. *Ejus*. Noſtri videntur punctis immutatis legiſſe אֵל, & ob id LXXII. prius tranſtulerunt, *διαγγέλλων τὸ πρόσταγμα κυρίου*, & dein Vulgatus, præceptum ejus, Dei ſcilicet, quod nunc Hebræis eſt אֶל, Ad decretum. Et quidem Hebræa lingua non ſolet præponere genitivum nomini, a quo regitur, prout in Grammaticis rebus indicatur, quod notes. Narrare ad decretum, duplicem habet ſenſum, nam vel eſt idiotiſmus elegans, pro, ex præſcripto narrare, tibimet, ut narres, præſcribere; vel eſt ſimplex locutio, narrare ad decretum, ſupple Dei, ideſt ordinationem ejus evulgare; nam verbum hoc conſtruitur etiam cum præpoſitione Ad, ſatis eleganter, quæ latine vacat. Hinc arbitror, Græcum, *Domini*, & Vulgatum, *ejus*, de ſuo ad declarationem addidiſſe, legentes interim אֵל, ut nunc etiam conſtanter habetur. Et quidem, cetera Chriſti verba ſunt disjungenda a ſuperiori verſiculo juxta Hebræum, ut clarior fiat ſenſus; nam ſtatim ſubinſertur decretum ei dictum a Domino, *Filius meus* ſcilicet, & quæ ſequuntur. *Es*. Additum ex ſermonis conſequentia. *Ego hodie*. Chriſti generationem tam æternam, quam temporariam ex virgine velim intelligas. Hodie, præſentem vitam exprimit, & inſuper æternitatis eſt ſymbolum, in qua nulla dierum viciſſitudo. Poſſet etiam ad reſurrectionem Chriſti pertinere, propter quam verus Dei filius eſt cognitus.

8. *Tibi*. Ad declarationem additum. *Terminos*. Fines, extremitates, ubi terminatur, & deficit terra. Gentium electio prædicitur.

9. *Reges*. Vulgatus Græcum ſecutus, qui habet *ποιμανεῖς*, ſic tranſtulit, & uterque videtur legiſſe punctis immutatis facillimo vocis tranſitu, תְּרֵעֵם, reges, paſces eos, quod nunc Hebræis eſt, תְּרוֹעֵם, franges eos, veriori lectione forſitan, quæ confirmatur a ſequenti verbo, תְּנַפְּצֵם, frangendo diſperges; quamvis latinis etiam regere in virga ferrea ſit, ſceptro ferreo, rigido, cujus verbere conteratur inſolentia, dominium in aliquos, ut libitum eſt, exercere. *Ferrea*. Hebræus ſubſtantivo de more linguæ: ferri. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Vas*. Sic Hebræus, quamvis in nonnullis exemplaribus Græcis habeatur, *ὡς σκεύη*, tamquam vaſa, quaſi legerint in Hebræo כִּכְלֵי, punctis immutatis. Incredulis minatur pœnas.

10. *Intelligite*. Intellectum ſumite, prudenter agite. *Erudimini*. Correctionem malæ anteactæ vitæ recipite. *Qui judicatis*. Sic Hebræus participio: judicantes, judices. *Terram*. Hebræus Genitivo: terræ.

11. *Domino*. Hebræus accuſativo, de more linguæ: Dominum colite. *Ei*. Ad declarationem additum. *Cum*: Sic Hebræus: In; ſervire in timore, exultare in tremore, ſunt idiotiſmi ſatis noti.

12. *Apprehendite diſciplinam*. Ad verbum in Hebraico legitur: Oſculamini filium, quicquid dicant ceteri tergiverſantes, ut pervertant manifeſtiſſimam, eandemque abſolutiſſimam de Chriſto Jeſu ſententiam. Vulgatus autem ſecutus eſt Græcum habentem *δράξασθε παιδείας*, uterque vero Chaldaicam Paraphraſim eſt imitatus, quæ neſcio qua ratione habet קַבִּילוּ אוּלְפָנָא, *Capite doctrinam*: ſed verba Hebraica ita dilucida ſunt, ut neceſſum non ſit ea in dubium vertere, niſi malles, noſtros, quod vocula בַר plura ſignificet, ut habes in Theſauro, intellexiſſe; Oſculamini puritatem, & *ἐμφατικωτέρως* reddidiſſe: oſculamini, complectimini filium pure, excipite illum honorifice, amanter, & digne, cum plauſibus, & acclamationibus; quod ut rectius agatis, modum excipiendi prius ediſcite, ne pereatis, &c. ſed &c.

Ira-

Iraſcatur. Idem Hebræus futuro: iraſcetur; filius videlicet. Dei ſiquidem adhuc continuatur decretum; & hinc poſt, *Ego hodie genui te*, dignoſcitur Chriſti divinitas; cum tanti referat ira illius, ut cum iraſcatur, beati ſint confidentes in eo. Noſtris autem videntur, vatis, vel filii eſſe verba, & ob id, Dominus, de ſuo ad declarationem addunt. *Juſta*. Non habetur in Hebræo; ad declarationem a noſtris additum; niſi malles dicere, incuria librariorum ex margine, ubi forſitan a quopiam declarationis ergo poſitum fuerat, in textum relatum fuiſſe. *Pereatis*. Hebræus iterum futuro: Peribitis. *De*. Non habetur in Hebræo, ſubintelligendum nihilominus. *Cum*. Particula cauſativa pro, quoniam; & ſic etiam Hebræum כִּי varie ſumitur, ut in Theſauro. *Exarſerit*. Idem Hebræus futuro indicativi, nam cæteris modis verborum caret hæc lingua: Quia exardebit. *In brevi*. Videntur noſtri facillimo tranſitu Caph in Beth legiſſe בִּמְעַט, in minimo, tempore videlicet; quod nunc Hebræis eſt כִּמְעַט, ut parum, paulo poſt, cito, celeriter. Idem ſenſus. *Ira*. Hebræus: Naſus, & per tralationem ira. Perire via, & iram ardere, quales idiotiſmi ſint, expoſuimus in Theſauro. *Qui confidunt*. Vulgatus verbum hoc חסה, quod protectionem quærere, ad aliquid confugere, ſignificat, (vulgo *ricoverarſi*) verbo ſperandi, vel confidendi ſemper interpretatur, quod notes velim, ne ſæpius idem repetendum ſit. Hebræus participio, Confugientes. Idem ſenſus. Neque enim ad aliquem confugerem ob auxilium, niſi in eo confiderem.

PSAL-

PSALMUS III.

מזמור לדוד בברחו מפני אבשלום בנו׃	1. *Pſalmus Davidi in fugiendo ipſo a faciebus Abſalom filii ſui.*	1. Pſalmus David, cum fugeret a facie Abſalom filii ſui.
יהוה מה רבו צרי רבים קמים עלי׃	2. *DOMINE quam multiplicati ſunt tribulantes mei? Multi ſurgunt ſuper me.*	2. DOMINE quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? Multi inſurgunt adverſum me.
רבים אמרים לנפשי אין ישועתה לו באלהים סלה׃	3. *Multi dicentes animæ meæ, non ſalus ipſi in Diis. Selah.*	3. Multi dicunt animæ meæ, non *eſt* ſalus ipſi in Deo *ejus*.
ואתה יהוה מגן בעדי כבודי ומרים ראשי׃	4. *Et tu DOMINE clypeus pro me, gloria mea, & exaltans caput meum.*	4. Tu autem DOMINE ſuſceptor meus *es*, gloria mea, & exaltans caput meum.
קולי אל יהוה אקרא ויענני מהר קדשו סלה׃	5. *Voce mea ad DOMINUM clamabo, & reſpondit me de monte ſanctitatis ſuæ. Selah.*	5. Voce mea ad DOMINUM clamavi, & exaudivit me de monte ſancto ſuo.
אני שכבתי ואישנה הקיצותי כי יהוה יסמכני׃	6. *Ego jacui, & dormivi, expergefactus ſum, quia DOMINUS ſuſtentabit me.*	6. Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia DOMINUS ſuſcepit me.
לא אירא מרבבות עם אשר סביב שתו עלי׃	7. *Non timebo a myriadibus populi, qui gyrum poſuerunt ſuper me.*	7. Non timebo millia populi circundantis me; 8. exurge DOMINE, ſalvum me fac Deus meus.
קומה יהוה הושיעני אלהי כי הכית את כל איבי לחי שני רשעים שברת׃	8. *Exurge DOMINE, ſalvum me fac Dii mei, quoniam percuſſiſti omnes inimicos meos maxilla, dentes injuſtorum contriviſti.*	Quoniam *tu* percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſſa, dentes peccatorum contriviſti.
ליהוה הישועה על עמך ברכתך סלה׃	9. *DOMINO ſalus, ſuper populum tuum benedictio tua. Selah.*	9. DOMINI eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.

ANNOTATIONES.

Nota eſt hujus Pſalmi in ordine primi, quod ad literam attinet, inſcriptio, nempe de fuga Davidis ob filium. 2. Sam. 15. Deum interim, ut ſe, & populum ab inimicis defendat, uti facere conſuevit, precatur. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *Pſalmus*. Hebraicum מִזְמוֹר proprie eſt, Ode ad lyram, vel ad aliud inſtrumentum muſicale decantanda. Ψαλμὸς autem apud Græcos, ut ex ſcriptoribus Græcis apparet, eſt quidem carmen, ſed laſcivum, ut videre ſæpe eſt apud Plutarchum. Hymni potius dicuntur, qui in honorem Dei canuntur. Sed ab his, quæ jam recepta ſunt, non eſt facile diſcedendum, niſi res gravioris momenti ſit. *David*. Hebræus dativo: Davidi. Lamed autem tam dativo, quam genitivo ſervire, docetur in Grammatica.

Cum

Cum fugeret. Idem Hebræus gerundio, ſuo loquendi tropo: In fugiendo ipſo. *A facie*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: A faciebus, propter. Fugere a facie alicujus, eſt Hebraiſmus ſatis notus, de quo in Theſauro.

2. *Quid*. Hebræus *Quam* admirantis, non *quid* interrogative; quamvis hęc minimi momenti ſit variatio. Particula מָה varie uſurpatur, ut in Theſauro. *Qui tribulant me*. Hebræus nomine: Tribulantes mei. Satis commoda, etſi parum latina translatio: Moleſtiam mihi afferentes, affligentes, anguſtiam facientes. *Inſurgunt*. Pro ſimplici poſitum. *Adverſum*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: ſuper. Surgere ſuper aliquem, Hebraiſmus notus.

3. *Dicunt*. Hebræus participio: Dicentes; ſupple, ſunt. *Animæ meæ*. Vel, de anima mea, de me ipſo, nam verbum dicendi uſurpatur utroque modo. Conſule Theſaurum. *Eſt*. Additum ex ſermonis conſequentia. *In Deo*, vel per Deum. Hebræus pluraliter, ritu linguæ: In Diis, vel per Deos. Jurandi modus Hebraicus. *Ejus*. Ad declarationem additum. Hebræus autem addit hic particulam סֶלָה, quæ ter legitur in hoc pſalmo, & eam omnes diverſimode ſunt interpretati; pauci vero (ne dicam nullos) certo ſciunt, quid ſignificet, ut videre potes in noſtro Theſauro, ad radicem סָלַל. Ego poſt omnium ſententias arbitror, elevationem, ut proprius eſt vocis ſenſus, ſignificare; qua dictione ſoli Poetæ uſi ſunt, tanquam notula indicante locum altioris in cantu vocis, ubi cum perventum fuerat, organa tantum pulſabantur, cantoribus interim ſilentibus, & fortaſſis hinc *ſol la* ad muſicos fluxit. Græcus habet διάψαλμα, quod rhythmi commutationem interpretantur.

4. *Suſceptor*. Defendendi, & protegendi gratia. Vulgatus Græci, is vero Hebræi ſenſum tranſtulit, non verbum; qui habet: Clypeus pro me, quo protegor videlicet. Hinc Græco ἀντιλήπτωρ, adjutor, defenſor, ad inſtar clypei; & Vulgato Suſceptor, ut protegat. Exaltare caput, modus loquendi Hebraicus, de quo in Theſauro.

5. *Clamavi*. Hebræus idem futuro: clamabo, clamabam. *Exaudivit*. Hebræus; Reſpondit. Quod auditus ſignum eſt, quamvis hoc minimum referat. *Sancto ſuo*. Hebræus ſubſtantivo, de more linguæ: ſanctitatis ſuæ. Cælum, vel templi montem intellige.

6. *Dormivi*. A fine translatio. Hebræus: jacui, ſecure, ſine metu, ut dormirem. Quidam Græci codices legunt hic ἐγὼ δὲ, quam conjunctionem nec Hebræus, nec Vulgatus nunc habet. *Soporatus ſum*. Dormivi, ſomnum cepi. *Et*. Non habetur in Hebræo, ſed nec in vulgatis Græcis, licet habeatur in Vaticano libro ſic: καὶ ἐξηγέρθην. *Exurrexi*. Idem Hebræus fere: Expergefactus ſum. *Suſcepit*. Suſtendandum, & protegendum. Translatio ſenſus, ut ſupra verſ. 4. Hebręus futuro: ſuſtentabit; ut in utramque aurem dormire poſſim, donec ſurgam placide.

7. *Millia*. Non longe aliter Hebręus: A myriadibus. Conſule Theſaurum. *Circumdantis me*. Satis commode expreſſit Hebraicum ſenſum, qui ſic habet, ſuis loquendi tropis: Qui gyrum poſuerunt ſuper me; ne poſſem evadere ſcilicet.

8. *Deus meus*. Hebræus pluraliter ut ſupra: Dii mei. *Tu*. Additum ex ſermonis intelligentia. *Adverſantis mihi*. Suſpicor, Noſtros olim in ſuo textu Heth in Mem converſo, ſic habuiſſe, אֹיְבִים לִי, hoſtes (quos adverſantes appellant) mihi, quod nunc Hebræis eſt, אֹיְבַי לֶחִי, inimicos meos maxilla. *Sine cauſſa*. Græcum ſecutus eſt Vulgatus, qui de ſuo ad declarationem ματαίως addidit, ideſt fruſtra, temere adverſantur mihi. Neque enim mihi fas eſt credere, quod nunc eſt לֶחִי maxilla, olim lectitari לְחִנָּם, cum vix Hebraicus eſſet iſte dicendi modus, ut hujus linguæ doctioribus manifeſtum fiet, ſi ad אֹיְבַי, hoſtes meos, diligenter attenderint. Non recte vero Genebrardus Apocopen poeticam eſſe dicit, לֶחִי

pro לחנם, quum talem apocopen nuſquam in Bibliis videre liceat: neque חנם, quod dicitur quaſi מחן, de gratia, cum jod vel lamed addito reperies, quæ duo regulis Grammatices potius adverſantur, tantum abeſt, ut apocopen iſtam Genebrardi adjuvent. Quin & Chaldaica translatio pro לחי, habet, לסתהון, & Syriaca בביהון quæ binæ voces maxillam ſignificant. *Peccatorum*. Hebræus: Injuſtorum. Non magni ponderis varietas.

9. *Domini*. Idem Hebræus dativo: **Domino. Lamed utrique caſui deſervire,** jam diximus. *Eſt*. Additum ex ſermonis conſequentia. *Et*. Non habetur in Hebræo, quod additum in cauſſa fuit, ut Vulgatus ſic interpretaretur; cujus eſt ſenſus: Domini eſt ſalvare, & populo ſuo benedicere, hoc ei eſt proprium, non alterius. Verum Hebraicus ſenſus alius eſt, nempe ſalutem Domini eſſe benedictionem ſuper populum: hoc eſt, favore non minimo Deum proſequi populum ſuum, hinc dignoſcitur, cum illi ſcilicet præſens adeſt, auxiliatur, & ſervat.

PSALMUS IV.

למנצח בנגינות מזמור ל לדוד:	1. *Præpoſito in pulſationibus, Pſalmus Davidi.*	1. In finem in carminibus, Pſalmus David.
בקראי ענני אלהי צדקי בצר הרחבת לי חנני ושמע תפלתי:	2. *In vocando me reſponde me Dii juſtitiæ meæ, in anguſtia dilataſti mihi, miſerere mei, & audi orationem meam.*	2. Cum invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi. Miſerere mei, & exaudi orationem meam.
בני איש עד מה כבודי לכלמה תאהבון ריק תבקשו כזב סלה:	3. *Filii viri uſquequo gloria mea ignominiæ? diligetis* vanitatem (*inane*) *quæretis mendacium? Selah.*	3. Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?
ודעו כי הפלה יהוה חסיד לו יהוה ישמע בקראי אליו:	4. *Et ſcitote, quod ſegregavit DOMINUS pium ſibi, DOMINUS audiet in clamando me ad eum.*	4. Et ſcitote, quoniam mirificavit DOMINUS ſanctum ſuum, DOMINUS exaudiet me cum clamavero ad eum.
רגזו ואל תחטאו אמרו ב בלבבכם על משכבכם ודמו סלה:	5. *Iraſcimini, & ne peccabitis, dicite in corde veſtro, ſuper cubili veſtro, & ſilete. Selah.*	5. Iraſcimini, & nolite peccare, *quæ* dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.
זבחו זבחי צדק ובטחו אל יהוה:	6. *Sacrificate ſacrificia juſtitiæ, & confidite ad DOMINUM.*	6. Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in DOMINO; 7. multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?
רבים אמרים מי יראנו טוב נכה עלינו אור פניך יהוה:	7. *Multi dicentes, quis videre faciet nos bonum? experire ſuper nos lumen faciecum tuarum DOMINE.*	Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui DOMINE,

8. de-

נתתה שמחה בלבי מעת דגנם ותירושם רבו׃	8. *Dediſti lætitiam in corde meo a tempore frumentum eorum, & muſtum eorum multiplicata ſunt.*	8. dediſti lætitiam in corde meo. A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.
בשלום יחדו אשכבה ואישן כי אתה יהוה לבדד לבטח תושיבני׃	9. *In pace ſimul cubabo, & dormiam, quoniam tu DOMINE ſolitudini fiduciæ ſedere me facies.*	9. In pace in idipſum, dormiam, & requieſcam. Quoniam tu DOMINE ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

ANNOTATIONES.

ELeganti, & ornato carmine declarat Providentiam, quam Deus Optimus Maximus de ſuis fidelibus ſemper habet. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcas velim.

1. *In finem*. In Vulgatis libris legitur, εἰς τὸ τέλος ἐν ὕμνοις Ψαλμὸς τῷ Δαβίδ. Vaticanus autem codex habet, εἰς τὸ τέλος ἐν Ψαλμοῖς ᾠδὴ τῷ Δαβίδ: Theodoretus autem legit, εἰς τὸ τέλος Ψαλμὸς ᾠδὴ τῷ Δαβίδ. Videntur autem LXXII. & poſt eos Vulgatus legiſſe לָנֶּצַח Victoriæ: In finem, pro eo, quod nunc eſt לַמְנַצֵּחַ, Præfecto, præpoſito, de quibus dictionibus conſule Theſaurum, & vide ea, quæ ſcripſimus in commentariis hujus linguæ. Finis autem hic a לָנֶּצַח translatus alium ſenſum habet a סוֹף, vel קֵץ, ut videre potes in Theſauro, quod etiam atque etiam notes velim. *In carminibus*. Vox Hebræa proprie ſignificat pulſationem, quæ fit muſicis inſtrumentis, huncque intellectum Carminibus hoc loco tribuas. In pulſationibus. Vulgo *ſuono* dicitur. *David*. Dativi vel genitivi caſus, nam Lamed utrique deſervit, ut in Grammatica.

2. *Cum invocarem*. Hebræus gerundio, quod variis temporibus transferri poteſt: In vocando me. Dum clamo, voco. Vulgatus autem ſic tranſtulit, quia ſequens verbum tempore præterito legerat, quod nunc eſt imperativum. *Exaudivit*. Vulgatus punctis vocalibus immutatis legit עָנָנִי, quod nunc eſt עֲנֵנִי, reſponde me (mihi), quod exauditionis eſſe ſignum in ſuperiori Pſalmo diximus. *Deus juſtitiæ*. Hebræus pluraliter de more linguæ: Dii juſtitiæ. Hebraiſmus, ut in Theſauro, pro Deus juſtitia mea, qui me juſtificat. *In tribulatione*. Satis commoda translatio, & ſi parum latina. Hebræus: In anguſtia corporis, & animi: In loco anguſto, in afflictione. Dilatare alicui in anguſtia, eſt phraſis Hebraica ſatis ornata, pro ex loco arcto, anguſto, & periculoſo, in latum educere, quo facile, & ſine periculo poſſit evadere. *Exaudi*. Auſculta.

3. *Hominum*. Hebræus ſingulariter collective: Viri, quod nomen ab אָדָם, homine, nonnihil differt, ut in Theſauro diximus. *Gravi corde &c.* Nota jam eſt omnibus hujus verſiculi diverſa translatio, cujus varietatis cauſſam non minimum admiror, cum hic non agatur de fidei Chriſtianæ dogmate aliquo, ut ſuſpicandum ſit, Hebræorum malitia ſententiam fuiſſe corruptam. Noſtri mutatis quibuſdam literis, & punctis vocalibus videntur hoc modo legiſſe עַד מֶה כִּבְדֵי לֵב לָמָּה תֶּאֱהָבוּן רִיק וגו׳. Uſquequo gravi corde, ſupple eritis? ut quid diligetis? &c. pro eo, quod nunc Hebræus habet: עַד מֶה כְבוֹדִי לִכְלִמָּה; Uſquequo gloria mea ignominiæ, ſupple erit? Ubi ſemel notatum eſto, Hebræos paſſim loqui cum Eclipſi verbi ſubſtantivi, vel ejus loco

 uſur-

uſurpare pronomina, ut in Grammatica docuimus. Videat nunc prudens Lector ex ſuperioribus verbis Davidis, & ex ſequentibus, utra lectio purior, aptiorque ſit, & ſciat interim, Interpretes ex hodierno כְּבוֹדִי, Glorla mea, legiſſe כְּבֵדִי, Graves, & ex לִכְלִמָּה unica dictione, quam ad verbum, ignominiæ, interpretamur, illos diviſam, & ex Caph Beth facto, legiſſe לֵב לָמָּה, ideſt, Corde, ut quid. *Diligitis*, *quæritis*. Hebræus futuro: Diligetis, quæretis. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Vanitatem*. Idem Hebræus, Inane, rem inanem, vanam. Amare vanitatem, & quærere mendacium ſunt idiotiſmi ſatis noti, ut in Theſauro. De *Selah*, quod bis legitur in hoc Pſalmo, in præcedenti diximus: ibi vide.

4. *Mirificavit*. Hebræus: ſegregavit, ſeparavit. Noſtri putarunt, verbum Hebræum הִפְלָה eſſe idem, quod הִפְלִיא, quos etiam poſſumus defendere, ut dicamus, He loco Aleph poſitum eſſe, quod nequaquam abſurdum eſt, & hujuſmodi litterarum mutationes ſæpius in Scriptura fiunt. Idem inſuper ſenſus fere eſt, mirificare aliquem, & ſegregare, uti mirificum, vel ut mirifices. *Sanctum*. Vox Hebræa duplici modo poteſt intelligi, active ſcilicet, ut ita dicam, & paſſive, in quo ſenſu ultimo hic ponitur, pro viro nempe illo, in quem beneficia quis confert. Hunc beneficia divina acceptantem Vulgatus ſanctum, nec inſulſe, nominat. *Suum*. Hebræus dativo: ſibi. Ut ſit ſuus, vel qui eſt ſuus, ut Vulgatus habet. *Exaudiet*, pro ſimplici audiet, poſitum. *Me*. Ad declarationem additum. *Cum clamavero* Hebræus gerundio, ut ſupra verſ. 2. In clamando me.

5. *Iraſcimini*. Verbum Hebræum habet etiam aliud ſignificatum, ut in Theſauro, quas binas ſignificationes hoc loco peroptime quadrare dixerim. *Nolite peccare*. Idem Hebræus futuro, ſuo loquendi modo: Et ne peccabitis. *Quæ*. A noſtris ad declarationem additum, quod nonnihil variat ſenſum, licet hoc minimi ponderis eſſe putem. *Dicitis*. Hebræus imperativo: dicite. *In cordibus veſtris*. Idem Hebræus ſingulariter: In corde veſtro. Dicere in corde, Hebraiſmus, ideſt cogitare. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In cubilibus veſtris*. Hebræus iterum ſingulariter: ſuper cubili veſtro. *Compungimini*. Sic LXX. *κατανύγητε* ſenſum potius, quam verbum reddentes habent, hoc eſt, dolete, ab his deſiſtite, ea ne perficite. Hebræus vero conjunctionem, *Et*, addens habet. Et tacete, ideſt, quæ cogitaſtis, in cor ipſum comprimite, egredique non patiamini.

6. *Sacrificium*. Hebræus plurali numero ſacrificia dicit. Sacrificia juſtitiæ eſt Hebraiſmus, ideſt juſta. *Sperate*. Hebræus: confidite. Idem ſenſus, nam & fidentes ſperant. *In Domino*. Hebræus ſuo loquendi modo: Ad Dominum.

7. *Dicunt*. Idem Hebræus participio: Dicentes, ſupple, ſunt. *Oſtendit nobis*: Sic Hebræus futuro: Videre faciet nos. *Bona*. Hebræus ſingulariter collective: Bonum. Oſtendere bonum, eſt phraſis Hebræa in commentariis declarata. Videtur tamen nonnihil diſcriminis eſſe inter hoc, & videre facere bonum, ut ad verbum Hebræus habet, quod notes velim. Illud etiam obſerves hoc loco, ne ſemper idem repetendum ſit, nos in tranſlatione noſtra, ſententiarum, & verſiculorum diſtinctiones ponere juxta id, quod nunc in Hebræo legitur, ita ut facile ſit cuilibet intuenti dignoſcere, quibus in locis ab eo noſtri diſcrepent, ut hic videre potes. *Signatum eſt*. Arbitror, noſtros punctis vocalibus immutatis legiſſe נִסָּה a נֵס, ſigno, vocem derivantes, quæ nunc eſt נַסָּה, experire, experimentum fac; niſi malles, eos Samech, loco Sin, poſitum eſſe, (ut nonnunquam fit) crediditſe; tunc ſiquidem translatio ſenſus eſſet, elevatum eſt; ſi legerint נְסָה, vel Eleva, ex lectione Hebræorum hodierna. Quid enim aliud eſt, elevare, vel elevari ſuper aliquid, quam ſigna-

ſignare, vel ſignari, ideſt tamquam ſignum poni? Idem pene deſignatur alia phraſi hodierna, quæ eſt, experiri lucem ſuper aliquem, ſi paulo diligentius attendas, ut annotavimus in Theſauro. *Lumen*: lucem, favoris & benevolentiæ ſymbolum. Conſule Theſaurum. *Vultus tui*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Facierum tuarum. Favorem, gratiam, & benignitatem tuam multi expetunt, quam equidem illis non invideo.

8. Dare lætitiam in corde, eſt idiotiſmus ſatis notus. *A fructu &c.* lxxii. multiplicationem hominibus attribuunt, quam Hebræus non illis, ſed frugibus dat, licet idem ſenſus ſit, multiplicare frumento, & frumentum augeri, quod notes velim, nam a fructu idem fere eſt, ac ſi dicas a frugum tempore, niſi malles noſtros ex Ain Pe facto, & Thau in Reſc, & Jod diſtracto, legiſſe כפרי, a fructu; quod nunc Hebræis eſt מעת, a tempore. Eclipſis Genebrardi hic ſuperflua eſt. Senſus enim eſt: tempore, quo fruges eis, opeſque multas præbes, lætitia me afficis non minima, nec invideo, ut tua in ipſos beneficia conſiderantes reſipiſcant, & me deſiſtant proſequi. Lætitiæ tamen ſcopus eſt ſolum, ut reſipiſcant, cum interim ego ſub tua tutela ſecurus ſim ab illorum inſidiis. *Frumenti*. Vox Hebræa generalis eſt ad omnes aridorum fruges, frumenti, milii, hordei, fabæ, & hujuſmodi. *Vini, & olei*. Alia vox generalis ad omnes liquidorum fruges, ut vini, olei, & hujuſmodi. Nos muſtum ſic intelligendum interpretati ſumus. Tota periodus Hebræa ſic habet. Dediſti lætitiam in corde meo ex tempore (quo) frumentum eorum, & muſtum eorum aucta ſunt.

9. *In idipſum*. Obſcure Vulgatus dixit, quemadmodum & Græcus ἐπί τὸ ἄυτο, quaſi in idem, ideſt, ſimul cum eis, quamtumvis hoſtibus, & cetera. Vox Hebræa frequens eſt in pſalmis, &, ſimul, una, pariter ſignificat; & eſt ſenſus: Non tantum accumbam, ſed & dormiam pacifice, quoniam, &c. Neque enim omnes, qui recubant, dormiunt. *Dormiam*. A fine, ut ſupra pſal. 3. *6*. Hebræus: Cubabo. *Requieſcam*. Hebræus: Et dormiam. Nullius momenti varietates. *Singulariter*. Hebræus ſuo loquendi tropo: ſolitudini, ideſt ſolus. Græcus etiam κατα μόνας, ſine alio, ſolus. *In ſpe*. Hebræus datiuo, adverbii loco: Fiduciæ; audacter, quod ſine ſpe non fit. *Conſtituiſti me*. Hebræus futuro: Manere, ſedere, habitare me facies. Phraſis Hebræa. Te ſolo duce audacter permanebo.

PSAL.

Digitized by Google

PSALMUS V.

למנצח אל הנחילות מזמור לדוד :

אמרי האזינה יהוה בינה הגיגי ;

הקשיבה לקול שועי מלכי ואלהי כי אליך אתפלל :

יהוה בקר תשמע קולי בקר אערך לך ואצפה :

כי לא אל חפץ רשע אתה לא יגרך רע:

לא יתיצ־ו הוללים לנגד עיניך שנאת כל פעלי און:

תאבד דברי כזב איש דמים ומרמה יתעב יהוה :

ואני ברב חסדך אבוא ביתיך אשתחוה אל היכל קרשך ביראתך :

יהוה נחני בצדקתך למען שודרי הושר לפני ודבך :

כי אין בפיהו נכונה קרבם הוות קבר פתוח גרנם לשונם יחליקון:

האשימם אלהים יפלו מ ממעצותיהם ברב פשעיהם הדיחמו כי מרו בך :

1. *Præfecto ad Nebiloth, Pſalmus Davidi.*

2. *Dicta mea auſculta DOMINE, intellige meditationem meam.*

3. *Attende voci clamoris mei, Rex meus, & Dii mei, quoniam ad te orabo.*

4. *DOMINE, mane audies vocem meam, mane inſtruam tibi, & ſpeculabor.*

5. *Quoniam non Deus volens injuſtitiam tu, non habitabit te malus.*

6. *Non aſtabunt gloriabundi oppoſito oculorum tuorum, odiſti omnes operatores iniquitatis.*

7. *Perdes loquentes mendacii, virum ſanguinum, & fraudis abominabitur DOMINUS.*

8. *Et ego in multitudine pietatis tuæ veniam domum tuam, adorabo ad templum ſanctitatis tuę in timore tuo.*

9. *DOMINE deduc me in justitia tua propter inſpectores meos, dirige faciebus meis viam tuam.*

10. *Quoniam non in ore ejus aptum, intimum eorum infortunia, ſepulchrum apertum guttur eorum, linguam ſuam mollem reddent.*

11. *Devaſta eos Dii, cadent a conſiliis ſuis, in multitudinem prævaricationum eorum impelle eos, quoniam contrafecerunt in te.*

1. In finem pro ea, quæ hæreditatem conſequitur, Pſalmus David.

2. Verba mea auribus percipe DOMINE, intellige clamorem meum.

3. Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo, 4. DOMINE mane exaudies vocem meam.

Mane aſtabo tibi, & videbo; 5. quoniam non Deus volens iniquitatem tu *es*.

Neque habitabit *juxta* te malignus; *6.* neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.

Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem; 7. perdes *omnes*, qui loquuntur mendacium.

Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur DOMINUS, 8. ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.

Introibo *in* domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

9. DOMINE deduc me in juſtitia tua propter inimicos meos, dirige in conſpectu tuo viam meam.

10. Quoniam non *eſt* in ore eorum veritas, cor eorum vanum *eſt*.

Sepulchrum patens *eſt* guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, 11. judica illos Deus.

Decidant a cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te *DOMINE*.

12.

Google

וישמחו כל חוסי בך לעולם ירננו ותסך עלימו ויעלצו בך אהבי שמך:

12. *Et lætabuntur omnes confugientes in te, æterno orabunt, & proteges ſuper eos, & exultabunt in te amantes nominis tui.*

12. Et lætentur omnes, qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, 13. quoniam tu benedices juſto.

כי אתה תברך צדיק יהוה כצנה רצון תעטרנו:

13. *Quoniam tu benedices juſtum DOMINE, ut ſcuto voluntate tua coronabis eum.*

DOMINE ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ, coronaſti nos.

ANNOTATIONES.

ELeganti carmine Deum injuſtos malis, juſtos bonis afficere decantat. Notes autem ex te ipſo velim ſententiarum diſtinctiones diverſas, non tantum hoc pſalmo, ſed ubicunque eſſe contigerit; ne ſemper id nobis repetendum ſit, ut ſuperius diximus. Hinc etenim ſæpius mutantur ſenſus, & variatur ordo.

1. *In finem*. Hebræus: præfecto; de qua voce ſuperius diximus. Quidam Græci codices hac dictione carent. *Pro ea, quæ hæreditatem conſequitur*. Hebræus: Ad, ſuper Nehiloth. Vulgatus autem ſenſum dictionis Hebraicæ, quæ muſicum inſtrumentum denotat, ut habes in Theſauro, tranſtulit, quamvis nomen Hebræum plurale ſit, non ſingulare, & ad verbum, Ad, vel ſuper hæreditates, pro hæreditatibus conſequendis videlicet, transferri poſſet. *David*. Dativi caſus, ut ſupra.

2. *Verba mea*. Non aliter Hebræus: Dicta mea; quæ dico. *Clamorem meum*. Quem ſcilicet in oratione mea profundo: ad hunc enim modum etiam הֲגִיגִי Hebræum, ideſt meditationem, velim intelligas. LXXII. ſenſum potius quam verbum interpretati ſunt, quemadmodum frequenter faciunt.

3. *Intende*. Sic Hebræus: attende, auſculta. *Orationis meæ*. Hebræus: clamoris mei, quem orans efficio videlicet: *Deus meus*. Hebræus pluraliter, ut ſupra: Dii mei.

4. *Exaudies*. Pro ſimplici Audies poſitum. *Aſtabo tibi, & videbo*. Idem fere ſenſus in Hebræo: Ordinabo tibi (me ipſum ſcilicet, vel orationem) & ſpeculabor: intentus exaudiri expectabo. Exprimit actum ſpectantis hinc inde, ſi videat, quod expectat. Vulgatus, videbo, utpote certus quod me exaudies, dixit. Quidam Græci codices habent καὶ ἐπόψῃ με, & videbis me; ſed verior lectio eſt ἐπόψομαι, quæ convenit cum Hebræo.

5. *Iniquitatem*. Hebræus Injuſtitiam. Modica, vel nulla ſenſus immutatio. *Es*. Additum ex ſermonis conſequentia. *Neque*. In Hebræo non habetur conjunctio. *Juxta*. Non habetur in Hebræo, quod parum, vel nihil refert. *Malignus*. Vox Hebræa malum maſculino, & neutro genere ſignificat. Vide Theſaurum.

6. *Neque*. Hebræus non habet conjunctionem. *Permanebunt*. Idem Hebræus fere: Aſtabunt, ſe collocabunt. *Injuſti*. Hebræus: gloriabundi. Gloriabundos illos, qui bona tum corporis tum animæ non Deo, ſed ſibimet ipſis accepta referunt, injuſtos, & bene quidem, Vulgatus nominat. *Ante oculos tuos*. Sic Hebræus Dativo ſuo loquendi tropo: Oppoſito, ad oppoſitam partem oculorum tuorum, coram oculis tuis. *Qui operantur iniquitatem*. Sic Hebræus participio: Operantes, operatores iniquitatis.

7. Omnes

7. *Omnes.* Ad declarationem additum. *Qui loquuntur mendacium.* Idem Hebræus participio: Loquentes, locutores mendacii. *Virum ſanguinum.* Idiotiſmus: Homicidam. *Doloſum.* Sic Hebræus ſubſtantivo: fraudis, fraudulentum.

8. *Miſericordiæ.* Hoc loco notes velim, Vulgatum dictionem חֶסֶד, miſericordiam ſemper transferre, quamvis nonnihil differant inter ſe hæc radix, &, חָסָם, pro quibus ad Theſaurum noſtrum te remittimus. Hebræus igitur habet, pietatis. *Introibo.* Sic Hebræus: Veniam. *In.* Non habetur in Hebræo, licet ſubintelligatur, in, vel ad. *Sanctum tuum.* Idem Hebræus ſubſtantivo: ſanctitatis tuæ, qua fideles ingredientes ſanctificas. Venire in multitudine pietatis, eſt idiotiſmus, pro ſolius pietatis abundantia, & copia, non propriis virtutibus confiſus.

9. Ducere in juſtitia, Hebraiſmus, pro fac, ut juſtitiam tuam ſecter. *Inimicos,* ſic Hebræus. Inſpectores, in malam partem; qui obſervant omnes operationes meas, ut eas poſtea traducant in vulgus; ut veriſſima ſit illa ſententia, nos aliquando majorem fructum ex inimico, quàm ex amico reportare; amicus enim connivet in pluribus, inimicus vero minima quæque diſcutit, & obſervat. *Dirige &c.* Eadem ſententia cum Hebræa, mutatis tantum pronominibus, ut facile videre potes. Et quidem in aliquibus noſtrorum exemplaribus legitur, Κατεύθυνον ἐνώπιόν μου τὴν ὁδόν σου, quod convenit cum Hebræo, & antiquis codicibus latinis, qui habent: dirige in conſpectu meo viam tuam. Idem tamen ſenſus ſemper eſt, ut diximus, nam cum via Domini nobis eſt recta, & via noſtra Deo recta eſt. *In conſpectu.* Hebræus dativo ſuo loquendi modo: Faciebus meis. Dirigere viam Dei, quæ alioquin per ſe recta eſt, ante aliquem, eſt, facere, ut ei recta videatur, & per eam incedat, nam improbis videtur tortuoſiſſima. Nomen autem viæ uſurpatur varie, ut in Theſauro.

10. *Eſt.* Quod bis legitur in hoc verſiculo, additum eſt ex ſermonis conſequentia, de more linguæ. *In ore eorum.* Hebræus ſingulariter collective. Illius, ideſt, uniuſcujuſque; quod Vulgatus clarius tranſtulit, & fortaſſis olim etiam legebatur בְּפִיהֶם: facillimo vocis tranſitu. *Veritas.* Hebræus: aptum, rectum. Minima varietas, nam veritas, & rectum parum differunt. *Cor.* Translatio ſenſus per ſynecdochen. Hebræus: intimum eorum: cor, & alia hominis interiora omnia, quorum caput cor eſt. *Vanum.* Suſpicor, noſtros aliter legiſſe, quam nunc Hebræus, &, ſi licet conjectare, fortaſſis olim habebatur, חֶבֶל, Vanitas, pro eo quod nunc eſt הַוּוֹת, corruptiones, infortunia: active. Vanum refertur ad cor ſolummodo; inſortunia vero ſic ad intimum referuntur, ut etiam aliis noceant, quod ſequentibus verbis, gutturis & linguæ congruit, ut facile videre potes. *Sepulchrum patens.* Apertum, ut excipiat. *Eſt.* Additum ut ſupra. *Linguis ſuis doloſe agebant.* Non aliter Hebræus fere, ſed ſingulari, & futuro. Linguam ſuam mollem reddent; ut decipiant videlicet: blandientur, adulatoria, doloſave loquentur.

11. *Judica.* In malam partem. Hebræus; devaſta, reos age, diſperde. *Deus.* Hebræus pluraliter, ut ſupra: Dii. *Decidant.* Hebræus futuro: cadent. *A cogitationibus ſuis.* Non aliter Hebræus fere: A conſiliis ſuis. Mem præpoſitio varie transferri poteſt, ut in Theſauro. Hinc bini linguæ ſanctæ exoriuntur idiotiſmi ſatis elegantes, cadere a conſiliis, & propter conſilia, in Lexicis explicati. *Secundum.* Noſtri videntur facillimo tranſitu Beth in Caph legiſſe כְּרֹב, quod nunc Hebræis eſt בְּרֹב, in multitudinem. *Impietatum.* Sic Hebræus; Prævaricationum, ſcelerum. *Expelle.* Hebræus; impelle. Impellere in multitudinem prævaricationum, duos habet ſenſus pulcherrimos, vel in ipſas impietates impellere; ut ſibimet noxii ſint: vel cum Vulgato, in, ideſt ſecundum, propter ſcelera maxima eos ex-

pel-

pellere; quæ locutiones fiunt ex natura Beth, ut in Theſauro. *Irritaverunt*. Dum rebelles tibi ſunt, & contra ea, quæ tu præcepiſti, faciunt. Verbum Hebræum dictis, vel factis contrafacere ſignificat. *Te*. Hebræus addit præpoſitionem *in*, linguæ ritu. *Domine*. Ad declarationem additum.

12. *Lætentur*. Idem Hebræus futuro, quod varie transferri poſſe, diximus in Grammaticis. Lætabuntur, gaudebunt. *Qui ſperant*. Hebræus participio: Confugientes in te; quod non fit ſine ſpe, quemadmodum ſupra Pſalm. 2. ad verſ. 12. dictum eſt. *In æternum*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Æterno, ſeculo. *Exultabunt*. Idem Hebræus fere: ovabunt, orantes lætitiam geſtis expriment. *Habitabis in eis*. Translatio ſenſus: Protegendo, & favorem tuum illis impertiendo videlicet. Hebræus poetice: tegere facies ſuper illis: Umbellam, qua protegantur, impones. *Gloriabuntur*. Ob ingentem lætitiam tripudiantes, & divinarum gratiarum enarrantes beneficia. Iterum translatio ſenſus. Hebræus: Exultabunt, tripudiabunt. *Omnes*. Ad declarationem additum. *Qui diligunt nomen tuum*. Idem Hebræus Participio: Diligentes, amatores nominis tui. *Juſto*. Hebræus accuſativo, ritu linguæ: Juſtum. Deum benedicere aliquem, eſt fortunare, maximis afficere bonis, & proſperitate. *Bonæ voluntatis*. Noſtri referunt ad ſcutum, quaſi legerint, כְּצִנַּת in regimine Chezinath, & ad declarationem addiderunt Bonæ, quod nunc Hebræis eſt in ſtatu abſoluto, כַּצִּנָּה, & ob id ad verbum referunt; Voluntate, benevolentia, favore. *Coronaſti*. Vulgatus, uti certus de voluntate divina, dixit præterito, quod tamen idem eſt futurum Hebræum: Coronabis. *Nos*. Videntur noſtri legiſſe, תַעְטְרֵנוּ ſine Dages, quod nunc eſt cum Dages, תַּעְטְרֶנּוּ; vel certe quod de uno juſto dicitur, ad omnes fideles juſtos adaptaſſe dicerem. Coronare, circundare aliquem voluntate, favore tamquam ſcuto, eſt Hebraiſmus ſatis notus, ut in Theſauro.

PSALMUS VI.

למנצח בנגינות על ה השמינית מזמור לדוד:	1. *Præpoſito in pulſationibus ſuper octava, Pſalmus Davidi.*	1. In finem in carminibus, Pſalmus David, pro octava.
יהוה אל באפך הוכיחני ואל בחמתך תיסרני:	2. *DOMINE ne in ira tua argues me, & ne in furore tuo corripies me.*	2. DOMINE ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.
חנני יהוה כי אמלל אני רפאני יהוה כי נבהלו עצמי:	3. *Miſerere mei DOMINE, quoniam infirmus ego, ſana me DOMINE, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.*	3. Miſerere mei DOMINE, quoniam infirmus ſum, ſana me DOMINE, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.
ונפשי נבהלה מאד ואת יהוה עד מתי:	4. *Et anima mea turbata eſt valde, & tu DOMINE uſquequo?*	4. Et anima mea turbata eſt valde, ſed tu DOMINE uſquequo?
שובה יהוה חלצה נפשי הושיעני למען חסדך:	5. *Revertere DOMINE, eripe animam meam, ſalvum me fac propter pietatem tuam.*	5. Convertere DOMINE, & eripe animam meam, ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

6. Quo-

כי אין במות זכרך בשאול מי יודה לך׃	6. *Quoniam non in morte memoria tui, in ſepulchro quis confitebitur te?*	6. Quoniam non *eſt* in morte, qui memor ſit tui, in inferno *autem* quis confitebitur tibi?
יגעתי באנחתי אשחה בכל לילה מטתי בדמעתי ערשי אמסה׃	7. *Laboravi in gemitu meo, natare faciam in omni nocte lectum meum, in lacrima mea ſtratum meum liquefaciam.*	7. Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.
עששה מכעס עיני עתקה בכל צוררי׃	8. *Corroſus eſt ab indignatione oculos meus, intumuit in omnes tribulantes me.*	8. Turbatus eſt a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.
סורו ממני כל פעלי און כי שמע יהוה קול בכיי׃	9. *Diſcedite a me omnes operatores iniquitatis, quoniam audivit DOMINUS vocem fletus mei.*	9. Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit DOMINUS vocem fletus mei.
שמע יהוה תחנתי יהוה תפלתי יקח׃	10. *Audivit DOMINUS ſupplicationem meam, DOMINUS orationem meam ſuſcipiet.*	10. Exaudivit DOMINUS deprecationem meam, DOMINUS orationem meam ſuſcepit.
יבשו ויבהלו מאד כלאיבי ישבו יבשו רגע׃	11. *Erubeſcent, & conturbabuntur vehementer omnes inimici mei, redibunt, erubeſcent momento.*	11. Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur, & erubeſcant *valde* velociter.

ANNOTATIONES.

VAletudinem malam oratione hac floſculis poetarum ſatis ornata depellere ſtudet.

1. *In finem &c.* Idem titulus eſt cum illo pſalmi quarti, præter id quod hic additur, pro octava. Hebræus habet: præfecto in pulſationibus ſuper octava, pſalmus Davidi. Communiori vero ſententia creditur, Octavam inſtrumentum muſicum, vel genus carminis ſignificare, ſicut habes in Theſauro.

2. *Ne in furore &c.* Vulgatus neſcio qua de cauſa iram & furorem invicem commutavit. Eſt enim ira furore minor, quod etiam melius ex dictionibus Hebraicis אַף & חֵמָה dignoſcitur. *Arguas*. Idem Hebræus futuro: argues, corripies. *Corripias*. Hebræus iterum futuro: corripies, corriges: verbo, vel reipſa caſtigabis. Vide Theſaurum.

3. *Sum*. Idem Hebræus pronomine, ritu linguæ: Ego; ſupple, ſum.

4. *Sed*. Sic Hebræus conjunctione, &, vim adverſativæ particulæ hic habente. *Uſquequo?* Apoſiopeſis. Supple, id patieris, vel quid ſimile.

5. *Convertere*. Ut redeas ad ferendam opem mihi pacatus. Hebræus redi, revertere. *Miſericordiam*. Ut transferunt noſtri. Hebræus pietatem.

6. *Eſt*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Qui memor ſit tui*. Apud mortuos non eſt, qui te commemoret, qui tui mentionem in bonum faciat, nulla eſt de tuo nomine commemoratio. Vulgatus punctis immutatis videtur legiſſe participio זֹכְרֶךָ, memor tui, quod nunc eſt nomen זִכְרְךָ, memoria tui; & ob id orationem ambiguam reddidit, quamvis nomen מָוֶת Hebræis, non tempus moriendi, ſed ſtatum mortuorum in altero ſeculo, ſignificet, quod notandum eſt. *In inferno*.

No-

Nomen Hebræum ſepulchrum & infernum ſignificat. Vide Theſaurum. Noſtri in ultimo ſenſu, Hebræus in primo accipit. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Quis confitebitur tibi?* Quis te celebrabit? laudabit? Sic enim fere ſemper interpretandum eſt verbum confitendi, ut, הוֹדָה Hebræo correſpondeat.

7. Laborare in gemitu eſt, gemitus, & ſuſpiria frequenter imo de pectore trahendo defatigari. *Lavabo*. Poeticam locutionem alia parum differenti tranſtulit. Hebræus: natare faciam. Tanta erat lacrymarum vis, & copia, ut lectulo lavando ſatis eſſent; vel etiam in ipſis natare poſſet. *Per ſingulas noctes*. Hebræus: in omni, vel tota nocte: parvum, aut nullum diſcrimen. *Lacrymis meis*. Hebræus addens præpoſitionem, in, ſingulariter collective profert: In lacryma mea. *Stratum*. Lectum. Vide Theſaurum. *Rigabo*. Translatio ſenſus. Hebræus ornatiori figura poetica ſignificantius habet: Liquefaciam.

8. *Turbatus eſt &c.* Hebræus: tineas produxit, tineis corroſus eſt, ab indignatione oculus meus: Propter furorem, propter indignationem infirmæ valetudinis cauſa ſuſceptam, quaſi a tinea corroſus, & turbatus eſt oculus meus. Vulgatus ſenſum faciliorem reddidit, nam idiotiſmus Hebræus magis poeticus, & obſcurior eſt, oculum ſcilicet ob indignationem tineas efficere. *Inveteravi*. Noſtri dant toto corpori, quod Hebræus ſoli oculo. Magis autem Hebræo concordaret, ſi legeremus: Inveteravit. Vulgatus LXXII. ſecutus eſt, qui, ἐπαλαιώθην habent ex ſignificatione Chaldaica hujus radicis, עתק quæ nihilominus ducitur ab Hebræa, quemadmodum in Theſauro diximus: ibi vide. Hebræus. Obduruit, intumuit. Inveteravit oculus meus, nimis diu inter inimicos perſtitit, verſatus eſt, ob nimiam inimicorum viſionem intumuit, & craſſior evaſit, dum nimiam habet conſuetudinem inter ea, quæ moleſtia non facile ferenda me afficiunt, ut ſunt febris, tuſſis, & hujuſmodi mala. Ad hæc ſiquidem ſpe erectus ſermone converſo, diſcedite, inquit, a me, &c. *Inter*. Sic Hebræus: In omnes; propter omnes. *Inimicos*. Idem Hebræus: propter tribulantes meos, affligentes me.

9. *Diſcedite*. Recedite. *Qui operamini iniquitatem*. Idem Hebræus participio: Operantes, operatores iniquitatis. Sic appellat morbos poetice. *Exaudivit*. Pro ſimplici audivit poſitum. Quidam Græci codices habent, ἤκουσε, & quidam, εἰσήκουσε. Sic etiam in ſequenti verſu. Et quidem audire Dei, & exaudire idem ſunt. Vox fletus, idiotiſmus; ideſt fletus maximus ſonitum efficiens non minimum.

10. *Deprecationem meam*. Qua ſupplex eum deprecor, ut morbum auferat, ſanitatem reddat. Hebræus ſupplicationem habet. *Suſcepit*. Vulgatus de bonitate Dei, qui nullum deprecantem abjicit, confiſus, ait; jam preces meæ ſuſceptæ ſunt, jam voti compos effectus ſum. Hebræus eadem fiducia per futurum protulit: ſuſcipiet, accipiet, non certe renuet.

11. *Erubeſcant, &c.* Omnia hæc verba ſunt futuri temporis in Hebræo, quæ tamen transferri poſſunt aliis temporibus, ut in Grammaticis rebus diximus, & præcipue ſicut Vulgatus egit. Videat hic prudens lector, variam nonnihil ſignificationem hæc verba per futurum, vel præſens ſubjunctivi tempus prolata reddere. Erubeſcent, conturbabuntur, convertentur, vel redibunt. *Vehementer*. Sic Hebræus: Valde. Quidam Græci codices habent hic, σφόδρα, quidam non, ſed rejiciunt illud ad ſequens verbum, erubeſcant, σφόδρα διατόχους, valde, velociter, quo loci non habetur in Hebræo. Vulgatus videtur ex diverſis Græcorum exemplaribus in utroque loco illud tranſtuliſſe, quamvis D. Hieronymus fateatur in editione vulgata non haberi vocem illam, vehementer. *Convertantur, erubeſcant*. Hebræus; ideſt, iterum erubeſcant. Conſule Theſaurum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Velociter*. Idem Hebræus momento, cito, ſubito.

PSALMUS VII.

שגיון לדוד אשר שר ליהוה
על דברי כוש בן ימיני :

יהוה אלהי בך חסיתי ה
הושיעני מכל רדפי והצילני :

פן יטרף כאריה נפשי פרק
ואין מציל :

יהוה אלהי אם עשיתי זאת
אם יש עול בכפי :

אם גמלתי שלמי רע ואחלצה
צוררי ריקם :

ירדף אויב נפשי וישג ו
וירמס לארץ חיי וכבודי לעפר
ישכן סלה :

קומה יהוה באפך הנשא
בעברות צוררי ועורה אלי
משפט צוית :

ועדת לאמים תסובבך ועליה
למרום שובה :

יהוה ידין עמים שפטני יהוה
בצדקי וכתמי עלי :

יגמר נא רע רשעים ותכונן
צדיק ובחן לבות וכליות א
אלהים צדיק :

מגני על אלהים מושיע ישרי
לב :

1. *Studium Davidi, quod cantavit DOMINO ſuper verbis Cuſi filii Jemini.*
2. *DOMINE Dii mei in te confugi, ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.*
3. *Nequando rapiet ut leo animam meam, diſcerpens, & non eripiens.*
4. *DOMINE Dii mei ſi feci hanc, ſi eſt iniquitas in volis meis.*
5. *Si rependi pacifico meo malum, & abſtuli tribulantem me vacue.*
6. *Perſequetur inimicus animam meam, & comprehendet, & conculcabit terræ vitas meas, & gloriam meam pulveri habitare facies. Selah.*
7. *Surge DOMINE in ira tua, exaltare in furores tribulantium me, & excitare ad me judicio,* quod *mandaſti.*
8. *Et ſynagoga populorum circundabit te, & ſuper eam alto revertere.*
9. *DOMINUS judicabit populos; judica me DOMINE ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.*
10. *Conſumet quæſo malum injuſtos, & aptabis, juſte & probans corda, & renes Dii juſte.*
11. *Clypeus meus ſuper Diis ſalvos faciente rectos corde.*

1. Pſalmus David, quem cantavit DOMINO pro verbis Chuſi filii Jemini.
2. DOMINE Deus meus in te ſperavi, ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.
3. Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat.
4. DOMINE Deus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis.
5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam *merito* ab inimicis meis inanis.
6. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.
7. Exurge DOMINE in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum. Et exurge *DOMINE* Deus meus *in* præcepto, *quod* mandaſti, 8. & ſynagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere, *9.* DOMINUS judicat populos.

Judica me DOMINE ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.

10. Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum, ſcrutans corda, & renes Deus.

Juſtum 11. adjutorium meum a DOMINO, qui ſalvos facit rectos corde.

12. De-

Digitized by Google

אלהים שופט צדיק ואל זעם בכל יום:	12. *Dii judex juſtus, & Deus indignans in omni die.*	12. Deus judex juſtus, *fortis, & patiens*, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?
אם לא ישוב חרבו ילטוש קשתו דרך ויכוננה:	13. *Si non converſus fuerit, gladium ſuum acuet, arcum ſuum tetendit, & paravit illum.*	13. Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum.
ולו הכין כלי מות חציו לדלקים יפעל:	14. *Et ſibi paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas perſequentibus efficiet.*	14. Et *in* eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.
הנה יחבל און והרה עמל וילד שקר:	15. *Ecce parturiet iniquitatem, & concepit laborem, & peperit mendacium.*	15. Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.
בור כרה ויחפרהו ויפל בשחת יפעל:	16. *Puteum excavavit, & effodit eum, & incidit in foveam*, quam *fecit.*	16. Lacum aperuit, & effodit eam, & incidit in foveam, *quam* fecit.
ישוב עמלו בראשו ועל קדקדו חמסו ירד:	17. *Convertetur labor ejus in caput ejus, & ſuper verticem ipſius injuria ejus deſcendet.*	17. Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.
אודה יהוה כצדקו ואזמרה שם יהוה עליון:	18. *Confitebor DOMINUM ſecundum juſtitiam ejus, & pſallam nomen DOMINI altiſſimi.*	18. Confitebor DOMINO, ſecundum juſtitiam ejus, & pſallam nomini DOMINI altiſſimi.

ANNOTATIONES.

IN Saulem invectiva, quem nomine Cus obſcure deſignat, ut omnium communior eſt ſententia. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcito.

1. *Pſalmus.* Vox Hebræa, שִׁגָּיוֹן, aliud ſignificat, ut habes in Theſauro: ibi vide. Nos ſtudium vertimus. Vulgatus ſenſum ſecutus eſt, quod parum refert. *David.* Dativi, vel genitivi caſus, prout Lamed utrique deſervit. *Pro.* Sic Hebræus ſuo modo: ſuper verbis proprie, vel actionibus; nam vox Hebræa large ſumitur. Conſule Theſaurum. *Cus.* Æthiops interpretatur. Noſtris Chuſi, quod idem eſt. Saulem, quaſi hominem atrum, & malum perſtringit.

2. *Deus meus.* Hebræus pluraliter ut ſupra, Dii mei. *Speravi.* Hebræus confugi, de quo verbo jam dictum eſt ſuperius Pſalmo 2. & alibi.

3. *Rapiat.* Hebræus idem futuro: Rapiet, diſcerpet. *Dum non eſt &c.* Arbitror, Vulgatum particula אִין addita legiſſe: וְאֵין פֹּרֵק וְאֵין בצִּיל: Nec ſit evellens, nec ſit eripiens; quam quidem lectionem non ſatis probare non poſſum, quamvis nec Hebræa hodierna penitus diſpliceat, etſi parum diverſa: Evellens, diſcerpens, Leo ſcilicet, & non ſit eripiens. Verbum פֹּרֵק varie ſumitur, ut in Theſauro.

4. *Deus meus.* Hebræus pluraliter ut ſupra; Dii mei. *Iſtud.* Hebræus idem feminino, nam caret neutro, ut in Grammaticis. *Hanc.* ſupple rem. *Manibus.* Sic Hebræus; volis, palmis.

5. *Reddidi.* Verbum Hebræum eſt μέσον, bonum, vel malum in aliquem deſignare, & retribuere ſignificans. Vide Theſaurum. *Retribuentibus mihi.* Noſtri videntur legiſſe, גֹּמְלַי, quod nunc Hebræis eſt ſingulare collectivum, שׁוֹלְמִי, pacifico meo, pacem habenti mecum. Ra-

dix

dix Hebræa quidem varias habet ſignificationes, ſed hæc præſens dictio communiori ſententia ex ſignificatione pacis deducitur: verum nec Vulgati ſenſus abjiciendus eſt. *Mala*. Idem Hebræus ſingulariter: Malum. *Decidam*. Suſpicor, Vulgatum alium textum ab eo, qui nunc Hebræis eſt, habuiſſe, vel certe ſaltem aliter legiſſe, nempe ſic punctis immutatis, וְאֶחָלְצָה, & evellar, extrahar, decidam. Genebrardus latinam vocem ſolam inſpiciens, optative exponit: ſim fruſtratus ſpe illos vincendi. Sed hæc ſatis vix facere poſſunt. Quin & lectionem Hebræam depravatam eſſe ſuſpicor, legendumque literis tranſpoſitis, וָאֲלַחֲצָה, vel certe וָאֲלַחֲצָה Et affeci moleſtia; nam ſenſus Hebræorum, auferendi, vel eripiendi ſcilicet, nimis coactus hoc loco videtur, niſi in malam partem acciperes: & abſtuli, eripui, ut interficerem. Hebræi vero: imo eripui. Sed & Chaldaica translatio וְדַחֲקִית, & impuli; Syra vero, צַלְצֵת, Moleſtia affeci, legunt. Ego, ut ingenue fatear, ſenſum literæ Hebraicæ ſimpliciſſimum eſſe judico, & duas illas vices, quibus Saulem a morte Davides eripuit, arbitror hic innui, quæ habentur 1. Sam. 24. & 26. ibi vide. Et ſi (inquit, per Zeugma repetendum, ut ſæpius fit in hac lingua) eripui &c. Hæc tamen omnia meliori judicio diſcutienda relinquamus, ſatis ſuperque locum indicaſſe contenti. *Merito*. Non habetur in Hebræo, ſed non abſurde penitus additum, ſi vim conjunctionis Hebraicæ, Et abſtuli, diligentius conſideraveris. *Inimicis meis*. Quaſi legerint noſtri צוֹרְרַי quod nunc Hebræis eſt ſingulare צוֹרְרִי, Tribulantem me, moleſtiam afferentem mihi, Saulem innuit; Vulgatus radicem צרה ſæpius ſic interpretatur, quod notes velim, ne ſemper idem repetendum ſit. *Inanis*. Sic Græcus, κενός Hebræus adverbio: Inanè, fruſtra. Hæc particula varie ſumitur, & hinc diverſi exoriuntur ſenſus, qui ſententiam obſcurant; nam tam verbo, quam nomini conjungi poteſt. Eripui hoſtem meum inanè, ideſt, qui fruſtra me afficit moleſtia, vel eripui inanè, quod ingratum ſervaverim. Hæc aliorum ſunt expoſitiones. Vel eripui fruſtra; non revera, ſed verbo tenus ſolummodo, levique de cauſa, cum potius graviſſimis de cauſis, quod ſcilicet Chriſtus Domini ſit, & vere liberaverim non occidens, nec a meis interfici patiens. Poſterior ſenſus, quamvis noſter, videtur eſſe ſimplicior, & literæ congruentior.

6. *Perſequatur*. Idem Hebræus futuro: Perſequetur. Græcus particulam, ἄρα, hic repetit. *Animam*. Proprie, vel Metonymice: Me ipſum. *Comprehendat*, *conculcet*. Sic Hebræus futuro: Comprehendet, conculcabit. *In terra*. Idem Hebræus dativo: terræ, humi. *Vitam meam*. Nomen Hebræum eſt plurale natura: Vitas meas, meipſum. *In pulverem*. Hebræus iterum dativo: Pulveri. *Deducat*. Ita ut ſemper illic habitandum ſit. Translatio ſenſus. Hebræus futuro: Habitare faciet, collocabit. Minimi momenti varietates. De Selah jam dictum eſt. Perſequi animam, comprehendere, conculcare terræ vitam, & collocare gloriam pulveri, ſunt idiotiſmi ſatis noti. Quid ſit autem gloria, conſule Theſaurum.

7. *Ira tua*, *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exaltare in finibus*. Regionibus, & quaſi tranſitibus hoſtium, eos ſubigendo, Radix עָבַר quidem tranſire ſignificat, ſed Hebræis nomen præſens aliud eſt, nempe ira, furor, qui pertranſit hominem, vel ob quem mutatur quis in alium virum: ut ira divina ſcilicet furori inimicorum hic opponatur. *Et exurge*. Excitatus ob preces, quas aſſidue fundo. Hebræus: excitare, expergiſcere. Minima variatio. *Domine*. A Noſtris ad declarationem additum. *Deus meus*. Vulgatus punctis immutatis legit, אֵלִי, Deus meus, quod nunc Hebræis eſt, אֵלַי ad me, mihi. *In*. Non habetur in Hebræo, ſubintelligendum nihilominus. *Præcepto*. Pro præcepto, propter legem, judicium. Præſta quod

quod faciendum aliis præcepiſti. Hebræus judicio. Nullius fere momenti varietas. *Quod*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum.

8. *Propter hanc*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Super eam: propter Synagogam, & cœtum fidelium. *In altum*. Sic Hebræus dativo: Alto. Deum redire alto ſuper aliquos, idiotiſmus; ideſt, propter eos evehi, & exaltari; nam gloria regis eſt frequens populus.

9. *Judicat*. Vulgatus tanquam certus de juſtitia Dei tempore præſenti futurum Hebræum explicat, quod tamen fere idem eſt: Judicabit. *Innocentiam*. Qua præditus tanquam integer, ſimplex, & perfectus judicium tuum expoſcere non dubito. Hebræa vox integritatem, & perfectionem ſignificat.

10. *Conſumetur*. Variat hic Vulgatus ab Hebræo in ſententiarum diſtinctione, ut ex te videre potes; utra vero melior ſit lectio, noſtrum non eſt definire, quamvis auderem dicere, vel Juſtum, in ſequenti verſiculo non apte poſitum, vel certe Vulgatum non legiſſe, מָגִנִּי, quod adjutorium tranſtulit; cum nequaquam bene cohæreant צַדִּיק מָגִנִּי Sed hoc aliis diſcutiendum relinquo. Quod ad nos attinet, verbum גְּמָר quidem activum eſt, quamvis & neutrum eſſe, non penitus abſurdum ſit; & ſic utraque lectio probari poteſt, quamvis nonnihil diverſæ ſint. Hebræus igitur addens particulam נָא, legit: conſumet nunc, quæſo. *Nequitia*. Sic Hebræus: Malum. *Peccatorum*. Qui juſtitiam ſpernentes, ſolam ſectantur injuſtitiam. Sic transferunt noſtri vocem hanc. Hebræus: Injuſtos. *Diriges*. Aptabis, firmabis mundi regimen. *Juſtum*. Noſtri dictionem hanc præcedenti verbo conjungunt, ut vides. Hebræis autem conjunctio & ad *probans* addita, quæ non habetur in noſtris, eſt in cauſa, ut juſtum ad Deum referant, ſic: Juſte & probans, ſcrutans, experimentum faciens cordium, & renum, ideſt mentium, & animorum affectuum; Metonymice. *Deus*. Hebræus pluraliter ut ſupra: Dii. *Juſtum*. Vulgatus in ſequentem verſiculum rejicit, ſed mendoſe, prout diximus. Hebræus præcedentibus ſic addit: Dii juſte. Græcus etiam illud hic addit, licet adverbialiter, ὁ θεὸς δικαίως, Deus juſte.

11. *Adjutorium meum*. Quo tanquam clypeo contegor, & ſecurus incedo. Translatio ſenſus. Hebræus: Clypeus meus. *A Domino*. Idem Hebræus fere, ſuo loquendi modo: Super Diis. In illum meam tutelam, & defenſionem rejicio. *Qui ſalvos facit*. Sic Hebræus participio: Salvos faciente, ſervante, auxiliante.

12. *Deus judex*. Hebræus pluraliter, ut ſupra: Dii judex. *Fortis, & patiens*. Hæc verba non ſunt in Hebræo, ſed ea Noſtri ad majorem declarationem addiderunt; niſi malles, eos expoſuiſſe וְאֵל & Deus; quod, fortis, quidem interpretari poſſumus, ut habes in Theſauro: quamvis ſuſpicor, eos potius legiſſe punctis vocalibus immutatis וְאַל, & non iraſcitur, καὶ μὴ ὀργὴν ἐπάγων, & non iram inducens: quod Vulgatus interrogative reddidit: Nunquid iraſcitur, indignatur? Hebræus aſſertive pronuntiat: Et Deus indignans: Quod non valde placet. *Per ſingulos dies*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: In omni die.

13. *Niſi*. Sic Hebræus: ſi non. *Converſi fueritis*. Ad omnes loquuntur Noſtri, cum Hebræus de ſolo Saule dicat: Niſi converſus fuerit, redibit a ſuis nocendi artibus. Quod nihilominus parum vel nihil referre crederem. *Vibravit*. Hebræus futuro: Acuet, ut vibrare poſſit. Minimi momenti varietas. Acuere gladium, tendere, & parare, aptare arcum, ſunt idiotiſmi noti, ad feriendum ſcilicet.

14. *Et in eo*. Hebræus dativo: Et ei. Vulgatus ad arcum refert, quod Hebræus Sauli dat, & revera קֶשֶׁת, ideſt arcus, feminini generis eſt, cum pronomen לוֹ maſculinum eſſe, nullus ſit qui neſciat. Et ſibi paravit. Pronomina varie ſumuntur, ut in Grammatica. *Va-*

ſa

ſa mortis. Idiotiſmus, ideſt, tela lethalia, quæ mortem afferant. *Ardentibus*. Qui violenter, & inflammatis animis juſtos perſecuntur. Radix Hebræa duas habet ſignificationes, & neutra diſplicet interpretatio. *Effecit*: Jam certe, nec non in futurum efficiet, ut Hebræus habet.

15. *Parturiit*. Hebræus futuro: Parturiet, dolores partus habebit. *Injuſtitiam*. Sectando iniquitatem, & dolorem concipiendo, mendaciaque proferendo. Hebræus iniquitatem. Vulgatus nonnihil variat in hiſce nominibus, ut vides, ſed quam minima ſenſus immutatione, neminem latere puto. *Dolorem*. Vox etiam Hebræa ſæpius in malum uſurpatur: laborem, malum labore, & ſtudio conquiſitum. Vide Theſaurum. *Iniquitatem*. Hebræus: mendacium; quod iniquitati conjunctum eſt. Parturire iniquitatem, concipere laborem, & parere mendacium, ſunt idiotiſmi ſatis noti, pro, omnem per fas, & nefas nocendi lapidem movere.

16. *Lacum*. A Græco, λάκκον, ſcrobem, foſſam, & puteum excidit. *Aperuit*. Excavando, & effodiendo, in quem incidit, ut ſuo malo periturus ſit. Hebræus: excavavit. Nullius momenti varietas. *Quam*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum.

17. *Dolor*. Hebræus, labor, ut ſupra verſic. 15. *In verticem*. Sic Hebræus: ſuper verticem. *Iniquitas*. Qua juſtos injuriam inferendo violenter vexat ut injuſtus, & ſcelerum plenus. Hebræus: Injuria, violentia. Non maximi ponderis varietas. Laborem redire in caput, & injuriam ſuper verticem deſcendere, ſunt idiotiſmi noti, pro ſtudiis propriis, & operibus perire.

18. *Confitebor*. Celebrando, laudibus illum extollendo, ut ſuperius diximus. *Domino, nomini*. Hebræus accuſativo: Dominum nomen. Confitebor voce, & pſallam inſtrumentis muſicis.

PSALMUS VIII.

למנצח על הגתית מזמור לדוד :	1. *Præpoſito ſuper Gitith Pſalmus Davidi.*	1. In finem pro torcularibus, pſalmus David.
יהוה אדנינו מה אדיר שמך בכל הארץ אשר תנה הודך על השמים :	2. *DOMINE Dominus noſter, quam præpotens eſt nomen tuum in univerſa terra, quæ dedit majeſtatem tuam ſuper cælos.*	2. DOMINE Dominus noſter quam admirabile *eſt* nomen tuum in univerſa terra. Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos.
מפי עוללים וינקים יסדת עז למען צורריך להשבית אויב ומתנקם :	3. *Ex ore infantium, & lactentium fundaſti robur propter tribulantes te ad ceſſare faciendum inimicum, & ultorem.*	3. Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum, & ultorem.
כי אראה שמיך מעשה אצבעתיך ירח וכוכבים אשר כוננתה :	4. *Cum videbo cælos tuos, opus digitorum tuorum, lunam, & ſtellas, quæ aptaſti.*	4. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & ſtellas, quæ *tu* fundaſti.
מה אנוש כי תזכרנו ובן אדם כי תפקדנו :	5. *Quid homo, quod recordaberis eum? & filius hominis, quod viſitabis eum?*	5. Quid *eſt* homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

6. Mi-

ותחסרהו מעט מאלהים ו
וכבוד והדר תעטרהו :

6. Et minues eum paulum a Deis, & gloria, & bonore coronabis eum.

6. Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum,

תמשילהו במעשי ידיך כל
שתה תחת רגליו :

7. Dominari facies eum in operibus manuum tuarum, omnia poſuiſti ſub pedibus ejus.

7. & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.
Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus;

צנה ואלפים כלם וגם ב
בהמות שדי :

8. Oves, & boves omnes ipſas, & etiam beſtias campi.

8. oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi.

צפור שמים ודגי הים עבר
ארחות ימים :

9. Avem cælorum, & piſces maris, tranſeuntem ſemitas marium.

9. Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

יהוה אדנינו מה אדיר ש
שמך בכל הארץ :

10. DOMINE Dominus noſter, quam præpotens eſt *nomen tuum in univerſa terra.*

10. DOMINE Dominus noſter, quam admirabile *eſt* nomen tuum in univerſa terra.

ANNOTATIONES.

ENcomium Dei, & hominis, ſed Chriſti præcipue, ſatis ornate canit. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: præfecto, præpoſito, ut ſupra. *Pro torcularibus*. Noſtri dictionem Hebraicam גתית, interpretati ſunt ex ſignificatione radicis, ñam גת torcular ſignificat; & hinc noſtrum hoc deducitur, quaſi torculare diceres, ad torcularia pertinens, ſed Hebræi communiori ſententia putant eſſe nomen inſtrumenti muſici, de quo ſatis ſuperque diximus in Theſauro. *David*. Hebræus Davidi, ut ſupra, vel dativi, vel genitivi caſus, quibus Lamed deſervit.

2. *Admirabile*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus: forte, præpotens. Quia potens es Domine, & potens nomen tuum ſit quidem omnibus admirabile, ſed his maxime, qui rerum omnium creationes admirantes, ex terrenis rebus omnipotentiam tuam admirabilem facile ſpeculari poſſunt. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Nomen*. Nominis fama. *Quoniam*. Hebræus: Quæ, terra ſcilicet: particula אֲשֶׁר varie ſumitur, ut habes in Theſauro: Qui, quæ, quod, quòd, quoniam, & hujuſmodi. *Elevata eſt*. Quandoquidem creaturæ tuæ omnes eam evehunt, dant, collocant ſuper omnes cælos, ut ita dicam hyperbolicos. Vulgatus fortaſſe legit נִתְּנָה, data eſt; quamvis הוד, maſculinum nomen Hebræis ſit, quapropter ego potius dicerem, ſenſum, non verba tranſtuliſſe, quemadmodum frequenter agit. Hebræus; Dedit. Poſuit, elevavit. *Magnificentia tua*. Hebræus idem prope accuſativo: Majeſtatem tuam ſuper, ultra cælos.

3. *Perfeciſti laudem*: Robur quodammodo fundans in illis, hoc eſt, vires puerilibus animis addens, quo laudem tuam, & Chriſti tui aptam plene perfecteque celebrare poſſent. Hebræus: fundaſti robur. Vulgatus idiotiſmum hunc, fundare robur, ſumpta metaphora ab ædificiis, aliis vocibus latino ſermoni congruentioribus expoſuit. *Propter inimicos tuos*. Sic transferunt ſæpius Noſtri. Hebræus: propter tribulantes te, qui te moleſtiis afficere putant, dum quotidie peccant, & juſtitiam divinam pravis actionibus irritant. *Ut deſtruas*. Vel penitus eos de medio auferendo, vel ſaltem a facinoribus removendo, a malis perpetrandis quieſcere faciendo. Hebræus gerun-

rundio: Ad quieſcere faciendum. Vulgatus fortaſſe legit, facillimo vocis tranſitu, לְמַשְׁחִית, ad deſtruendum, quod nunc eſt, לְמַשְׁבִּית, quamvis, & hoc præſens verbum de quacumque ceſſatione dicatur, re modo permanente, & modo non, ut in Theſauro diximus. *Et ultorem*. Sic Hebræus; Et ſe ulciſcentem; qui non remittit vindictam Deo, ſed viribus propriis confiſus ſemetipſum ulciſcitur.

4. *Quoniam*. Hebræus, cum. Particula כִּי varie ſumitur, ut in Theſauro. *Opera*. Idem Hebræus ſingulariter: Opus. *Fundaſti*. Ut apta, & firma permaneant in æternum. Hebræus, Aptaſti, paraviſti, firmaſti.

5. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Memor es ejus*. Hebræus futuro: Recordaberis eum, ejus. *Aut*. Hebræus conjunctive. Et. *Viſitas* Hebræus iterum futuro: Viſitabis, tanta providentia proſequeris.

6. *Minuiſti*. Idem Hebræus futuro, conjunctionem addens: Et minues, deficere facies. *Paulo minus*. Hebræus; parum, pauliſper, brevi, & modico tempore; vel modico, re modica minuiſti eum. *Ab Angelis*. Vel A Deis; nam vox Hebræa, אֱלֹהִים, utrumque ſignificat. Conſule Theſaurum. *Gloria*. Hebræus addit emphatice conjunctionem; Et gloria. *Coronaſti*. Hebræus iterum futuro: Coronabis. Coronare gloria, & honore, eſt idiotiſmus notus.

7. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Conſtituiſti*. Translatio ſenſus. Hebræus futuro: Dominari facies eum. *Super opera*. Sic Hebræus ſuo modo: In operibus. *Subjeciſti*. Hebræus: Poſuiſti. Noſtri idiotiſmum Hebræum: Ponere ſub pedibus; eleganter latina oratione declararunt.

8. *Oves*. Hebræus ſingulariter, collective: Ovem. *Univerſas*. Hebræus addit emphatice pronomen, ipſas. *Inſuper et*. Sic Hebræus: & etiam. *Pecora*. Omne ſcilicet animal, quod humana effigie caret. Hebræus: Beſtias campi, agreſtes.

9. *Volucres*. Hebræus ſingulariter, collective, ut ſupra: Volucrem, avem. *Cœli*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Cælorum, aeris, regionis aereæ. Vide Theſaurum. *Qui perambulant*. Idem Hebræus fere, participio ſingulari, collective: Tranſeuntem ſemitas maris; quicquid hinc inde per maria diſcurrit, pertranſit, perambulat. *Maris*. Hebræus pluraliter: Marium.

10. *Admirabile*. Ultimo loco ad emphaſim locutionis repetitur dimidium ſecundi verſiculi: ibi vide notanda.

PSAL-

PSALMUS IX.

למנצח על מות לבן מזמור
לרוד:
אורה יהוה בכל לבי אספרה
כל נפלאותיך:

אשמחה ואעלצה בך אזמרה
שמך עליון:

בשוב איבי אחור יכשלו ר
ויאבדו מפניך:

כי עשית משפטי ודיני י
ישבת לכסא שפט צדק:

גערת גוים אבדת רשע שמם
מחית לעולם ועד:

האויב תמו חרבות לנצח
וערים נתשת אבר זכרם חמה:

ויהוה לעולם ישב כונן ל
למשפט כסאו:

והוא ישפט תבל בצרק ידין
לאמים במישרים:

ויהי יהוה משגב לרך משגב
לעתות בצרה:

ויבטחו בך יורעי שמך כי
לא עזבת דרשיך יהוה:

זמרו ליהוה ישב ציון הגירו
בעמים עלילותיו:

1. *Præpoſito, ſuper morte Laben, Pſalmus Davidi.*
2. *Confitebor DOMINUM in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.*

3. *Lætabor, & exultabo in te, pſallam nomen tuum, Altiſſime.*
4. *In convertendo inimicos meos retrorſum, impingent, & peribunt a faciebus tuis.*
5. *Quoniam feciſti judicium meum, & cauſſam meam, ſediſti throno judex juſtitiæ*
6. *Increpaſti gentes, perdidiſti injuſtum, nomen eorum deleſti æterno, & æterno.*
7. *Inimice completæ ſunt deſolationes victoriæ, & civitates deſtruxiſti, periit memoria eorum cum ipſis.*
8. *Et DOMINUS æterno manebit, aptavit judicio thronum ſuum.*
9. *Et ipſe judicabit orbem in juſtitia, judicabit populos in rectitudinibus.*

10. *Et fuit DOMINUS elevatio contuſo, elevatio temporibus in anguſtia.*

11. *Et confident in te noſcentes nominis tui, quoniam non dereliquiſti quærentes te DOMINE.*
12. *Pſallite DOMINO habitanti Sion, annunciate in populis actiones ejus.*

1. In finem, pro occultis filii, Pſalmus David.
2. Confitebor *tibi* DOMINE in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.
3. Lætabor & exultabo in te, pſallam nomini tuo Altiſſime.
4. In convertendo inimicum meum retrorſum, infirmabuntur, & peribunt a facie tua.
5. Quoniam feciſti judicium meum, & cauſſam meam, ſediſti ſuper thronum, qui judicas juſtitiam.
6. Increpaſti gentes, & periit impius, nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi.
7. Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates *eorum* deſtruxiſti.
Periit memoria eorum cum ſonitu, 8. & DOMINUS in æternum permanet.
Paravit *in* judicio thronum ſuum, 9. & ipſe judicabit orbem *terræ* in æquitate, judicabit populos in juſtitia.
10. Et factus eſt DOMINUS refugium pauperi, adjutor *in* opportunitatibus in tribulatione.
11. Et ſperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te DOMINE.
12. Pſallite DOMINO, qui habitat in Sion, annunciate inter gentes ſtudia ejus.

13. Quo-

כי דרש דמים אותם זכר לא שכח צעקת עניים:	13. *Quoniam requirens ſanguines, eos recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem afflictorum.*	13. Quoniam requirens ſanguinem, eorum recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem pauperum:
חננני יהוה ראה עניי מ משנאי מרוממי משערי מות:	14. *Miſerere mei DOMINE, vide afflictionem meam de oſoribus meis, exaltans me de portis mortis.*	14. Miſerere mei DOMINE, vide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis
למען אספרה כל תהלתיך בשערי בת ציון אגילה ב בישועתך:	15. *Ut narrabo omnes laudes tuas in portis filiæ Sion, exultabo in ſalute tua.*	15. ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in ſalutari tuo,
טבעו גוים בשחת עשו ב ברשת זו טמנו נלכדה רגלם:	16. *Infixæ ſunt gentes in foveam*, quam *fecerunt, in rete iſto, quod abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.*	16. infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.
נודע יהוה משפט עשה ב בפעל כפיו נוקש רשע הגיון סלה:	17. *Cognoſcitur DOMINUS, judicium fecit, in opere palmarum ſuarum illaqueatus injuſtum, meditatio. Selah.*	17. Cognoſcetur DOMINUS judicia faciens, in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.
ישובו רשעים לשאולה כל גוים שכחי אלהים:	18. *Convertentur injuſti inferno, omnes gentes, obliviſcentes Deorum.*	18. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviſcuntur Deum.
כי לא לנצח ישכח אביון תקות ענוים תאבד לעד:	19. *Quoniam non victoriæ oblivioni tradetur pauper, expectatio afflictorum peribit æterno.*	19. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.
קומה יהוה אל יעז אנוש ישפטו גוים על פניך:	20. *Surge DOMINE, non corroborabitur homo, judicabuntur gentes ſuper facies tuas.*	20. Exurge DOMINE, non confortetur homo, judicentur gentes in conſpectu tuo.
שיתה יהוה מורה להם ידעו גוים אנוש המה סלה:	21. *Pone DOMINE, doctrinam eis, ſcient gentes, homo ipſi. Selah.*	21. Conſtitue DOMINE legislatorem ſuper eos, ſciant gentes, *quoniam* homines ſunt.

ANNOTATIONES.

DEum parcere juſtis, & eos tueri, injuſtos vero debellare, & de medio tollere, miris gratiarum actionibus decantat. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcas velim. Pſalmus latinis cum ſequenti connectitur.

1. *In finem.* Hebræus, Præpoſito, ut ſupra. *Pro occultis filii.* Noſtri legerunt עַלְמוֹת conjunctim, Alamoth, & lamed dictionis לַבֵּן crediderunt eſſe genitivi articulum, quæ penitus abſurda non ſunt; ſed Hebræi diviſim legunt עַל מוּת, ſuper morte Labeni: cum nihilominus de harum

vocum

vocum ſignificatione multum varient illorum interpretes, ut in Theſauro noſtro videre potes. *David*. Dativi, vel Genitivi caſus, ut ſupra.

2. *Confitebor*. Palam & publice te celebrabo: ſicut ſuperius etiam diximus. *Tibi*. A Noſtris additum, quod in ſequentibus ſecunda exprimatur perſona, & ob id ſequens nomen vocativo caſu reddiderunt, Domine; quod Hebræis eſt accuſativi: Dominum.

3. *Nomini tuo*. Hebræus accuſativo: Nomen tuum. *Altiſſime*. Vel altiſſimum; nam Deus, & nomen ejus idem ſunt.

4. *In convertendo*. Phraſis Hebraica. Quando convertetur, redibit, retrovertetur quilibet inimicus meus, cæteri omnes debilitabuntur, peribuntque. Verbum Hebræum neutrum eſt. Vulgatus punctis immutatis legit אֹיְבִי, inimicum meum, collective forſitan, nam alii de capite vel principe inimicorum exponunt, ſed Hebræus hodiernus habet אוֹיְבַי, inimicos meos. *Infirmabuntur*. Non longe aliter Hebræus: impingent, & peribunt. *A facie tua*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: A faciebus tuis. Idiotiſmus. Te eos profligante.

5. *Super thronum*. Hebræus dativo ſuo loquendi modo: ſediſti throno, judicandi gratia. *Qui judicas*. Sic Hebræus participio: judicans juſtitiam, judex juſtitiæ, juſtus videlicet. Facere judicium, & cauſſam alicujus, ſedere throno, & judicare juſtitiam, omnes ſunt hujus linguæ idiotiſmi ſatis noti.

6. *Increpaſti*. Deum increpare, eſt perdere. Conſule Theſaurum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Periit*. Vulgatus ſenſum, non verbum tranſtulit, idem enim eſt, perdere injuſtum, & illum perire, niſi malles eum proprie legiſſe וְאָבַד & periit; quod nunc Hebræis eſt אִבַּדְתָּ Perdidiſti. *Impius*. Sic fere ſemper Vulgatus transfert dictionem רָשָׁע, quod parum, vel nihil referre crederem; ſed velim illud hic notes, ne ſæpius idem repetendum ſit. Hebræus: Injuſtum. *In æternum &c.*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: æterno, ſeculo, & æterno.

7. *Inimici &c.* Noſtri genitivum eſſe crediderunt, ſic interpretantes: Frameæ, ſive gladii (nam legerunt punctis immutatis חֲרָבוֹת, quod nunc Hebræis eſt חֳרָבוֹת, deſolationes) inimici perierunt in perpetuum; ſed vix invenias alterum exemplum, quo demonſtretur, genitivum ante nomen, a quo regitur, poni; niſi velles ab hac regula metrorum leges excipere. Juxta Hebræum eſt vocativus, & tamen idem fere ſenſus: O inimice. *Defecerunt*. Verbum Hebræum Abſolvi ſignificat, & varie ſumitur, ut in Theſauro. Deſolationes abſolvi, ideſt, deficere, vel perfici in perpetuum, eſt idiotiſmus notus, quamvis inter ſe diverſus. *In finem*. Sic transferunt noſtri ſemper dictionem hanc, quod hic notes velim. Hebræus ſuo tropo: Victoriæ, in victoriam, in perpetuum, quæ ſunt æternæ. *Eorum*. Vacat, incuria librariorum fortaſſis additum, niſi malles, Vulgatum literis tranſpoſitis legiſſe עִירָם, Civitatem illorum, collective, quod nunc Hebræis eſt עָרִים, Civitates. Verum nec Græcus illud pronomen habet. *Memoria eorum*. In vulgatis Græcis, & in Complutenſi lectione habetur αὐτῶ, ejus: ſed melius qui legunt αὐτῶν, ut Hebræo concordet. *Cum ſonitu*. Vulgatus putavit, radicem eſſe הָמַם, quæ perſtrepere ſignificat, & fortaſſe legit etiam punctis immutatis הֵמָּה tanquam nomen, ideſt, ſonitu, ſtrepitu, ſed Hebræis nunc eſt pronomen cum He paragogico הֵמָּה ipſi. Eſt autem idiotiſmus elegans, Memoriam alicujus perire, ipſum, hoc eſt, illo pereunte memoriam etiam illius interire, qui eumdem fere ſenſum cum noſtris habet, nam parum refert, an dicas, memoriam alicujus perire; una cum illo pereunte, vel cum ſonitu, qui generatur in ipſa perditione.

8. *In æternum*. Hebræus dativo, ut ſu-

ſupra: æterno, ſeculo. *Permanet*. Hebræus futuro: Manebit. *Paravit*. Aptavit, firmavit, ut judicet. *In judicio*. Præpoſitio *in* redundat in noſtris, & ſenſum ab Hebræo diverſum reddit. Non enim eſt ablativi caſus in Hebræo ſed dativi, fitque idiotiſmus elegans, aptare thronum judicio, pro judicandi gratia ſolium parare; aſt parare illud in judicio, eſſet, jure, & juſtitia ſolium munire, quæ notanda ſunt.

9. *Terræ*. Ad majorem intelligentiam additum. Vox Hebræa terram inhabitabilem ſignificat. *In æquitate*. Juſtitia. *In Juſtitia*. Hebræus, in rectitudinibus: Recte. Nullius momenti variatio.

10. *Et factus eſt*. Sic Hebræus: & fuit. *Refugium*. Idem Hebræus ſuo tropo: exaltatio, elevatio, locus elevatus, & tutus, in quem ſervari cupientes confugimus. *Pauperi*. Hebræus: contuſo, afflictionibus, & miſeriis oppreſſo. Non maximi momenti varietas. *Adjutor*. Translatio ſenſus. Hebræus ſuperiorem vocem repetit. Exaltatio. Vulgatus autem optime translationem immutavit, ne bis refugium repeteret. *In opportunitatibus*. Hebræus dativo: Temporibus opportunis & neceſſariis videlicet. *In tribulatione*. Noſtris Beth eſt ſervile, quod nihilominus & radicale eſſe poteſt. In anguſtia, in afflictione, vel temporibus penuriæ, caritatis. Conſule Theſaurum. Quidam Græci codices legunt pluraliter, ἐν θλίψεσι, in tribulationibus.

11. *Sperent*. Verbum Hebræum eſt futurum quidem, ſed optime transferri poteſt etiam aliis temporibus, quibus carent Hebræi, ut in rebus Grammaticis diximus. Confident: quod ſine ſpe non fit. *Qui noverunt nomen tuum*. Hebræus participio: Noſcentes nominis tui, cognoſcentes nomen tuum, nominis famam.

12. *Qui habitat in Sion*. Hebræus participio: Habitanti, habitatori Sionis. *Inter gentes*. Idem Hebræus prope: In populis, inter populos. *Studia*. Actiones, quas in ſuorum fidelium gratiam egerit.

13. *Sanguinem*. Hebræus pluraliter ſanguines. *Eorum*. Sanguinum, vel afflictorum ſe quærentium. Hebræus accuſativo: Eos. *Pauperum*. Hebræus neſcio quid miſerius: Afflictorum paupertate, vel quavis alia miſeria oppreſſorum. Hebræi tamen hodierni ex Maſarah legunt, עֲנָוִים, ideſt manſuetorum, pro עֲנִיִּים, afflictorum. Nullius ponderis variationes.

14. *Mei*. Hebræus accuſativo, de more linguæ, quod nihil refert. *Humilitatem meam*. Animi & corporis. Hebræus, Afflictionem meam. *De inimicis*. Idem Hebræus: De oſoribus meis, ideſt, quæ humilitas eſt, provenit ab inimicis meis, quam mihi afferunt illi, qui odientes, me affligunt, *Qui exaltas*. Sic Hebræus participio: Exaltans me de portis mortis. Hebræus ut in Theſauro, ideſt ab extremis periculis, ad quæ introitus, ingreſſuſve ad mortem ſequitur, me liberans.

15. *Ut annunciem*. Idem Hebræus prope, futuro: Narrabo. *In portis filiæ Sion*. Idiotiſmus. Narrans ſcilicet quicquid ad laudem tuam pertinet. Palam, & in omnium conſpectu. *Exultabo*. Sic Hebræus quamvis in nonnullis Græcorum exemplaribus legatur pluraliter, ἀγαλλιασόμεθα, exultabimus. *In ſalutari tuo*. Sic Noſtri fere ſemper transferunt: Hebræus in tua ſalute; in ſervatione, qua mihi auxiliatus fueris. Hæc omnia parum, vel nihil variant ab Hebræa lectione hodierna.

16. *Infixæ*. Demerſæ ſunt. *In interitu*. Vox Hebræa corruptionem, interitum, & foveam ſignificat. Vide Theſaurum. *Quem*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Laqueo*. Idem Hebræus: Rete. Demergi in foveam, quam feceris, & pedem comprehendi in rete, quod abſconderis, ut alios caperes videlicet, ſunt idiotiſmi ſatis noti, pro propriis artibus perire.

17. Co-

17. *Cognoſcetur*. Hebræus præſenti: Cognoſcitur. *Judicia*. Hebræus ſingulariter: Judicium. *Faciens*. Quaſi legerint Noſtri punctis vocalibus immutatis עֹשֶׂה, quod nunc Hebræis eſt עָשָׂה, fecit. *In operibus*. Hebræus iterum ſingulariter: In opere, in actione, in fragranti crimine; ut locuntur Legiſtæ. *Manuum*. Sic Hebræus: Volarum, palmarum. *Comprehenſus eſt*. Noſtri videntur legiſſe punctis immutatis, נוֹקַשׁ illaqueatus, comprehenſus eſt, a radice יקשׁ, quod nunc Hebræis eſt radix propria, ejuſdem tamen ſignificationis: præſens participium activum נוֹקֵשׁ, illaqueans, illaqueat, comprehendit. *Peccator*. Ut transferunt noſtri. Hebræus: Injuſtum. Vides quam minima ſit hic verborum, & temporum mutatio, idem tamen ſenſus; niſi quod in Vulgato deſunt illa verba, quæ addit Hebræus in fine ſententiæ: Meditatio. Selah: de qua re velim aliorum ſentire judicia. Quod Deus injuſtos non relinquat impunitos, & præſertim, quod eos puniat in mediis ſcelerum actionibus, palam indicat, ipſum hæc inferiora curare; quæ res jugem meditationem, & locutionem expoſtulat. De Selah, quod bis legitur in hoc pſalmo, dictum eſt alibi.

18. *Convertantur*. Verbum Hebræum futurum aliis etiam temporibus transferri poſſe, jam diximus. Convertentur, redibunt. *Peccatores*. Sic transferunt noſtri; quod omnem juſtitiam dereliquerint. *In infernum*. Hebræus dativo: Inferno, vel ſepulchro; nam utrunque ſignificat. *Quæ obliviſcuntur Deum*. Hebræus idem nomine Toar, quod vocant: Obliviſcentes Deorum. Noſtris eſt imprecatio; Hebræis vero ſuperioris verſiculi adverſativa ſententia, quam notes etiam atque etiam velim. Dixerat ſuperius, Deum cognoſci, cum injuſtos in ipſis ſcelerum actionibus caſtigat; nam & illi ſæpius reſipiſcunt vapulantes, & omnes divinam fatentur providentiam: nunc e diverſo, ſi redeant in infernum injuſti, hoc eſt, impuniti, omnes gentes, (ſupple, erunt) obliviſcentes Dei; omnes evadent Athei.

19. *In finem*. Diximus, Vulgatum ſemper transferre ſic לָנֶצַח (ſupra Pſ. IV.) quod perpetuitatem ſignificat. Victoriæ, in victoriam, in perpetuum. *Oblivio erit pauperis*. Verbum Hebræum eſt paſſivum, quo Latini carent: oblivioni tradetur (*ſarà dimenticato*) pauper. *Patientia pauperum*. Non aliter Hebræus: Expectatio afflictorum; Qua divinam ultionem patienter expectant, quamvis paupertate, & miſeriis omnibus afflicti, necnon pravorum inſectationibus pene obruti ſint. *In finem*. Hebræus dativo: Æterno, in æternum. In Hebræo particula negativa non additur ſecundo verbo, de more linguæ, ex ſuperioribus repetenda videlicet.

20. *Non confortetur*. Sic Hebræus futuro: Ne roborabitur; ne animos ſumat perſequendi bonos. *Judicentur*. Hebræus iterum futuro: Judicabuntur. *In conſpectu tuo*. Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Super facies tuas: coram te.

21. *Conſtitue*. Idem Hebræus: Pone. *Legiſlatorem*. Noſtri videntur, punctis immutatis legiſſe מוֹרֶה, Doctorem, Tyrannum, cujus ſævitia docti ſe homines eſſe ſciant, ideſt, multis ærumnis, & calamitatibus obnoxios. Hebræi nunc, eadem intelligentia fere, legunt מוֹרָה, Doctrinam; non enim placere poſſunt hi, qui putant poſitum eſſe pro מוֹרָא: ideſt pavorem eis immitte. *Super eos*. Hebræus dativo: Eis. *Sciant*. Sic Hebræus futuro: Scient, cognoſcent. *Quoniam*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Homines*. Hebræus ſingulariter, collective: Homo. *Sunt*. Idem Hebræus pronomine, linguæ ritu: Ipſi. ſupple ſunt.

PSALMUS X.

למה יהוה תעמד ברחוק ה
תעלים לעתות בצרה:

בגאות רשע ידלק עני י
יתפשו במזמות זו חשבו:

בי הלל רשע על תאות נפשו
ובצע ברך נאץ יהוה:

רשע כגבה אפו בל ידרש
אין אלהים כל מזמותיו:

יחילו דרכו בכל עת מרום
משפטיך מנגדו כל צורריו י
יפיח בהם:

אמר בלבו בל אמוט לדר
ודר אשר לא ברע:

אלה פיהו מלא ומרמות ו
ותך תחת לשונו עמל ואון:

ישב במארב חצרים במסתרים
יהרג נקי עיניו לחלכה יצפנו:

יארב במסתר כאריה בסכה
יארב לחטוף עני יחטף עני ב
במשכו ברשתו:

ודכה ישח ונפל בעצומיו
חל כאים:

1. *Cui rei DOMINE ſtabis in longinquo? Celabis temporibus in tribulatione?*

2. *In ſuperbia injuſti perſequitur afflictum, comprehendentur in cogitationibus, quas cogitarunt.*

3. *Quoniam laudavit injuſtus ſuper deſiderium animæ ſuæ, & recldens benedixit, irritavit DOMINUM.*

4. *Injuſtus ſecundum altitudinem naſi ſui non quæret, non Dii, omnes cogitationes ejus.*

5. *Dolere facient viæ illius in omni tempore, Altiſſime judicia tua ex oppoſito ejus, omnes tribulantes ſe inſuſſiabit in eos.*

6. *Dixit in corde ſuo, non movebor ætati & ætati, quod non in malo.*

7. *Execratione os ejus plenum eſt, & fraudibus, & dolo; ſub lingua ejus labor, & iniquitas.*

8. *Sedebit in inſidia atriorum, in occultis interficiet innocentem, oculi ejus pauperi abſcondent.*

9. *Inſidiabitur in abſcondito quaſi leo in caſula ſua, inſidiabitur ad rapiendum afflictum, rapiet afflictum in attrahendo eum in rete ſuum.*

10. *Conteretur, inclinabitur, & cadet in fortes ejus turma miſerorum.*

1. Ut quid DOMINE receſſiſti longe? deſpicis in opportunitatibus in tribulatione.

2. Dum ſuperbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in conſiliis, quibus cogitant.

3. Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.

Exacerbavit DOMINUM 4. peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.

Non *eſt* Deus in conſpectu ejus, 5. inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur judicia tua a facie ejus, omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

6. Dixit *enim* in corde ſuo, non movebor a generatione in generationem ſine malo.

7. Cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo, ſub lingua ejus labor, & dolor.

8. Sedet in inſidiis cum divitibus, in occultis, ut interficiat innocentem.

Oculi ejus in pauperem reſpiciunt, 9. inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.

Inſidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.

In laqueo uo, 10. humiliabit *eum*, inclinabit ſe, & cadet, cum dominatus fuerit pauperum.

11. Di-

אמר בלבו שכח אל הסתיר פניו בל ראה לנצח:	11. *Dixit in corde ſuo, oblitus eſt Deus, abſcondit facies ſuas, non vidit victoriæ.*	11. Dixit *enim* in corde ſuo, oblitus eſt Deus avertit faciem ſuam, ne videat in finem.
קומה יהוה אל נשא ידך אל תשכח ענוים:	12. *Exurge DOMINE Deus, leva manum tuam, ne obliviſceris manſuetorum.*	12. Exurge DOMINE Deus, *&* exaltetur manus tua, ne obliviſcaris pauperum.
על מה נאץ רשע אלהים אמר בלבו לא תדרש:	13. *Super quid irritavit injuſtus Deos? dixit in corde ſuo, non requires.*	13. Propter quid irritavit impius Deum? dixit *enim* in corde ſuo non requiret.
ראתה כי אתה עמל וכעס תביט לתת בידיך עליך יעזב חלכה יתום אתה היית עוזר:	14. *Vidiſti, quoniam tu laborem, & indignationem aſpicies ad dandum in manum tuam, ſuper te derelinquet pauper, orphanum tu fuiſti adjuvans.*	14. Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras, ut tradas *eos* in manus tuas. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.
שבר זרוע רשע ורע תדרוש רשעו בל תמצא:	15. *Contere brachium injuſti, & mali, quæres injuſtitiam ejus, non invenies.*	15. Contere brachium peccatoris & maligni, quæretur peccatum illius, *&* non invenietur.
יהוה מלך עולם ועד אבדו גוים מארצו:	16. *DOMINUS Rex ſeculi & ęterni, perierunt gentes de terra illius.*	16 DOMINUS regnabit in æternum, & in ſeculum ſeculi, peribitis gentes de terra illius.
תאות ענוים שמעת יהוה תכין לבם תקשיב אזנך.	17. *Deſiderium manſuetorum audiſti DOMINE, præparabis cor eorum, attendet auris tua.*	17. Deſiderium pauperum exaudivit DOMINUS, præparationem cordis eorum audivit auris tua.
לשפט יתום ודך בל יוסיף עוד לערץ אנוש מן הארץ.	18. *Ad judicandum pupillum, & contuſum, ne addet adhuc ad exercendum tyrannidem homo de terra.*	18. Judicare pupillo & humili, ut non apponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram.

ANNOTATIONES.

QUæ mala bonis ſemper inferre ſtudeant injuſti, deſcribit eleganter, orans, ut Deus eos evertat, & pios inopes defendat. Latinis hic Pſalmus cum ſuperiori connectitur. Variat porro Vulgatus multum ab Hebræo in ſententiarum diſtinctionibus, quemadmodum ex te videre potes: ſed hoc ad continuationem ſignificationis parum vel nihil refert.

1. *Ut quid*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: cui rei; ad quid; quare? *Receſſiſti*. Hebræus futuro: ſtabis. Antea quidem mecum eras, auxiliabariſque mihi, nunc tua præſentia deſtitutus diſcrucior animo, cum videam te receſſiſſe tam longe, proculque tamquam iratum ob delicta mea ſtare. *Longe*. Sic Hebræus: In longinquo. *Deſpicis*. Translatio ſenſus. Hebræus futuro: Celabis; vel te, vel oculos tuos ſcilicet. Dum oculos avertis, ne videas, quibus malis afficior hiſce temporibus opportunis. Vulgatus ſenſum, non verba ſæpius ſequitur. *In opportunitatibus, in tribulatione*. Vide in ſuperiore

Pſalmo verſ. 10. ubi eadem habentur verba, quæ notes.

2. *Dum ſuperbit*. Hebræus nomine: In ſuperbia. *Impius*. Ut transferunt noſtri. Hebræus genitivo: Injuſti. *Incenditur*. Verbum Hebræum incendere primum, & dein perſequi per translationem ſignificat. Vulgatus non inepte penitus in propria ſignificatione eſſe credidit; quamvis Hebræi hodierni communiter exponant in ſecunda, quæ tamen duæ interpretationes non valde inter ſe diſtant. Perſequetur, animo ardenti ſcilicet. Eſt autem idem, vel dicas incendere quem, vel illum incendi, ne credas, Vulgato verbum neutrali ſignificatione ſumptum, quod tamen abſurdum non eſſet. In ſuperbia injuſti, ille perſequitur miſeros. Dum ſuperbe agit injuſtus, incenditur, uritur, torquetur afflictus. *Comprehenduntur*. Vulgatus præſenti verbo reddidit, quod in Hebræo futurum eſt; quod quam parum referat, quis non videt? Comprehendentur. *In conſiliis*. Non longe aliter Hebræus: In cogitationibus, quibus, vel quas. *Cogitant*. Hebræus præterito: Cogitarunt. Eſt autem Enallage numeri. Comprehendentur injuſti omnes (non pauperes, ut Genebrardus vult) in cogitationibus malis, quas conſulendo habent. Eſt enim idiotiſmus illi ſimilis, de quo in Pſalmo præterito. Demerſæ ſunt gentes in foveam, quam fecerunt, &c. Vel, ut Hebræis placet, eſt deprecatio: Comprehendantur, &c.

3. *Laudatur*. Vulgatus fortaſſe legit punctis immutatis הֻלַּל, in conjugatione puhal, & paulo poſt בֹּרַךְ, Benedicitur: quæ nunc Hebræis ſunt Pihel הִלֵּל, laudavit, & בֵּרַךְ, benedixit; vel certe ſumenda ſunt hæc verba reciproce, ut ea transferri ſolent, quæ neutra, vel ſtantia ab Hebræis appellantur. Laudatur, & benedicitur a ſe ipſo. *Peccator*. Hebræus: injuſtus, ut ſupra. *In deſideriis*. Quaſi legerint noſtri punctis immutatis בְּתַאֲוֹת, quod nunc Hebræis eſt ſingulare accuſativum, ſuo loquendi tropo: Super deſiderium. Laudare ſuper deſiderium animæ, eſt idiotiſmus, pro gloriari, quod votorum omnium etiam iniquorum compos efficiaris. *Et iniquus benedicitur*. Hebræus: Et recidens (ſic appellant avarum genium defraudantem proprium, & neceſſaria ſibi recidentem adſervandi gratia) benedixit. *Exacerbavit*. Sic Hebræus prope. Irritavit. Injuſtus, recidens, hoc eſt, avaritiæ ſtudens; verum non avarus tantum, ut Hebræus, ſed quivis, qui perperam agit, Deum irritat, exacerbat, dum orat, juxta illud: Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras juſtitias meas? &c. Pſalm. 50. Tritum eſt etiam illud Hebræorum proverbium, quod ad hoc propoſitum facit טוֹבֵל וְשֶׁרֶץ בְּיָדוֹ, ideſt, lavans reptile manu ſua: lavat immundum reptile manu retinens.

4. *Peccator*. Hebræus: Injuſtus, ut ſupra. *Secundum multitudinem iræ*. Hebræus ſuo loquendi tropo: Secundum altitudinem naſi. Nomen Hebræum naſum ſignificat; dein per tralationem, iram, furorem, quia irati ſolemus exſufflare naſo, & in hac ſignificatione Vulgatus illud intellexit, neceſſarioque ſignificationem antecedentis nominis commutavit. Et quidem, altitudo naſi alicujus, idiotiſmus eſt elegans, qui latinius non potuit exprimi, quam ut Vulgatus fecit. *Non quæret*. Deum: per zeugma. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Deus*. Hebræus pluraliter ritu linguæ: Dii. *In conſpectu ejus*. Hebræus: Omnes cogitationes ejus. Vulgatus ſatis commode ſenſum expreſſit Hebræum, non verba. Quid enim aliud eſt, cogitationes alicujus eſſe Deum non eſſe, non inveniri; cogitare Deum non eſſe, quam illum in conſpectu alicujus non eſſe? quem ſi crederet, formidaret utique, & divinæ Majeſtatis timor ſemper in oculis ejus verſaretur. At ex Hebraicis verbis, verſatur quidem Deus ante oculos iniqui, dum cogitationes ejus ſemper tendant ad hoc, illum non exiſtere: quod & ſi parum variet a Vulgato, nihil tamen refert; nam & ſi cogitet ſemper

per Deum, cum illum non exiſtere credit, merito dicitur, quod non ſit in conſpectu ejus.

5. *Inquinatæ ſunt*. Hebræus futuro, ſuo loquendi tropo: Dolere facient. Vulgatus ſenſum, non verba tranſtulit, ut ſæpius facit: nam quæ inquinata ſunt, bonis dolorem afferunt. Eſt porro idiotiſmus elegans, cum dicitur, vias alicujus dolorem afferre, quem in Theſauro declaravimus. *Auferuntur &c.* Hebræus ſuo tropo: Altiſſime judicia tua ex oppoſito illius. Quæ verba poſſunt intelligi varie nam, מָרוֹם altum, & altitudinem ſignificat & aliquando eſt etiam Dei epithetum, Altiſſimum denotans. נֶגֶד partem oppoſitam alicui ſignificat, & cum præpoſitione modo poſitionem, & modo privationem, ut logice loquar, exprimit. Ex oppoſito; ideſt coram, vel procul ab oculis. Vulgatus etiam hic ſenſum reddidit. Quæ enim poſita ſunt ex oppoſito procul, auferri videntur a facie. Quamvis ſuſpicer, noſtros non legiſſe מָרוֹם, ideſt Altiſſime, ut nunc habent Judæi; ſed neſcio quid aliud: niſi malles ſingulariter legiſſe מִשְׁפָּטְךָ, judicium tuum altum, ablatum; vel certe ut ingenue fatear, מָרוֹם altitudinem exponi debet, ut ſit idiotiſmus perquam elegans Vulgato bene cognitus, cum dicitur, judicia Dei eſſe altitudinem e regione alicujus: ideſt, tam profunda cum ſcit ea eſſe, nunquam de illis cogitat, ſed penitus auferuntur a facie ejus. *Omnium inimicorum ſuorum dominabitur*. Hebræus ſuis loquendi figuris habet: Omnes tribulantes ſe inſufflabit, vel illaqueabit in eos. Pronomen Eos latine vacat. Vulgatus ſatis commode verbum Hebræum, quod vel illaqueare, vel inſufflare poteſt exponi, interpretatus eſt; & Hebraicum loquendi modum mitiorem reddidit. Dominamur ſiquidem eorum, quæ laqueis capimus, & inſufflamus in ea, quæ flocci facimus, tamquam ſub dominio noſtro ſint.

6. *Enim*. Non habetur in Hebræo. Dicere in corde, eſt cogitare. *A generatione in generationem*. Idem Hebræus dativo: Ætati, & ætati: per ſingulas ætates, & generationes. *Sine malo*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Quòd non in malo, ſupple, ero: nullis afficiar malis.

7. *Cujus os*. Sic Hebræus: Os ejus. *Maledictione &c*: ſemper dejerans devovenſque ſe ipſum, ut fidem probitatis apud omnes inveniat, cum nihilominus fraude, amaritudine ipſa amariori, doloque plenum os habeat, & linguæ ſubſit labor, & dolor, quibus alios vexat. Hebræus: devotione, execratione. *Et amaritudine*. Suſpicor noſtros, mem in reſc commutato, non difficili vocis tranſitu, legiſſe וּמְרֹרוֹת, & amaritudine; quod nunc Hebræis eſt וּמִרְמוֹת, & fraudibus: licet hæc nullius fere momenti variatio ſit. *Et dolor*. Hebræus: Et iniquitas, active; dolorem afferens videlicet. Os plenum eſſe execratione, fraudibus, & dolo; laboremque & iniquitatem eſſe ſub lingua, ſunt idiotiſmi ſatis noti.

8. *Sedet*. Sic Hebræus futuro: Sedebit, manebit. *In inſidiis*. Vox Hebræa eſt ſingularis numeri: In inſidia. *Cum divitibus*. Suſpicor, noſtros alium habuiſſe textum, &, ſi conjectare licet, arbitror, eos legiſſe עֲשִׁירִם, divitum, quod nunc Hebræis eſt חֲצֵרִים, atriorum: niſi malles ſenſum, non verbum reddidiſſe. Atria ſiquidem poſſideri ſolēt a divitibus; unde fit, ut qui maneat in atriis continue, cum divitibus habitare, dici poſſit. Manere in inſidiis atriorum, eſt idiotiſmus elegans pro inſidiari aulicis. *Ut interficiat*. Hebræus abſolute futuro, quod parum refert: Interficiet innocentem, innoxium. *In pauperem*. Hebræus dativo: pauperi. *Reſpiciunt*. Arbitror noſtros, detracto Nun, facili vocis tranſitu, legiſſe יִצְפּוּ, reſpicient, quod nunc Hebræis eſt, יִצְפֹּנוּ Abſcondent: ſupple, fraudem, inſidias, & hujuſmodi.

9. *Inſidiatur*. Hebræus futuro: Inſidiabitur. *In ſpelunca*. Idem Hebræus: In caſula ſua. *Inſidiatur*. Hebræus iterum

rum futuro: Inſidiabitur: *Ut rapiat* Hebræus gerundio: Ad rapiendum. *Pauperem*. Hebræus: Afflictum. Paupertate, & miſeriis omnibus oppreſſum. *Rapere pauperem*. Hebræus futuro: Rapiet afflictum, miſerum. *Dum attrahit eum*. Idem Hebræus gerundio: In attrahendo illum. *In laqueo ſuo*. Idem Hebræus prope: In rete ſuum. Rapit, inquit, afflictum, rete ſuo attrahendo eum. Idiotiſmus notus. Vulgatus *rete ſuum* in ſequentem verſiculum rejicit, quia verbum activum eſſe credidit, & ideo tranſtulit

10. *Humiliabit &c.* Puto ſiquidem Vulgatum facillimo vocis tranſitu legiſſe in Pihel יְדַכֶּה, conteret, humiliabit; quod nunc Hebræis neutrum eſt ex Cal יִדְכֶּה, contereretur, humiliabitur; quamvis ſcribatur cum Vav וְדָכָה & contereretur; quod nihilominus arbitror eſſe Jod protractum, ut eo notentur, quæ patrent injuſti facinora, ut bonos vexent. Duo ſane verba hæc, Contereretur, Inclinabitur, tam iniquis, quam piis aptari poſſunt, ut in commentariis habes. *Eum*. Ad declarationem additum. *Inclinabit ſe*. Inclinabitur, curvabitur, humiliabitur. *Cum dominatus fuerit*. Quia Vulgatus verbum *cadet* ad inſidiantem retulit, ſequentium verborum ſenſum hunc eſſe putavit: quamvis arbitrer, eum paucis immutatis facillimo vocis tranſitu legiſſe בְּעָצְמוֹ, cum fortior fuerit paupere; quod non longe diſtat a verbis Vulgati; nam fortiores quodammodo dominari debilium poteſ aſſerere. Hebræis de miſeris dicitur *cadet*: & mox habent בַּעֲצוּמָיו, in fortes ejus. Cadere in fortes, eſt idiotiſmus, quo vires injuſtorum, vel corporis, divitiarumve, aut ſectatorum intellige, vel tandem fraudes, inſidias, tendicula, & hujuſmodi, quibus opprimuntur innocentes, utpote debiliores. *Pauperum*. Hebræus: Afflictorum, miſerorum turba. Vide Theſaurum.

11. *Enim*. Non habetur in Hebræo. Dicere in corde, & cogitare, ut ſupra. *Avertit*. Idem Hebræus fere: Abſcondit. *Faciem ſuam*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Facies ſuas. Abſcondere faciem eſt, nolle videre. *Ne videat*. Hebræus præterito: Non vidit. Impius impunitatem ſibi promittens, Providentiam Dei inficiatur. *In finem*. Hebræus dativo, ſuo tropo: Victoriæ, in victoriam, in perpetuum, nunquam.

12. *Deus*. Quidam Græci codices addunt, μου, meus, quod in Hebræo non habetur. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exaltetur manus tua*. Ad feriendum. Idem Hebræus, ſed active. Eleva manum tuam, ut percutias. *Obliviſcaris*. Sic Hebræus futuro: Ne obliviſceris. *Pauperum*. Scribitur quidem etiam nunc conſtanter עֲנִיִּים, Afflictorum, pauperum, miſerorum, ſed Hebræi hodierni ex Maſarah legunt עֲנָוִים, manſuetorum, mitium. Nullius momenti variatio. In nonnullis Græcorum exemplaribus legitur hic τῶν πενήτων σου εἰς τέλος, pauperum tuorum in finem: quæ non ſunt in Hebræo.

13. *Propter quid*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Super quid. *Impius*. Hebræus: Injuſtus, ut ſupra. *Deum*. Hebræus pluraliter, ut ſupra: Deos. *Enim*. Non habetur in Hebræo. Dicere in corde, ut ſupra, eſt cogitare. *Non requiret*. Vulgatus accommodavit verbum ad orationem latinam, ut relationem ad Deum haberet, quem paulo ante nominaverat. Hebræis vero eſt continua locutio ad Deum, & ſuo idiotiſmo proprio, Deum irritavit, idem eſt, ac ſi diceret, irritavit te: proinde ſubinfert, non requires. Sed hæc nullius momenti ſunt.

14. *Vides*. Nunc quidem, ſed & antea vidiſti, quid actum ſit ab improbis; nam tuum eſt, laborem, & dolorem, quem aliis inferunt, conſiderare, ut des in manum tuam hæc omnia, ſuo tempore punienda. Horrendum autem eſt, in manus Dei viventis incidere. Hebræus præterito: Vidiſti. *Dolorem*. Hebræus: Indignationem, irritationem, qua te exacerbant improbi. *Conſideras*. Hebræus futuro: Aſpicies oculis, & mente conſiderabis. *Ut tradas*. Sic Hebræus

us gerundio : Ad dandum , tradendum. *Eos*. In noſtris vacat, niſi referas ad laborem, & dolorem. Quidam inſuper Græcorum codices pro αὐτοῖς, habent αὐτὸν, eum. Nonnulli ad impios referunt. Dare in manus, eſt idiotiſmus; conſervandi, vel puniendi gratia ſcilicet. *Tibi derelictus eſt*. Tuæ fidei, & tutelæ reſervatus, a ſemetipſo videlicet. Hebræus ſuo tropo active, & futuro: Super te relinquet ſe, tuendum ſcilicet. Minima ſenſus immutatio, ſicut & illud: Orphano tu eris adjutor; quod Hebræus non in futurum tantum, ſed & in præteritum fuiſſe aſſerit: Orphanum tu fuiſti adjuvans.

15. *Peccatoris, & maligni*. Hebræus: Injuſti, & mali. Quatenus injuſtus, refertur ad Deum; quatenus malus, ad creaturas, eas vexans. *Quæretur*. A te ſcilicet, nec invenietur; contrito namque brachio ſceleſti unius abs te, cæteri timore pœnæ ab injuſtitia manus avertent; ſed & ipſi improbi caſtigati fortaſſis ad meliorem frugem redibunt. Hebræus active protulit: requires, non invenies; quod parum, vel nihil refert. *Peccatum*. Hebræus: Injuſtitiam. *Et*. Non habetur in Hebræo. Nullius momenti varietates. Frangere brachium alicujus, eſt idiotiſmus notus.

16. *Regnabit*. Vulgatus punctis immutatis fortaſſe legit מָלַךְ, regnavit; quod tamen in futurum protulit, ne putaretur regnū ejus jam deſiiſſe; ſed Hebræis nomen eſt מֶלֶךְ, Rex; idem tamen ſenſus. Græci utramque lectionem agnoſcunt, nam quidam habent βασιλευς, quidam vero βασιλεύσει. *In æternum & in ſeculum*. Hebræus genitivo: Rex ſeculi, & æternitatis. Nullius fere ponderis varietas. *Peribitis*. Vulgatus ſermonem ad gentes vertit, quaſi præſentes ſint, & in futurum pronuntiat eas male perituras, minima ſenſus mutatione facta ab ea lectione, quam nunc habent Hebræi; niſi malles eum legiſſe תֹּאבְדוּ, peribitis, quod nunc eſt אָבְדוּ, Perierunt, facillimo Scriptoris lapſu.

17. *Pauperum*. De quibus dicitur: Beati pauperes ſpiritu, qui nimia manſuetudine præditi divinum auxilium in adverſis ſolum præſtolantur. Fortaſſe Vulgatus legit facillimo vocis tranſitu עֲנִיִּים Afflictorum, miſerorum; quod nunc Hebræis eſt, עֲנָוִים, Manſuetorum. *Exaudivit*. Pro ſimplici poſitum, & vel olim legebatur שָׁמַע, Audivit, quod nunc Hebræis eſt שָׁמַעְתָּ, Audiſti: vel certe aliqua de cauſa nobis incognita Vulgatus perſonam immutavit; nam Hebræa lectio hodierna videtur melius convenire ſequentibus: quamvis hæc minima ſint. *Præparationem cordis eorum*. In Hebræo verbum eſt תָּכִין, aptabis, præparabis cor eorum, quod Vulgatus per nomen reddidit, ſic exponendum. Præparationem cordis ejus abs te procedentem audiet auris tua; quem ſenſum & Hebræus habet; eſt enim locus inſignis de gratia, quam vocant Scholaſtici *prævenientem*; quem obſervari velim; niſi malles, paucis immutatis Vulgatum legiſſe הָכִין, vel הָכֵן, & ſequens verbum הִקְשִׁיב, Audivit, attendit, quod nunc eſt תַּקְשִׁיב, audiet; quamvis auris femininum ſit Hebræis, illud autem verbum eſſet maſculinum. Quæ tamen omnia minimam ſenſus differentiam generant.

18. *Judicare*. Sic Hebræus gerundio: Ad judicandum, ut jus dicas, & patrocineris. *Pupillo*. Hebræus accuſativo: Pupillum, Orphanum. *Et humili*. Idem Hebræus fere, ſed accuſativo: Contuſum, miſerum, calamitatibus omnibus oppreſſum. *Ut non apponat ultra*. Sic Hebræus futuro: Ne apponet: addet adhuc. *Magnificare ſe*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus gerundio: Ad conterendum. Tyrannum agere, injuſtum exercere dominium, & pauperes opprimere: quandoquidem & ipſe terrenus homo ſit, vilis, & deſpicabilis, dum ſuper terra reſidet. *Super terram*. Hebræus: De terra, loco temporum varietatibus ſubdito.

GRADUS SECUNDUS.

PSALMUS XI. Latinis X.

למנצח לדוד ביהוה הסיתי איך תאמרו לנפשי נודו הרכם צפור :	1. *Præfecto Davidi. In DOMINUM confugi, quomodo dicetis animæ meæ, tranſmigra* de *monte veſtro paſſer.*	1. In finem *Pſalmus* David. In DOMINO confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra *in* montem *ſicut* paſſer.
כי הנה הרשעים ידרכון קשת כוננו חצם על יתר לירות כמו אפל לישרי לב :	2. *Quoniam ecce injuſti calcabunt arcum, paraverunt ſagittam ſuam ſuper nervo, ad jaciendum in obſcuro rectis cordis.*	2. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.
כי השתות יהרסון צדיק מה פעל :	3. *Quoniam poſitiones deſtruentur, juſtus quid fecit?*	3. Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt, juſtus *autem* quid fecit?
יהוה בהיכל קדשו יהוה ב בשמים כסאו עיניו יחזו ע עפעפיו יבחנו בני אדם :	4. *DOMINUS in templo ſanctitatis ſuæ, DOMINUS in cælo ſedes ejus, oculi ejus inſpicient, palpebræ ejus probabunt filios Adam.*	4. DOMINUS in templo ſancto ſuo, DOMINUS in cælo ſedes ejus. Oculi ejus *in pauperem* reſpiciunt, palpebrę ejus interrogant filios hominum.
יהוה צדיק יבחן ורשע ואהב חמס שנאה נפשו :	5. *DOMINUS juſtum probabit, & injuſtum, & amantem injuriæ odit anima ejus.*	5. DOMINUS interrogat juſtum, & impium, *qui* autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.
ימטר על רשעים פחים אש וגפרית ורוח זלעפות מנת כוסם :	*6. Pluet ſuper injuſtos laqueos, ignem, & ſulphurem, & ſpiritus terrorum pars calicis eorum.*	*6.* Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.
כי צדיק יהוה צדקות אהב ישר יחזו פנימו :	7. *Quoniam juſtus DOMINUS juſtitias dilexit, æquum inſpicient facies ejus.*	7. Quoniam juſtus DOMINUS, & juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.

ANNOTATIONES.

Pios ſemper in tuto eſſe, impios autem & peccatores male perituros decantat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præpoſito; de qua dictione jam diximus ſuperius, ne ſemper eadem repetamus. *Pſalmus*. Ad majorem declarationem a noſtris additum, ne ſi dixiſſent: In finem David, alium ſenſum ei tribueres. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. *Confido*. Non olim tantum, ut Hebræa lectio

lectio videtur ſonare, ſed etiam nunc in adverſis rebus conſtitutus. Hebræus præterito: Confugi: Quod verbum Vulgatus ſemper transfert confidendi, vel ſperandi verbo, ut ſæpius dictum eſt. *Dicitis*. Idem Hebræus futuro: Dicetis. *Transmigra*. Hebræa lectio quidem habet נודו, tranſmigrate, commovemini, ſed ex Maſarah conſtanter Hebræi legunt נודי, transmigra, commovere; quaſi illud Vau ſit Jod protractum, ad notandam iniquorum malitiam immenſam, probos viros a fide retrahere conantium. Eſt autem verbum femininum, nam refertur ad animam. *In montem*. In Hebræo deeſt præpoſitio; quapropter diverſimode transferri poteſt: ut verbum נודי, tranſmigra, vel commovere, tam ad locum, quam de loco motum ſignificet. Videtur nihilominus Vulgatus paucis immutatis, vel tranſpoſitis legiſſe, נודי הר כצפור, tranſmigra *in* montem, ſicut paſſer; & ideo de monte quovis intellexit: ideſt in locum montoſum, excelſum, & munitum, quaſi verba ſint amicorum adhortantium, ut ſe recipiat in locum tutum, e quo nequeat hoſtis eum retrahere. Hebræus illo Caph ad montem conjuncto, & addito Mem diverſam lectionem, & ſignificationem habet נודי הרכם צפור Transmigra *de* monte veſtro, o paſſer. Idiotiſmus. Ideſt, fidem deſere. Quamvis non abſurdum ſit interpretari cum Vulgato, Tranſmigra in montem veſtrum Paſſer; ac ſi diceret: Quid opus eſt adhortatione veſtra, ut confugiam ad templum in monte noſtro fabrefactum, quaſi ſim alienus a Deo, cum ſemper in eo confidam? Harum interpretationum nulla diſplicet. Poetæ verba concila, metrorum cauſa forſitan, varias expoſitiones admittunt. *Sicut Paſſer*. Vulgatus legit, ſicut diximus, כצפור, vel certe *Sicut* de ſuo addidit: quod nihil refert.

2. *Peccatores*. Vulgatum ſic interpretari vocem hanc, ſæpius diximus. Hebræus: Injuſti. Prima ratio, cur fugiendum ſit, quoniam ei jam paratum ſit exitium. *Intenderunt*. Idem Hebræus futuro ſuo loquendi modo: calcabunt, intendent arcum. Vide Theſaurum. *Sagittas ſuas*. Hebræus ſingulariter: ſagittam ſuam. *In pharetra*. Hebræus: ſuper nervo, ad nervum. Vulgatus alium textum habuit, vel ſaltem putavit nihil intereſſe, dicas, aptare ſagittam in pharetra, vel ad nervum, cum utrumque fiat ſagittandi gratia, ſed Hebraica lectio præſentiorem, & ardentiorem actum deſignat. *Ut ſagittent*. Idem Hebræus gerundio: Ad jaciendum, ſagittandum in obſcuritate. *Rectos corde*. Idem Hebræus dativo, & genitivo: Rectis cordis, corde.

3. *Quæ perfeciſti, deſtruxerunt*. Altera fugiendi cauſa, quia palam cum ipſo exercent inimicitias, deſtructis his, quæ ipſe confecerat. Poſitiones tuas, res ipſas, quas poſuiſti, fundaſti, perfeciſtique, ut eſſent ſtabiles, & permanentes, everterunt. Eumdem ſenſum habent Hebræa verba: Quoniam poſitiones deſtruentur. Et fortaſſe Vulgatus punctis vocalibus immutatis legit in Cal יהרסון, deſtruent, quod nunc Hebræis paſſivum eſt יהרסון, deſtruentur. Has poſitiones Hebræi fundamenta, quod primo ponantur, exponunt, & leges interpretantur, quibus extinctis, nulla eſt poteſtas reſiſtendi impiorum ſtudiis. Arbitror nihilominus cum Vulgato, voculam השתות, ideſt poſitiones, non fundamenta vel leges tantum, ſed quicquid a Davide fuerat ordinatum perfectumque, deſignare. Græcus addit hic pronomen *αὐτοὶ*, ipſi; impii ſcilicet, deſtruxerunt. *Autem*. Non habetur in Hebræo. Tu, qui juſtus es, quid tale commeruiſti? Eſt enim idiotiſmus elegans, *Juſtus quid fecit?* Ut talia ſcilicet commereat?

4. *Sancto ſuo*. Idem Hebræis verbis deſignatur, quorum proprius idiotiſmus eſt, ſæpius nomen ſubſtantivum vice adjectivi ponere: In templo ſanctitatis ſuæ. Sic Pſalmo 2. *6.* ſuper Sion montem ſanctitatis meæ. Ibi vide. *Sedes ejus*. Poſſes etiam interpretari, Dominus in cælo

ſe-

Digitized by Google

ſede ſua, quæ quidem interpretatio ſenſum nonnihil diverſum redderet, ut in commentariis dicemus. *In pauperem*. Ad declarationem additum; quamvis Hebræa verba de cunctis hominibus, non de ſolo paupere loquantur. *Reſpiciunt*. Hebræus futuro: aſpicient, inſpicient. *Interrogant*. Hebræus iterū futuro: Probabunt, explorabunt, perveſtigabunt cunctas hominum actiones. *Hominum*. Hebræus ſingulariter collective: Adam; hominis.

5. *Dominus*, &c. Quia Vulgatus legit שׂנֵא, in genere maſculino, retulit illud ad amantem iniquitatem; quod nunc eſt שֹׂנְאָה femininum, ad animam referendum. Hinc diverſa redditur ſententia, quemadmodum videre potes; quæ vero potior, & ad præſentem locum aptior ſit, aliorum eſto judicium. *Interrogat*. Hebræus futuro: Probabit, perveſtigabit juſtum, ut reddat perfectiorem. *Impium*. Idem Hebræus fere: Injuſtum. *Qui autem diligit*. Idem Hebræus participio: Et diligentem. *Iniquitatem*. Non longe aliter Hebræus: injuriam bonis facientem, & vi opprimentem eos. *Animam ſuam*. Metonymice; ideſt, ſalutem animæ ſuæ. Hebræus: Anima ejus, Dei ſcilicet, odit injuſtos, & injuriam aliis inferentes. Scriptura loquitur de Deo more humano. Sic ſuperius oculos, & palpebras ei attribuit. Sed de his alibi.

6. *Peccatores*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Injuſtos. *Ignis*, & *ſulphur*. Hæc nomina poſſunt etiam referri ad verbum *pluet*, ut nos fecimus; quod parum tamen, vel certe nihil referre crederem. *Spiritus procellarum*. Idem Hebræus fere: Spiritus, ventus tremorum, terrorum, qui tremorem, & timorem incutit. Pluere laqueos, ignem, & ſulphurem ſuper aliquos, & ventum tremorum eſſe portionem calicis, ſunt idiotiſmi, calamitates omnimodas & miſerias improbis tandem expectandas eſſe, declarantes. Conſule Theſaurum.

7. *Juſtitias*. Græcus addit conjunctionem *καὶ*, ſic & Latinorum quidam; quæ tamen non habetur in Hebræo. *Æquitatem vidit vultus ejus*. Dictio יָשָׁר æquum, & æquitatem, vel rectum & rectitudinem ſignificat, ut habes in Theſauro. Verbum Hebræum eſt futuri temporis, & pluralis numeri: Aſpicient, inſpicient. Vultus nomen in Hebræo eſt pluralis numeri natura. Particula מוֹ eſt affixum pronomen, de cujus numero, & genere dubitatur. Ego arbitror tam ſingulare, quam plurale eſſe, & in utroque genere uſurpari poſſe, quamvis ſæpius maſculinum, & plurale ſit. Hinc oritur interpretatio varia horum verborum. Nec deſunt ex Hebræis, qui Vulgato faveant, ut videre potes in commentariis. Alii potius interpretandum eſſe cenſent: Æqui vultum ejus aſpicient: ut nomen יָשָׁר ſingulare poſitum ſit loco pluralis, & מוֹ affixum ſingulare ſit. Alii tandem interpretantur, quod dictionum Hebraicarum ſimplicitati magis convenire videtur: Rectum (nempe Deum) aſpicient vultus earum juſtitiarum; ut ſit reciproca Dei ad juſtitiam, & juſtitiæ ad Deum converſio. Et quamvis omnes has translationes catholicum ſenſum habere credam, Vulgatum nihilominus magis amplector. Quidam Græcorum codices legunt in numero plurali ἐυθύτητας ἔιδε, æquitates vidit. Sic Latinorum aliqui: quod nihil refert; nam Hebræum nomen, quamvis ſingulare ſit, poteſt nihilominus collective uſurpari, ut ſæpius fit.

PSAL-

PSALMUS XII. Latinis XI.

למנצח השמינית מזמור ל לדוד :	1. *Præpoſito ſuper octava, Pſalmus Davidi.*	1. In finem pro octava, Pſalmus David.
הושיעה יהוה כי גמר חסיד כי פסו אמונים מבני אדם :	2. *Salvum fac DOMINE, quoniam defecit pius, quoniam defecerunt veritates a filiis Adam.*	2. Salvum *me* fac DOMINE, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates a filiis hominum.
שוא ידברו איש את רעהו שפת חלקות בלב ולב ידברו :	3. *Vanum loquentur vir cum proximo ſuo, labio blandiciarum in corde, & corde loquentur.*	3. Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde & corde locuti ſunt.
יכרת יהוה כל שפתי חלקות לשון מדברת גדלות :	4. *Exſcindet DOMINUS univerſa labia blandiciarum, linguam loquentem magna.*	4. Diſperdat DOMINUS univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.
אשר אמרו ללשננו נגביר שפתינו אתנו מי אדון לנו :	5. *Qui dixerunt, linguæ noſtræ roborabimus, labia noſtra nobiſcum, quis Dominus nobis?*	5. Qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra a nobis *ſunt*, quis noſter Dominus *eſt*?
משד עניים מאנקת אביונים עתה אקום יאמר יהוה אשית בישע יפיח לו :	6. *A vaſtitate afflictorum, a gemitu pauperum, nunc ſurgam, dicet DOMINUS, ponam in ſalutem, exſufflabit ei.*	6. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit DOMINUS. Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.
אמרות יהוה אמרות טהרות כסף צרוף בעליל לארץ מזקק שבעתים :	7. *Dicta DOMINI dicta munda, argentum igne examinatum, in factura terræ, purgatum bis ſeptem.*	7. Eloquia DOMINI eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.
אתה יהוה תשמרם תצרנו מן הדור זו לעולם :	8. *Tu DOMINE ſervabis eos, cuſtodies eum ab ætate bac æterno.*	8. Tu DOMINE ſervabis nos, & cuſtodies nos a generatione bac in æternum.
סביב רשעים ויתהלכון כרם זלות לבני אדם :	9. *Circumquaque injuſti ambulabunt, ſecundum exaltari vilitatem filiis Adam.*	9. In circuitu impii ambulant, ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

ANNOTATIONES.

IMproborum hominum ſuæ tempeſtatis facinora mala deſcribens, ne boni lædantur ab illis, Dei promiſſum urgens enixe petit. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſupra.

ſupra. *Pro octava*. Hebræus: Super octava; de qua voce dictum eſt ſuperius Pſalmo 6. ibi vide. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra.

2. *Me*. A Noſtris additum, quod parum, vel nihil refert. Auxiliare Domine, fer opem, non ſolum mihi, ſed & piis cæteris, ſi qui reſidui ſunt, cum jam defecerint omnes. *Sanctus*. Sic interpretantur noſtri. Hebræus: Pius, officioſus, collective. *Diminutæ*. Hebræus: Defecerunt, conſumpti ſunt. Minimi momenti varietas. *Veritates*. Vox Hebræa tam veritates, quam veridicos ſignificare poteſt. Conſule Theſaurum. *Hominum*. Hebræus ſingulariter collective: Adam, hominis.

3. *Vana*. Hebræus ſingulariter collective: Vanum. *Locuti ſunt*. In Hebræo verbum futurum eſt, quod tranſferri poteſt per omnia fere tempora, ut in rebus Grammaticis olim docuimus. Loquentur. *Unuſquiſque ad proximum ſuum*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Vir cum proximo ſuo. *Labia doloſa*. Arbitror, mendum ineſſe in Scriptura, pro labio doloſo; nam alioquin quo referantur hæc labia doloſa, neſcio. Hebræus ſingulariter, & genitivo: Labio blandiciarum. Quidam Græcorum legunt *χείλη δόλια ἐν καρδίᾳ, καὶ ἐν καρδίᾳ ἐλάλησε κακά*: Labia doloſa in corde, & in corde loquitur mala. In Vaticano legitur cum Vulgato *ἐν καρδίᾳ ἐλάλησαν*. *Locuti ſunt*. Hebræus iterum futuro: Loquentur. Loqui in corde, & corde labio blandiciarum, eſt idiotiſmus elegans. Labium doloſum intellige fraudulentum, blandiciarum, & adulationis plenum, quo loquebantur corde & corde, ideſt, duplici, ficto, & ſimulato; mellita verba habentes in ore, ex pectore venenato prodeuntia, ut cor duplex habere viderentur.

4. *Diſperdat*. Idem Hebræus fere, futuro: Exſcindet, diſperdet. *Labia doloſa*. Hebræus ut ſupra: Labium blandiciarum. *Magniloquam*. Sic Hebræus: loquentem magna; jactantem verba non ferenda. Idiotiſmus notus. *Et*. Non habetur in Hebræo. In aliquibus etiam Græcis non habetur, quamvis in impreſſis legatur.

5. *Linguam noſtram magnificabimus*. Optime tranſtulit Hebraica verba, quæ ſic habent ad verbum: Linguæ noſtræ vires addemus: quamvis duplicem ſenſum habere poſſint; nam roborare linguæ, eſt, linguam, vel lingua roborare; quod notes. Hæ tamen interpretationes in idem fere coincidunt. *Labia noſtra a nobis*. Idem prope Hebræus: Nobiſcum ſunt, nullus ea nobis auferre poteſt, cum nemo noſter Dominus ſit: ea propter ſermo noſter in noſtra poteſtate eſt, & liber. *Sunt, eſt*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellecta. *Noſter Dominus*. Sic Hebræus: Dominus nobis. In Vaticano legitur cum Vulgato *τὰ χείλη ἡμῶν ἀπὸ ὑμῶν ἐςί*. In impreſſis habetur *παρ' ἡμῖν*, apud nos; quæ lectio magis cum Hebræo convenit.

6. *Propter miſeriam*. Non longe aliter Hebræus ſuo loquendi modo: A vaſtitate. Propter oppreſſionem, calamitatem, devaſtationem. *Inopum*. Hebræus: Afflictorum. Paupertate, & quavis alia miſeria; qua miſeri affecti, gementes divinum implorant auxilium. Igitur horum quemlibet in ſalute conſtituam, ab improbis eum eripiens. *Et*. Non habetur in Hebræo, ſed iteratur præpoſitio: A gemitu, propter gemitum pauperum. *In ſalutari*. Sic transtերunt noſtri. Hebræus: in ſalute, in ſalutem, auxilium feram. *Fiducialiter agam in eo*. Videntur LXXII. legiſſe אָפִּים, facillimo vocis tranſitu; transferentes *παῤῥησιάσομαι*, libere & confidenter loquar cum eo; quod nunc eſt יָפִּים, mutatione facili, ut diximus, Aleph in Jod facta. Verbum autem hoc plura ſignificat, quemadmodum ſuperius etiam diximus, nam inſuflandi, loquendi, & illaqueandi ſignificationem habet, ut in Theſauro noſtro videre potes. Porro ſententiæ hujus verba conciſa ſunt, ea propter diverſimode transferri poſſunt, neque culpandus eſt Vulgatus, qui fortaſſe ve-

rio-

riorem textum habuit. Ea ſunt hujuſmodi. Ponam in ſalute, inſuflabit, (vel illaqueabit, pius ereptus videlicet, vel loquetur, idem pius, vel ſalus ipſa poetice) ei (improbo, vel eum, vel ſibi). Pronomina varie transferri poſſunt, ut in Grammatica. Juſtus ereptus inſuflabit, flocci pendet, vel mutatis rebus in contrarium, illaqueabit, vel ſaltem libere, & audacter divino fretus auxilio, alloquetur improbos. Hunc ſenſum ultimum ſequitur Vulgatus, licet perſonam mutaverit. Hac Dei ope innixus miſer ait: fiducialiter agam in eo. Genebrardo Dei verba adhuc ſunt, qui dicat: in ſalute eum conſtituam, libere, & confidenter loquar cum eo, familiariter me ipſi communicans.

7. *Eloquia caſta*. Idem Hebræus: Munda, ab omni falſitatis labe pura, argento diligentius excocto, & repurgato ſimilia: ut tuto quis ei aliquid promittenti poſſit credere. *Igne examinatum*. Excoctum, expurgatum. Aurificum verbum. *Probatum terræ*. Vulgatus fortaſſe putavit, conſonantem Beth dictionis בַּעֲלִיל radicalem eſſe, & Dominum ſignificare credidit, quod a nonnullis Hebræis etiam comprobatur. Eſſet autem idiotiſmus ſatis obſcurus, dicere, argentum eſſe dominum terræ, pro eo, quod eſt, repurgatum extrahi ex fornace argillacea, nec evaneſcere, quaſi tunc vaſis illius dominus evadat; cum e contrario, caminum argenti evaneſcentis Dominum poſſemus aſſerere: quem idiotiſmum Vulgatus mitiorem, & elegantiorem reddidit. Communiori tamen ſententia Beth ſervile, & עֲלִיל aurificum fornacem ſignificare creditur; quem ſenſum nihilominus Vulgato cognitum fuiſſe crederem, ut, probatum terræ, ſit: in vaſe, vel camino terreo, in fornace argillacea probatum. Hebræus: In factura terræ. Camini aurificum periphraſis. Conſule Theſaurum. Terræ, dativi caſus eſt in Hebræo. *Septuplum*. Vel ſepties, vel certe bis ſepties, ut aliis placet, ideſt ſæpius, quouſque ad purum conflatum ſit.

8. *Servabis nos*. Fortaſſis olim legebatur תִּשְׁמְרֵנוּ; quod nunc Hebræis eſt תִּשְׁמְרֵם literarum mutatione facili: Servabis eos, afflictos, & pauperes videlicet: vel certe Vulgatus vocem immutavit dedita opera, quia ſtatim legit תִּצְרֵנוּ, cuſtodies nos, quod nunc addito puncto Dages tertiæ perſonæ pronomen eſt תִּצְּרֶנּוּ cuſtodies eum: afflictorum quemlibet. Ego tamen pronomina hæc alio referri cenſeo, nempe ad dicta Dei, & ad argentum, ſic: Tu Domine ſervabis ea (dicta caſta) cuſtodies illud (argentum repurgatum) a generatione hujuſmodi; nam juxta illud Chriſti, non ſunt tradendæ canibus margaritæ, neque porcis ſancta. Nota locum. Nec refert, dicta eſſe feminini generis, & pronomen maſculini, nam aliquando ſic uſurpantur invicem. *Et*. Non habetur in Hebræo. *A generatione*. Sic transferunt noſtri. Hebræus: Ab ætate hac. *In æternum*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Seculo æterno. Græcus addit conjunctionem, *καὶ εἰς τὸν αἰων*, & in æternum; quæ non habetur in Hebræo, nec in exemplari Vaticano.

9. *In circuitu*. Sic Hebræus nomine, quod ſæpius adverbialiter uſurpatur: Circuitu, circumquaque. *Impii*. Ut noſtri transferunt. Hebræus: Injuſti. *Ambulant*. Idem Hebræus futuro: Ambulabunt. *Secundum altitudinem &c.* Hebræus ad verbum: Secundum exaltari vilitatem (vel vilitas) filiis Adam; hominis collective. Arbitror autem Vulgatum aliter legiſſe, quàm nunc Hebræus habet, nec quid legerit, conjectare valeo; vel certe ſenſum, non verba tranſtuliſſe, nam ſunt etiam ex Hebræis, qui ſic interpretantur: In circuitu injuſti ambulant, cum exaltatur vilitas filiis apud filios hominum. Ad quam ſententiam proxime videtur accedere Vulgatus inquiens; ſecundum altitudinem, ideſt, ſecundum alta, & profunda tua judicia multiplicaſti, multos, & potentes eſſe pateris homines impios, a quibus innocentes oppugnentur. Filios hominum quidem

 ap-

appellat, quos injuſtos proxime vocaverat, & opponit filiis Dei, quorum multitudo, & potentia (nam Græcus habet ἐπολυώρησας) ad abyſſos judiciorum Dei referenda eſt. Verba Hebræa varie poſſunt exponi: In circuitu injuſti ambulant: omnia improborum plena: ut. exaltari, ſicut res alta, nobilis, eſt, reputatur vilitas, homines, vel res viles, filii hominum, mortalium, vel apud mortales. Vel, eum exaltatur vilitas, tunc improbi paſſim graſſantur. Sed hæc alibi fuſius declarabimus. Nos ſimpliciorem verborum Hebræorum ſenſum tranſtulimus, quibus deſcribitur ætas illa ferrea, de qua vates ſuperius poſtulaverat eripi, nempe, quod omnia improborum plena ſint, quodque res contemptibiliores, ut commeſſationes, detractiones, murmurationes, & hujuſmodi, apud homines in maximo ſint pretio.

PSALMUS XIII. Latinis XII.

למנצח מזמור לדוד:	1. *Præpoſito, Pſalmus Davidi.*	1. In finem Pſalmus David.
עד אנה יהוה תשכחני נצח עד אנה תסתיר את פניך ממני:	2. *Uſquequo DOMINE obliviſcéris me victoriæ? uſquequo abſcondes facies tuas a me?*	2. Uſquequo DOMINE obliviſcéris me in finem? uſquequo avertis faciem tuam a me?
עד אנה אשית עצות בנפשי יגון בלבבי יומם עד אנה ירום איבי עלי:	3. *Quamdiu ponam conſilia in anima mea? dolorem in corde meo per diem? uſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?*	3. Quamdiu ponam conſilia in anima mea? dolorem in corde meo per diem? Uſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?
הביטה ענני יהוה אלהי ה האירה עיני פן אישן המות:	4. *Aſpice, reſponde me DOMINE Dii mei, illumina oculos meos, ne forte obdormiam mortis.*	4. Reſpice & exaudi me DOMINE Deus meus. Illumina oculos meos, ne *unquam* obdormiam *in* morte?
פן יאמר איבי יכלתיו צרי יגילו כי אמוט:	5. *Ne quando dicet inimicus meus, prævalui eum, tribulantes me exultabunt, cum movebor.*	5. ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum. Qui tribulant me exultabunt, ſi motus fuero,
ואני בחסדך בטחתי יגל ל לבי בישועתך אשירה ליהוה כי גמל עלי:	6. *Et ego in pietate tua confiſus ſum, exultabit cor meum in ſalute tua, cantabo DOMINO, quia bona tribuit ſuper me.*	6. ego autem in miſericordia tua ſperavi. Exultabit cor meum in ſalutari tuo, cantabo DOMINO, qui bona tribuit mihi, & *pſallam nomini Domini altiſſimi.*

AN-

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

AB inimico defendi poſtulat, deinde beneficentiam Dei cantaturus. Sententiarum diſtinctiones varias ex temetipſo recognoſcito, quæ tamen nihil de intelligentia pſalmi detrahunt.

1. *In finem*. Hebræus: Præpoſito, ut ſupra. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra.

2. *Oblivíſceris*. Futuri temporis in Hebræo. *In finem*. Sic Hebræus ſuo dicendi tropo, ſolo nomine ſine præpoſitione, quod adverbialiter hic uſurpatur: Victoria, in victoriam, in finem. Vide Theſaurum. *Avertis*. Hebræus futuro: Abſcondes. *Faciem tuam*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Facies tuas. Differunt quidem nonnihil: Avertere faciem, & abſcondere, ſed tam parvo diſcrimine, ut vix notari dignum ſit.

3. *Ponere conſilia in anima*, eſt idiotiſmus ſatis notus. *Per diem*. Sic Hebræus: Die, interdiu. Sic habet Vaticani Codex. Impreſſi tamen Græcorum libri legunt ἡμέρας καὶ νυκτὸς, per diem, & noctem.

4. *Reſpice*. Aſpice, intuere. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exaudi*. Hebræus: Reſponde, quod exauditionis ſignum eſt, ut etiam ſuperius diximus. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Dii mei. *Ne unquam*. Hebræus: Ne forte, ne quando. Minima varietas. *Obdormiam*. Pro ſimplici, dormiam, poſitum. *In morte*. Quædam exemplaria habent, in mortem. Hebræus ſuo dicendi tropo genitivo profert: Mortis, morte. Illuminare oculos, dormire morte, ſunt idiotiſmi ſatis noti.

5. *Dicat*. Sic Hebræus futuro; Dicet. *Prævalui adverſus eum*. Idem Hebræus ſuo dicendi modo: Potui, prævalui eum. *Qui tribulant*. Hebræus nomine Toar: Tribulantes, affligentes me. *Si*. Particula כִּי varie ſumitur: Si, cum, & cætera, ut in Theſauro. *Motus fuero*. Idem Hebræus: Movebor. Idiotiſmus. Si de tua gratia & auxilio, ſi de meo ſtatu dejectus fuero.

6. *Miſericordia*. Ut tranferunt noſtri. Hebræus: Pietate. *Speravi*. Hebræus: Confiſus ſum; Quod ſine ſpe non eſt. *In ſalutari tuo*. Sic transferunt noſtri ſæpius. Hebræus: In ſalute tua, auxilio tuo, ob præſidium tuum. *Qui*. Hebræis eſt כִּי, cauſativa particula rationem reddens, quare cantare debeat: quamvis & hoc parum referat. Quia. *Bona tribuit*. Beneficia contulit, beneficiis affecit. *Mihi*. Hebræus ſuo dicendi tropo: Super me. Quæ ſequuntur, *Et pſallam nomini Domini altiſſimi*, non habentur in Hebræo; ſed neque in Chaldaica, & Syriaca translatione. Habentur autem in Græca, & Arabica. Quæ videntur eſſe deſumpta ex alio loco, & fortaſſis ex Pſalmo *9*. 3. & ad majorem declarationem hic addita, quod nonnunquam Vulgatus facit, addens aliquid de ſuo, ut ſenſum magis explicet.

PSALMUS XIV. Latinis XIII.

למנצח לדוד אמר נבל בלבו אין אלהים השחיתו התעיבו עלילה אין עשה טוב:

יהוה משמים השקיף על בני אדם לראות היש משכיל דרש את אלהים:

הכל סר יחדו נאלחו אין עשה טוב אין גם אחד:

הלא ידעו כל פעלי און אכלי עמי אכלו לחם יהוה לא קראו:

שם פחדו פחד כי אלהים בדור צדיק:

עצת עני תבישו כי יהוה מחסהו:

1. *Præpoſito Davidi.*
Dixit nebulo in corde ſuo, non Dii, corruperunt, abominabilem reddiderunt actionem, non faciens bonum.

2. *DOMINUS de cælis proſpexit ſuper filios Adam, ad videndum, ſi eſt intelligens, requirens Deos.*

3. *Omnis receſſit, ſimul putidi facti ſunt, non faciens bonum, non etiam unus.*

4. *Nonne cognoverunt omnes operatores iniquitatis, edentes populi mei ederunt panem, DOMINUM non vocarunt.*

5. *Illic trepidaverunt timore, quoniam Dii in ætate juſta.*

6. *Conſilium afflicti confundetis, quoniam DOMINUS confugium ejus.*

1. In finem *Pſalmus* David.
Dixit inſipiens in corde ſuo, non *eſt* Deus.
Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non *eſt*, qui faciat bonum, *non eſt uſque ad unum*.

2. DOMINUS de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, *aut* requirens Deum.

3. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non *eſt*, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.
Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.
Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.
Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum.

4. Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis?
DOMINUM non invocaverunt, 5. illic trepidaverunt timore, *ubi non erat timor*.
Quoniam DOMINUS in generatione juſta *eſt*, 6. conſilium inopis confudiſtis, quoniam DOMINUS ſpes ejus *eſt*.

7. Quis

מי יתן מציון ישועת ׳ ישראל בשוב יהוה שבות עמו ילג יעקב ישמח ישראל ׃

7. *Quis dabit ex Sion ſalutem Iſrael? in avertendo DOMINUS captivitatem populi ſui, exultabit Jacob, lætabitur Iſrael.*

7. Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? cum averterit DOMINUS captivitatem plebis ſuæ, exultabit Jacob, & lætabitur Iſrael.

ANNOTATIONES.

ALtera temporis illius infeliciſſimi deſcriptio, quo facinoroſorum erant omnia plena, Chriſtique adventus bonis omnibus ſalutem allaturus poſtrema Pſalmi parte prædicitur. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito. Alterum ejuſdem argumenti, necnon earumdem ſententiarum fere, Pſalmum habes inferius numero 53. In iſto Pſalmo tres verſiculi ſunt in editione vulgata, quos non habet Hebræus, nec Chaldæus, nec Syrus contextus. Græcus etiam nunc illos non habet; olim tamen forſan habuit, quod ſuſpicari licet, tum ex Arabica interpretatione, quam e Græco deſumptam non dubito, in qua etiam nunc viſuntur, tum ex tertio capite epiſtolæ Pauli ad Romanos, ubi Græcam literam, quæ, ut arbitrantur nonnulli, LXXII. fuit interpretum, cum his inſerit verbis: qui tamen a Paulo (ut inquit Hieronymus) de variis Scripturarum locis deſumpti ſunt, nempe ex Pſalmo 5. 9. 35. 140. Eſaia 59. vel ex Proverbiorum libro 3. Confer locos.

1. *In finem*. Hebræus: Præpoſito, ut ſupra. *Pſalmus*. A noſtris additum eadem ratione, qua & Pſalmo XI. Ibi vide. *David*. Dativi vel genitivi caſus, ut ſupra. *Inſipiens*. Collective, & ob id ſtatim mutat numerum. Nomen Hebræum, non inſipientem proprie, ſed nebulonem potius ſignificat, quod nomen latinum ab illo deflectitur, quamvis hoc parum referat, nam quæ major inſipientia, quam Deum negare? Dicere in corde, eſt cogitare. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Deus*. Hebræus pluraliter: Dii. *Corrupti ſunt*. Idem Hebræus, quamvis activa oratione, quæ nullam ſenſus mutationem facit. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Abominabiles facti ſunt*. Hebræus iterum active: Abominabilem reddiderunt. *In ſtudiis ſuis*. Hebræus ſingulariter collective, accuſativo, & ſine præpoſitione, & pronomine: Actionem, opus, ſtudium. Nulla ſenſus varietas. Corrumpere, abominabilem facere actionem, eſt idiotiſmus elegans; ideſt perverſe, & prave agere, omnibus vitiorum generibus ſe commiſcere. *Eſt*. Subintellectum, ut ſupra. *Qui faciat*. Hebræus idem participio: Faciens. *Non eſt uſque ad unum*. Additum ex verſu tertio ad majorem declarationem.

2. *De Cælo*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: De cælis. *Hominum*. Hebræus ſingulariter collective: Adam, hominis. *Ut videat*. Hebræus gerundio: Ad videndum. *Aut*. Non habetur in Hebræo; ſed idem eſt, intelligens, & requirens. *Deum*. Hebræus pluraliter: Deos.

3. *Omnes*. Hebræus ſingulariter collective: Omnis. *Declinaverunt*. Non aliter Hebræus fere, ſed ſingulariter: Receſſit, declinavit a recto. *Inutiles facti ſunt*. Tranſlatio ſenſus. Tamquam putidi, carnalia tantum deſideria ſectantes, & nihil curantes cæleſtia. Hebræus: Putidi facti ſunt. *Eſt qui faciat*. Hebræus ut ſupra v. 1. *Non eſt uſque ad unum*. Hebræus idem prope, ſuo dicendi modo: Non etiam unus.

4. *Cognoſcent*. Hebræus præterito: Cognoverunt. *Qui operautur iniquitatem*. Idem Hebræus participio: Operantes, operatores iniquitatis. *Qui devorant plebem meam*. Poſſunt quidem hunc ſenſum habere Hebræa verba, ſi termi-

nes

nes ſententiam, prout facit Vulgatus, quam Hebræi nunc ulterius protrahunt, & alium ſenſum hinc eliciunt: Edentes populi mei; ideſt populus meus ſedens ad menſam edendi gratia. Vide Pſalmo 53. Græcus Vaticani codex habet. *οἱ κατεσθίοντες τὸν λαόν μου*: quemadmodum videtur legiſſe & interpres; in impreſſis tamen legitur, *οἱ ἐσθίοντες*, quæ lectio videtur magis cum Hebræo convenire. *Sicut eſcam panis*. Suſpicor, Noſtros literis tranſpoſitis legiſſe, אוֹכֶל לֶחֶם, cibo, (ut cibum, eſcam) panis, quod nunc Hebræis eſt אָכְלוּ לֶחֶם, ederunt panem: niſi malles eos ſenſum tranſtuliſſe; ideſt, arbitrati ſunt, ſe edere panem. Hebræis edere panem, eſt idiotiſmus pro cenare, prandere. Non invocare Dominum, alter idiotiſmus, pro non benedicere menſæ, non gratias agere.

5. *Ubi non erat timor*. Additum ex Pſalmo 53. qui idem fere eſt, ad majorem fortaſſis intelligentiam; nam parum id refert. *In generatione juſta*. In ætate juſta, cum hominibus juſtis verſatur. Græcus habet *ἐν γενεᾷ δικαίων*, quem ſenſum & Hebræus habere poteſt: In ætate juſti; collective, juſtorum.

6. *Inopis*. Qui nimia premitur afflictione, dum horum hominum tam perturbata conſilia videt. Sic transferunt noſtri. Hebræus: Afflicti, paupertate, & miſeriis omnibus. *Confudiſtis*. Hebræus futuro: Confundetis. Confundere conſilium, eſt idiotiſmus, pro ſtultum, ridiculum, pudendum exiſtimare. *Quoniam*. Sic Hebræus: כִּי, quia Dominum confitetur, quem vos negatis. Græcus habet *ὁ δὲ κύριος*, at Dominus. *Spes ejus*. Sic transferunt noſtri. Hebræus: protectio, confugium, locus, ad quem ſe tamquam in tuto quis recipit, quod ſine ſpe ſalutis non fit. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia.

7. *Quis dabit*. Modus optandi Hebraicus: Utinam. *Salutare*. Sic transferunt noſtri vocem Hebræam, ut ſæpius vidimus: Salutem, auxilium, Chriſtum. *Cum averterit*. Hebræus gerundio: In avertendo, convertendo, reverti faciendo. Tunc aufugient improbi tamquam lucis oſores, & probi exultabunt, & lætabuntur. *Et*. Non habetur in Hebræo.

PSALMUS XV. Latinis XIV.

מזמור לדוד יהוה מי יגור באהלך מי ישכן בהר קדשך :

הולך תמים ופעל צדק ודבר אמת בלבבו :

לא רגל על לשנו לא עשה לרעהו רעה וחרפה לא נשא על קרבו :

נבזה בעיניו נמאס ואת יראי יהוה יכבד נשבע להרע ולא ימר :

כספו לא נתן בנשך ושחד על נקי לא לקח עשה אלה לא ימוט לעולם:

1. *Pſalmus Davidi.* *DOMINE quis incolet in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte ſanctitatis tuæ?*

2. *Ambulans perfectus, & operans juſtitiam, & loquens veritatem in corde ſuo.*

3. *Non inceſſit ſuper lingua ſua, non fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non levavit ſuper proximum ſuum.*

4. *Deſpectus eſt in oculis ejus rejectus, & timentes DOMINI glorificabit, juravit malo, & non mutabit.*

5. *Pecuniam ſuam non dedit in uſuram, & munus ſuper innocentem non accepit, faciens hæc non movebitur ſeculo.*

1. Pſalmus David. DOMINE quis habitabit in tabernaculo tuo? *aut* quis requieſcet in monte ſancto tuo?

2. Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam.

Qui loquitur veritatem in corde ſuo, 3. qui non egit dolum in lingua ſua.

Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos.

4. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus, timentes autem DOMINUM glorificat.

Qui jurat proximo ſuo, & non decipit, 5. qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.

Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

ANNOTATIONES.

QUi tandem Cælo potituri ſint, brevi, eademque ornata deſcribit oratione. Diſtinctionum ſententiarum varietates ex temetipſo recognoſcas velim.

1. *David*. Dativi caſus, vel genitivi, ut ſupra. Vaticani codex cum Hebræo concordat in titulo, quamvis in impreſſis legatur, εἰς τὸ τέλος ψαλμὸς τῷ Δαβίδ, In finem Pſalmus David. *Habitabit*, *requieſcet*. Hebræus: Incolet, habitabit; ſed Vulgatus parum ab eo deflectit, ut orationem elegantiorem reddat, minima, vel prorſus nulla ſenſus immutatione facta. *Aut*. Non habetur in Hebræo. Incolere tabernaculum, habitare in monte Dei, ſunt idiotiſmi converſationem optimam in Eccleſia militanti, vel potius in cæleſti denotantes; quaſi diceres: quis putas, vere fidelis, & prudens ſervus tuus ſit? *Sancto suo*. Sic Hebræus ſubſtantivo, de more linguæ: Sanctitatis tuæ: in quo monte Dei ſanctitas, & reverentia requieſcit.

2. *Qui ingreditur*. Poſitum pro ſimplici graditur, ne putares velle dicere de introeunte cælum ſine macula. Hebræus participio: Vadens, ingrediens. Reſpondet interrogationi. *Sine macula*. Non aliter Hebræus adjectivo nomine: Perfectus, integer, abſolutus. Eſt autem He-

 brai-

braiſmus elegans, aliquem ingredi perfeſtum, integrum, pro innocenter, & ſine culpa vivere. *Operatur*. Hebræus iterum participio: Operans, faciens juſtitiam, quæ juſta ſunt. *Qui loquitur*. Hebræus hic etiam participio, & conjunctione: Et loquens. Loqui veritatem in corde, eſt, veridica ſemper meditari, ut verax, fidelis, & conſtans apud omnes inveniaris.

3. *Qui*. Non habetur in Hebræo. *Non egit dolum in lingua ſua*. Vulgatus ſenſum, non verba tranſtulit; quamvis Hebræa ſententia reſtrictior ſit, obtrectatores tantum perſtringens, qui ſeminant, ut ait Scriptura, inter fratres diſcordias. Ea ſic habet ad verbum: Non perrexit, pedibus inceſſit ſuper lingua ſua. Idiotiſmus ſatis ornatus, quem in Theſauro, & commentariis explicavimus. *Nec*. Hebræus ſine conjunctione: Non fecit. *Non accepit*. Ut proximis imponat, vel imponi patiatur. Hebræus: Non levavit. *Adverſus*. Sic Hebræus ſuo modo: Super. *Proximos ſuos*. Quaſi legerint, punctis immutatis, Noſtri קְרֹבָיו quod nunc Hebræis eſt ſingulare, קְרֹבוֹ, proximum ſuum: vel certe collectivum nomen explicarunt. Levare ignominiam ſuper aliquem, eſt idiotiſmus notus.

4. *Ad nihilum &c.* Optime Vulgatus ſenſum, non verba tranſtulit, pro: nihili factus, & deſpectus eſt in conſpectu ejus, quiſquis malitia contemptibilis & vilis efficitur; reverentes autem Dominum honore afficit. Hebræus: Deſpectus, contemptus eſt, deſpicitur. *In conſpectu*. Hebræus ſuo tropo: In oculis ejus. Idiotiſmus. Ideſt, reputat. *Malignus*. Hebræus: Spretus, rejectus, a Deo, contemptibilis ob malitiam. *Dominum*. Hebræus genitivo: Domini. Qui Dominum reverentur. *Glorificat*. Sic Hebræus futuro: Glorificabit. *Qui*. Non habetur in Hebræo; quod nihil refert. *Jurat*. Videntur legiſſe noſtri participio נִשְׁבָּע, jurans: quod nunc Hebræis eſt præteritum נִשְׁבַּע, juravit. Sed hæc minima. *Proximo ſuo*. Vulgatus procul dubio legit לְרֵעַ, proximo, de ſuo pronomen addens, facili punctorum vocalium mutatione: quæ fortaſſe verior lectio fuit; nam Hebræorum interpretationes verbi לְהָרַע lectionis hodiernæ ſatis frigent. Ad male agendum; ſibi videlicet, inquiunt, jejuniis, carnis maceratione, & hujuſmodi ſcilicet. *Et non decipit*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus futuro: Et non mutabit. Juramentum revocandum non eſt, neque mutandum, ut decipias. Poſſumus tamen Hebræum contextum excuſare, modo לְהָרַע verbum, vel nomen adjectivum, vel ſubſtantivum ſit, ut locuntur Grammatici. Si malo viro, quiſquis tandem ille ſit, fidem dederis, illa non eſt fallenda, maxime quando juramento eſt confirmata. Hæc expoſitio elicitur, ſi לְהָרַע nomen adjectivum ſit. Malo, viro improbo. Mihi tamen magis arridet, ut ſubſtantivum, vel etiam verbum eſſe dicamus, idiotiſmo ſatis eleganti, quo dicitur: aliquem jurare, τῶ male agere, vel malo ipſo, nec mutare, pro eo ac ſi diceres: ſtatim cum ei ſe offert occaſio peccandi, vel male agendi, jurat, ſe nunquam illud facinus perpetraturum, nec juramentum revocat, neque mutat. Hunc ſenſum, ut catholicum, quamvis noſtrum, nemini diſplicere velim.

5. *Qui*. Non habetur in Hebræo. *Pecuniam*. Nomen Hebræum, argentum ſignatum, & non ſignatum denotat. *Ad uſuram*. Hebræus: In uſuram. *Munera*. Hebræus ſingulariter: Munus. *Super*. Contra. *Qui facit*. Hebræus participio: Faciens. *Non movebitur*. Idiotiſmus: Semper monte ſancto perfruetur. *In æternum*. Hebræus dativo: ſeculo, æterno: nunquam expelletur a Dei tabernaculo.

PSAL.

PSALMUS XVI. Latinis XV.

מכתם לדוד שמרני אל כי חסיתי בך :	1. *Aureolum Davidi. Conſerva me Deus, quoniam confugi in te.*	1. Tituli inſcriptio ipſi David. Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te, 2. dixi DOMINO, Deus meus *es* tu, quoniam bonorum meorum non eges.
אמרת ליהוה אדני אתה ט טובתי בל עליך :	2. *Dixiſti* DOMINO, *Domini mei tu, bonum meum non ſuper te.*	
לקדושים אשר בארץ המה ואדירי כל חפצי בם :	3. *Sanctis, qui in terra ipſi, & robuſtis omnis voluntatis meæ in eis.*	3. Sanctis, qui ſunt in terra *ejus*, mirificavit omnes voluntates meas in eis.
ירבו עצבותם אחר מהרו בל אסיך נסכיהם מדם ובל אשא את שמותם על שפתי :	4. *Multiplicabuntur dolores eorum, alium dotarunt, non libabo libamina eorum de ſanguine, nec levabo nomina eorum ſuper labiis meis.*	4. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.
יהוה מנת חלקי וכוסי אתה תומיך גורלי :	5. DOMINUS *pars portionis meæ & calicis mei, tu ſuſtinens ſortem meam.*	5. DOMINUS pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu *es*, *qui* reſtitues hæreditatem meam *mihi*.
חבלים נפלו לי בנעימים אף נחלת שפרה עלי :	6. *Funes ceciderunt mihi in jocundis, etiam hæreditas pulchritudinis ſuper me.*	6. Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas *mea* pręclara eſt mihi.
אברך את יהוה אשר יעצני אף לילות יסרוני כליותי :	7. *Benedicam* DOMINUM, *qui conſuluit me, etiam noctibus erudierunt me renes mei.*	7. Benedicam DOMINUM, qui tribuit mihi intellectum, inſuper & *uſque ad* noctem increpuerunt me renes mei.
שויתי יהוה לנגדי תמיד כי מימיני בל אמוט :	8. *Adæquavi* DOMINUM *oppoſito meo ſemper, quoniam a dextera mea, ne movebor.*	8. Providebam DOMINUM in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris *eſt* mihi, ne commovear.
לכן שמח לבי ויגל כבודי אף בשרי ישכן לבטח :	9. *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit gloria mea, etiam caro mea habitabit fiduciæ.*	9. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.
כי לא תעזב נפשי לשאול לא תתן חסידיך לראות שחת :	10. *Quoniam non derelinques animam meam inferno, non dabis pium tuum ad videndum corruptionem.*	10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.
תודיעני ארח חיים שבע שמחות את פניך נעמות ב בימינך נצח :	11. *Cognoſcere facies me viam vitarum, ſaturitas gaudiorum cum faciebus tuis, jocunditates in dextera tua, victoria.*	11. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua uſque in finem.

AN-

ANNOTATIONES.

DEi veri cultorem canit elegantiſſimis verſibus, prædicens interim Chriſti reſurrectionem. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *Tituli inſcriptio*. Quid ſibi voluerint LXXII, & Vulgatus verbis iſtis ςηλογραφία, &, Tituli inſcriptio, conjectare non poſſumus. De verbo Hebræo מִכְתָּם, quod Aureolum interpretati ſumus, in commentariis, & Theſauro diſſeruimus. *Ipſi David*. Sic Hebræus: Davidi, vel Davidis: prout ſæpius, Lamed utrique caſui deſervire diximus. *Domine*. Hebræus: Deus. Minimi momenti varietas. *Speravi*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: confugi, refugium, confugium quæſivi; quod ſine ſpe non fit.

2. *Dixi*. Vulgatus procul dubio legit אָמַרְתִּי, dixi, quod nunc eſt ſecunda perſona feminini generis אָמַרְתְּ, dixiſti. Judæi referunt ad animam; quam alloquatur Vates. Idem tamen ſenſus. Dixi ego, dixiſti ô anima mea. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Domini mei. *Es*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Quoniam*. Redundat Latine, quod in Hebræo non habetur. *Bonorum meorum non eges*. Optime ſenſum tranſtulit Vulgatus, quamvis Hebræa verba varie poſſint intelligi, ut in commentariis. Ea ſic habent ad verbum ſuo tropo: Bonum meum non ſuper te: Nihil tibi confert. Vel cum Hebræis: nihil a te præter te expeto, quod Dominum te vocem, proinde ſanctis, & fidelibus ſuis benefacias, opto, & te partem hæreditatis meæ, & calicis mei eſſe deſidero.

3. *Sanctis &c.* Sententia Hebræa ſatis obſcura eſt, prout videre licet in commentariis. Ea ſic habet ad verbum. Sanctis, qui in terra ipſi (ſunt, videlicet, nam pronomina verbi ſubſtantivi ſupplent vices, ut in Grammatica), & præpotentibus totius voluntatis meæ in eis. His benefacias opto videlicet, horum bonum ſit ſuper te. Fideles, & veros Dei cultores, ſanctos, & præpotentes, robuſtos, vocat, in quibus voluntatem omnem ſe habere dicit, idiotiſmo perquam eleganti, quem notes velim. Quod ad Noſtros attinet, quidam putant, eos legiſſe יַאְדִּיר, in initio quidem dictionis Jod pro Vau poſito; in fine vero Jod ut paragogicum, aut abundans accepiſſe. Ego tamen arbitror, eos, ſervatis quidem eiſdem fere literis, quæ ſunt in Hebræo, ſed nonnullis tranſpoſitis, legiſſe לִקְדוֹשִׁים אֲשֶׁר בְּאַרְצוֹ הֵם הֶאְדִּיר כָּל חֶפְצִי בָם. Hujuſmodi literarum confuſionem in pſalmis factam, etiam alibi annotabimus. Quæ vero lectio verior ſit, alii dijudicent. Neutram ego (ut catholicam) reſpuerem. Latini tandem, Græcique variant ſatis in lectione hujus verſiculi, nam quod habemus nunc *mirificavit*, & Græce ἐθαυμάστωσεν, quidam *mirificabit*, vel *mirificet*, vel tandem, *mirificavi* legunt. Quidam Hebræum אַדִּירֵי, pro אַדִּירִים poſitum eſſe arbitrantur: alii regimen exiſtimantes, ut eſt, ſubaudiunt לֵב, cordis, aut אֶרֶץ, terræ: quæ omnia puritati linguæ contrariantur, nam hujus regimen ſunt omnia illa verba, *totius voluntatis meæ in eis*. Sequitur in libris Græcis ἐθαυμάστωσεν ὁ κύριος, mirificavit Dominus; ſed Vaticanus codex, Hebræus, Latinuſque, vocem illam *Dominus* prætereunt. *Voluntates meas*. Græcus τὰ θελήματα ἀυτȣ̃. Sic & noſtrorum aliqui *Voluntates ſuas* habent, quaſi legerint facillimo tranſitu Jod in Vau חֶפְצוֹ, quod nunc Hebræis eſt חֶפְצִי. *In eis*. Sic etiam Græcus ἐν ἀυτοῖς. Quidam tamen noſtrorum legunt *inter illos*; quod ſæpius, ubi videtur ſententiæ convenire, ſic interpretentur.

4. *Multiplicatæ ſunt*. Verbum Hebræum quidem futurum eſt: Multiplicabuntur, quod nihilominus transferri poteſt

eſt

eſt præterito, ſicut Vulgatus egit. *Infirmitates*. Hebræus: Dolores; ex quibus dein procreantur infirmitates. *Poſtea*. Quidam legunt duobus vocabulis, ut LXXII, *μετὰ ταῦτα*, poſt eas res: ego tamen conjunctim pronunciarem; nam cenſeo, Vulgatum legiſſe אַבַר, quod nunc punctis vocalibus immutatis eſt אַחֵר, ideſt Alium. *Acceleraverunt*. Vulgatus legit מִהֲרוּ, in pihel; vel certe credidit, etiam in conjugatione Cal retinendam eſſe thematis Hebræi ſignificationem propriam, quod non diſplicet. Hebræis verbum eſt tranſlatum, ut in commentariis. מָהָרוּ, Dotarunt. Dotare alium: a Deo ſcilicet, eſt idiotiſmus, pro idola colere. *Non congregabo*. Idem fere ſenſus in Hebræo, quamvis verba diverſa ſint: Non libabo libamina eorum de ſanguine: Non cogam conventus eorum ad libandum, quippe qui ſunt de ſanguinibus: Hoſtiarum cruentarum coitiones ſacrificandas compeſcam: Libamina ſanguinea non libabo. *Nec memor ero nominum eorum*. Eadem in Hebræo ſententia, licet diverſis verbis, quæ proprio dicendi tropo ſic habet: Et non levabo nomina eorum. *Per*. Hebræus: Super labiis meis.

5. *Hæreditatis*. Idem ſenſus in Hebræo: Partis, portionis, poſſeſſionis. Dominus eſt mihi pro divitiis, & bonis omnibus, pro legitima poſſeſſione. Pars partis, & calicis alicujus, eſt idiotiſmus, ut in Theſauro. *Es, qui*. Addita ex ſermonis conſequentia. *Reſtitues &c.* Minima ſenſus variatio. Hebræus ſuo tropo, participio: Tu ſuſtinens meam ſortem, hæreditatem: non patieris, ut me quis hac poſſeſſione deturbet.

6. *Funes cadere* alicui, eſt Hebraiſmus pulcherrimus, jam à nobis in Theſauro declaratus; ideſt, hæreditatem ei accidere: quod funibus agri menſurentur. *In præclaris*. Idem Hebræus fere: In jocundis: in locis amœnis. Metaphora. In Deo ſcilicet, cujus ſorte nihil præclarius. *Etenim*. Sic Hebræus: Etiam, inſuper. *Mea*. Videntur Noſtri legiſſe נַחֲלָתִי, Hæreditas mea, quod nunc Hebræis eſt ſine pronomine נַחֲלַת. Niſi malles, eos ad declarationem de ſuo pronomen addidiſſe. *Præclara eſt*. Dictio שָׁפְרָה verbum eſt Hebræis, ſed fortaſſe falluntur. Mihi certe potius nomen eſt. Scias vero, diverſas eſſe voces eas in Hebræo, quas Vulgatus. *Præclaris*, & *præclara* tranſtulit. Hæc quidem pulchritudinis, illa vero delectationis, & amœnitatis ſignificationem habet: quamvis revera minimam ſenſus varietatem generent. Conſule Theſaurum. *Mihi*. Hebræus ſuo tropo: Super me. Hæreditatem pulchritudinis eſſe ſuper aliquem, alter idiotiſmus; ideſt, agrum habere optimum.

7. *Qui tribuit mihi intellectum*. Tranſlatio ſenſus. Conſulendo ſcilicet, ut Hebræus habet: Qui conſuluit me. *Uſque ad*. A Noſtris additum ad declarationem. *Noctem*. Hebræus plurali: Etiam noctibus. *Increpuerunt*. Poſitum pro erudire, admonere. Laudabo Dominum, qui mihi bene ſolet conſulere, ut etiam noctibus renes mei erudiant me. Vide commentaria.

8. *Providebam*. Hebræus ſuo tropo: Adæquavi Dominum, recte eum mihi jugiter propoſui. Minima variatio vocis, non ſenſus. Conſule Theſaurum. *In conſpectu meo*. Idem Hebræus dativo, ſuo loquendi tropo: Oppoſito meo, ex oppoſita parte, coram me. *A dextris mihi*. Hebræus ſingulariter: A dextra mea. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Commovear*. Hebræus futuro: Movebor. Non moveri, eſt idiotiſmus, ut alibi.

9. *Propter hoc*. Idem Hebræus dativo, quamvis latine efferre non poſſumus. Vide Theſaurum. *Lingua mea*. Olim fortaſſe legebatur לְשׁוֹנִי, quod nunc eſt כְּבוֹדִי, Gloria mea. Sed & Syrus habet ܬܫܒܘܚܬܝ, & Chaldæus אִיקָרִי, quæ omnia gloriam, non linguam ſignificant. Quamvis ego potius crederem, Hebræam lectionem incorruptam eſſe; Noſtros autem dedita opera linguam tranſtuliſſe, quæ hominis eſt gloria, cum locutione ſimus a bru-

a brutis differentes.' Eadem ratione animam interpretantur Hebræi. *Requieſcet*. Idem Hebræus fere: Habitabit. *In ſpe*. Hebræus dativo: Fiduciæ, confidentiæ, ſecure; quod ſine ſpe non eſt.

10. *In Inferno*. Hebræus dativo: Inferno. Vox Hebræa ſepulchrum, & infernum ſignificat, ut in Theſauro. *Nec* Hebræus ſine conjunctione: Non. *Sanctum*. Sic fere ſemper interpretatur Vulgatus dictionem חָסִיד, ideſt pium: quod parum, vel nihil refert. *Videre*. Hebræus gerundio: Ad videndum; ut videat. *Corruptionem*. Vel foveam; nam utrumque ſignificat, idemque ſenſus eſt. Eſt autem idiotiſmus elegans, non permittere, quod aliquis videat foveam; illius ſententiæ, deſcendant in infernum viventes, antiteton: quod notes.

11. *Notas mihi feciſti*. Idem Hebræus futuro: Scire, cognoſcere facies me. *Vias*. Hebræus in ſingulari Viam habet, quod notandum eſt. *Vitæ*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Vitarum. Poteſt etiam eſſe adjectivum, ideſt viventium, vivorum. Notas facere vias vitæ, eſt idiotiſmus, pro vivum conſervare. *Adimplebis*. Vulgatus punctis immutatis legit שָׂבֹעַ, vel שַׂבֵּעַ, ideſt Satiando, paſſive, vel active, & pronomen de ſuo ad declarationem addidit; vel certe ſenſum, non verbum tranſtulit. Hebræus nunc habet שֹׂבַע, ſaturitas. *Lætitia*. Hebræus genitivo pluraliter: Gaudiorum. *Vultu tuo*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Cum faciebus tuis. *Delectationes*. Idem Hebræus: Jocunditates. *Uſque in finem*. Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Victoria, in Victoriam, in perpetuum. Hebræa verba poſſunt referri ad verbum antecedens, ſic: Notam facies mihi viam vitæ; ſatietatem gaudiorum, & delectationes, quæ ſunt in dextera tua. Vel intelliguntur per ſe, nempe ſic: Satietas gaudiorum eſt cum vultu tuo; delectationes ſunt in dextera tua perennes. Idem fere Vulgatus. Sunt autem omnes hæ locutiones pulcherrimæ ſatis notæ, quas diligentius velim obſerves.

PSALMUS XVII. Latinis XVI.

תפלה לדוד שמעה יהוה צדק הקשיבה רנתי האזינה תפלתי בלא שפתי מרמה:	1. *Oratio Davidi.* *Audi DOMINE juſtitiam, auſculta ovationem meam, auſculta orationem meam in non labiis doli.*	1. Oratio David. Exaudi DOMINE juſtitiam *meam*, intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.
מלפניך משפטי יצא עיניך תחזינה מישרים:	2. *De faciebus tuis judicium meum prodibit, oculi tui videbunt rectitudines.*	2. De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.
בחנת לבי פקדת לילה צ צרפתני בל תמצא זמתי בל י יעבר פי:	3. *Probaſti cor meum, viſitaſti nocte, examinaſti me, non invenies, cogitare meum non pertranſibit os meum.*	3. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. Ut non loquatur os meũ
לפעלות אדם בדבר שפתיך אני שמרתי ארחות פרץ:	4. *Operibus Adam in verbo labiorum tuorum ego cuſtodivi vias latronis.*	4. opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.

5. Per

תמך אשרי במעגלותיך בל נמוטו פעמי :	*5. Fulciendo greſſus meos, in ſemitis tuis, non mota fuerunt veſtigia mea.*	5. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.
אני קראתיך כי תענני אל הט אזנך לי שמע אמרתי :	*6. Ego vocavi te, quoniam reſpondebis mihi Deus, inclina aurem tuam mihi, audi dictum meum.*	6. Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.
הפלה חסדיך מושיע חוסים ממתקוממים בימינך :	*7. Mirifica pietates tuas ſalvans confugientes ab inſurgentibus in dexteram tuam.*	7. Mirifica miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes *in te*
שמרני באישון בת עין בצל בנפיך תסתירני :	*8. Cuſtodi me ut pupillam filiam oculi, in umbra alarũ tuarum abſcondes me.*	A reſiſtentibus dexteræ tuæ, 8. cuſtodi me, ut pupillam oculi.
מפני רשעים זו שדוני איבי בנפש יקיפו עלי :	*9. A faciebus injuſtorum borum, qui devaſtarunt me, inimici mei in anima circumdederunt ſuper me.*	Sub umbra alarum tuarum protege me, 9. a facie impiorum, qui me afflixerunt.
חלבמו סגרו פימו דברו ב בגאות :	*10. Adipe ſuo concluſerunt os ſuum, locuti ſunt in ſuperbia.*	Inimici mei animam *meam* circumdederunt, 10. adipem ſuum concluſerunt, os eorum locutum eſt ſuperbiam.
אשרנו עתה סבבוני עיניהם ישיתו לנטות בארץ :	*11. Greſſum noſtrum nunc circumdederunt nos, oculos ſuos poſuerunt ad declarandum in terram.*	11. Projicientes me, nunc circumdederunt me, oculos tuos ſtatuerunt declinare in terram.
דמינו כאריה יכסוף לטרף וככפיר ישב במסתרים :	*12 Similitudo ejus, ſicut leo cupiet ad rapiendum, & ſicut catulus leonis habitans in abditis.*	12. Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis.
קומה יהוה קדמה פניו ת תבריעהו פלטה נפשי מרשע חרבך :	*13 Exurge DOMINE, præveni facies ejus, proſterne eum, eripe animam meam ab injuſto, gladio tuo.*	13. Exurge DOMINE, præveni eum, & ſupplanta eum, eripe animam meam ab impio, frameam tuam 14. ab inimicis manus tuæ.
ממתים ידך יהוה ממתים מ מחלד חלקם בחיים וצפינך תמלא בטנם ישבעו בנים ו והניחו יתרם לעולליהם :	*14. A mortalibus manu tua DOMINE, a mortalibus de mundo, pars eorum in vitis, & abſcondito tuo adimplebis ventrem eorum, ſaturabuntur filiis, & dimittent reliquiam ſuam parvulis ſuis.*	DOMINE a paucis de terra divide eos in vita *eorum*, de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum. Saturati ſunt filiis, & dimiſerunt reliquias ſuas parvulis ſuis.
אני בצדק אחזה פניך א אשבעה בהקיץ תמונתך :	*15. Ego in juſtitia videbo facies tuas, ſatiabor in expergiſcendo imago tua.*	15. Ego *autem* in juſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor, cum apparuerit gloria tua.

AN-

ANNOTATIONES.

Ne perſecutionibus inimicorum obruatur, obſecrat, quos in hac vita fortunari, ſe vero gloriam æternam expectare decantat. Variat multum in hoc Pſalmo Vulgatus ab Hebræo, tam in dictionum interpretatione, quam in ſententiarum diſtinctione, quod mirum eſt. Et quidem etiam Hebræa lectio ſatis obſcura eſt, & varias interpretationes patitur, ut habes in commentariis. Conabimur tamen rationem omnium reddere, ſi non veram certe, vero ſaltem ſimillimam, prout Deus nobis conceſſerit, judicium interim aliis relinquentes, ut quæ lectio verior ſit, examinent, & dijudicent.

1. *Exaudi*. Pro ſimplici poſitum: Audi. *Meam*. Ad majorem declarationem additum. *Intende*. Sic Hebræus: Auſculta, attende. *Deprecationem*. Idem Hebræus: Ovationem meam, quam precando fundo. *Auribus percipe*. Auſculta. Hæc tria verba Hebræa ſunt ſynonyma idem ſignificantia. *Non in*. Idem Hebræus ordine præpoſtero, ſuo dicendi modo: In non labiis. *Doloſis*. Hebræus ſubſtantivo ritu linguæ: Doli, fraudis.

2. *De vultu tuo*. Vox Hebræa eſt pluralis natura, dativi caſus, & cum præpoſitione, proprio dicendi tropo, quem notes: De faciebus tuis, ideſt a conſpectu tuo. Cum præpoſitione ſola, לְפָנֶיךָ, aliud ſignificaret, ut in Theſauro. *Prodeat*. Hebræus idem futuro: Prodibit, egredietur juſta mea cauſſa. *Oculi tui*. Sic Vaticani codex etiam *οἱ ὀφθαλμοί σου* quamvis in impreſſis legatur *οἱ ὀφθαλμοί μου*. *Videant*. Hebræus iterum futuro: Videbunt æquitates, rectitudines. Idiotiſmus notus.

3. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Igne me examinaſti*. Verbum quidem Hebræum proprium eſt aurificum igne metalla repurgantium, ſed transfertur etiam ad alia per metaphoram, ut hic; quaſi dicat: ut aurum igne perſpiciunt, ſic tentationibus, & rebus adverſis me exploraſti, & me ſine fuco, & ſimulatione deprehendiſti. *Et*. Neque hic habetur in Hebræo. *Non eſt inventa in me iniquitas*. Vulgatus videtur legiſſe punctis immutatis, בַּל תִּמָּצֵא זִמָּתִי: Non invenietur cogitatio mea mala: iniquitas in me. Hebræis vero clauditur ſententia ſic active בַּל־תִּמְצָא, Non invenies: ſupple, ſcoriam, vel aliud quid ſimile damnandum. Sequitur deinde זַמֹּתִי, Cogitare meum: quod cogito, non tranſibit os meum. Cogitationem non tranſire os, idiotiſmus eſt elegans, pro, imo pectore, quæ cogitas, ſupprimere, non effutire. Vulgatus terminata ſuperiori ſententia, ſicut diximus, legit deinde בַּל־יַעֲבָר פִּי לִפְעֻלּוֹת אָדָם, Ut non tranſeat os meum ad opera hominum; quem idiotiſmum reddidit mitiorem, inquiens: ut non loquar humana opera, carnalia, carnem ſapientia, ego cuſtodivi vias duras, & perverſas, ne eas facerem: ideſt, evitavi, cavi ob tuorum verborum ſententiam, & quia illud præcepiſti. Vel, repreſſi vias duras, & violentorum hominum. Hebræorum ſenſum habes in commentariis:

4. *Opera*. Hebræus dativo: Operibus, actionibus, in agendis. *Hominum*. Hebræus ſingulariter collective: Adam, hominis. *Propter verba*. Hebræus ſingulariter: In verbo, Propter verbum. *Duras*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus ſingulariter collective: Latronis, violentorum hominum. Vel proprie: Quaſi unus ex illis effectus, dum exulare cogor propter Regni promiſſionem, ſervavi latronum vias: Illorum mores imitatus prædando vivo: Vel, ut ſuperius diximus, ſervavi, ne facerem cavi.

5. *Perfice*. Idem ſenſus in Hebræo, ſed infinitivo: Suſtentare, ſuſtentando, fulciendo, perficiendo greſſus meos, non exciderunt a tuis præceptis. *Moveantur*. Hebræus præterito: Non mota fuerunt veſtigia mea, pedes mei. Suſtentare greſſus, pedes non moveri, ſunt idiotiſmi ſatis noti. Quod non exciderim a gra-

gratia tua, inquit, tibi id totum libenter concedo.

6. *Ego clamavi*. Te invocans videlicet, ut Hebræus habet. Ego clamavi, vocavi te, qui exaudire jam olim me es ſolitus. Verbum Hebræum futurum eſt; quod etiam præterito commode transferri poteſt, ut in Grammatica. Reſpondebis. Quod exauditionis eſt ſignum. Vulgatus, ut ſæpius diximus, exaudiendi verbo frequenter reddit. Inclinare aurem, idiotiſmus eſt notus. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exaudi*. Pro ſimplici poſitum: Audi. *Verba mea*. Hebræus ſingulariter: Dictum meum. Nullius momenti varietates.

7. *Mirifica*. Hebræis quidem verbum hoc aliud ſignificat, nempe ſegregare, ſeparare, ut in Theſauro. Non diſplicet tamen cum Vulgato, He poſitum eſſe loco Aleph, augendæ ſignificationis gratia, prout ſæpius fieri ſolitum eſt, pro הַפְלֵא idest, miris utere miſerationibus tuis ad me eruendum. Hic opus eſt eximia miſericordia; quia periculum eſt maximum. *Miſericordiam tuam*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus pluraliter: Pietates tuas. Separare pietates, eſt idiotiſmus non inelegans; a te ipſo videlicet, ut eas in me conferas, auxiliandi gratia. Qui ſenſus idem eſt in noſtris fere. Hebræi tamen verbum inferius referunt: Separa pietates a reſiſtentibus, noli eis favere. Conſule commentaria. *Qui ſalvos facis*. Idem Hebræus participio: Salvos faciens, opem ferens. *Sperantes*. Sic transfert Vulgatus ſemper verbum חָסָה, ut ſuperius diximus. Confugientes, refugium quærentes. *In te*. Additum ad declarationem. *A reſiſtentibus dexteræ tuæ*. Verba Hebræa ſunt confuſa metri cauſa, varieque poſſunt exponi. Ad verbum habent: Salvans confugientes ab inſurgentibus in dexteram tuam. Hæc extrema verba poſſunt copulari vel ad confugientes in dexteram tuam, ut nos fecimus, vel ab inſurgentibus, ut Vulgatus, a reſiſtentibus dexteræ tuæ; quapropter de ſuo ſuperius *in te* ob majorem declarationem addidit, & hæc poſtrema verba ſequentibus copulavit.

8. *Cuſtodi me*. Græcus addit κύριε, quæ vox in Vaticano codice non habetur, prout nec in Hebræo. *Ut pupillam*. Hanc Hebræus appellat filiam oculi; quod parum, vel nihil refert. *Sub*. Hebræus: In umbra. *Protege*. Translatio ſenſus. Hebræus futuro: Abſcondes me. Abſcondere in umbra alarum, eſt idiotiſmus pulcherrimus, ſatis notus, de quo in Theſauro.

9. *A facie*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: A faciebus. Tropus Hebraicus: ideſt, propter. *Impiorum*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Injuſtorum. Vide Theſaurum noſtrum ſuper hoc themate. *Qui*. Hebræus emphatice: Horum, qui. *Me aſſlixerunt*. Verbum Hebræum gravius quid ſonat: Devaſtarunt; maximis contuderunt afflictionibus. Non maximi ponderis varietas. Quæ ſequuntur, ſic habent ad verbum Hebraice: Inimici mei in anima (vel in animam) circulum fecerunt ſuper (ideſt contra) me. Poſſunt autem habere ſenſum Vulgati ſatis commode, quamvis etiam illud *in anima* poſſit eleganter ad *inimici* copulari; ut ſit idiotiſmus pulcherrimus, pro, qui me oderunt ex animo; vel certe, qui animam oderunt, non corpus modo: quod notes. Neuter ſenſus eſt reſpuendus.

10. *Adipem*. Vulgatus videtur terminaſſe ſententiam, ubi etiam nunc Hebræis Athnah ponitur, ſic: Adipem ſuum concluſerunt; ſe pinguefecerunt; ſe ita molliter curarunt, ut maxima pinguedo in ipſorum corpore incluſa ſit; ſunt voluptatibus & ventri dediti. Sequitur deinde: Ore ſuo locuti ſunt in ſuperbia. Idem Vulgatus: Os eorum locutum eſt ſuperbiam. Hebræus vero nunc ſic diſtinguit: Adipe ſuo concluſerunt os ſuum, locuti ſunt in ſuperbia. Locuntur ſuperbe, quod os adipe refertum habeant maximo. Idiotiſmus elegans. Sententia parum variat.

11. *Projicientes me*. Arbitror, Vulgatum, facillimo tranſitu Reſc in Daleth, legiſſe אִדְּרוּנִי, projecerunt, profuderunt

me, quod verbum Syrum eſt, non Hebræum, nec invenitur in Bibliis. Nunc Hebræus habet אַשֻׁרֵנוּ, Greſſum noſtrum. Minimi momenti eſt variatio ſignificationis. *Circumdederunt me*. Videntur etiam hic Noſtri legiſſe cum Jod סְבָבוּנִי, quod nunc Hebræis eſt cum Vau סְבָבוּנוּ. Greſſum noſtrum, ait, nunc circumdederunt; nos ipſos videlicet. *Statuerunt*. Sic Hebræus: Poſuerunt, compoſuerunt. *Declinare*. Active, prout ſæpius Vulgatum uſurpare, videre potes. Hebræus gerundio: Ad declinandum, inclinandum. Circumdare greſſum alicujus, ipſum videlicet; Ponere oculos ad inclinandum in terram, ſunt idiotiſmi ſatis noti, proditorum mores, qui aſpectu ſolent eſſe illiberali, & in terram defixo, optime exprimentes.

12. *Suſceperunt me*. Suſpicor, Vulgatum literis transpoſitis legiſſe דִמוֹנִי, verbaliter; ſenſumque, non verbum ipſum tranſtuliſſe: Imaginati ſunt, ad imaginationes ſuas me revocarunt, cogitaverunt de me, imaginatione me diripiendum ſuſceperunt. Nunc Hebræis nomen eſt דִמְיוֹנוֹ, cogitatio, imaginatio illius, qua me diripiendum mente concipit. Inimicorum caput Saulem tacite perſtringit. Ad hunc etiam modum tranſtulit Vulgatus verbum hoc pſalmo 48. 10. Confer locos. Hebræis tamen eſt ex ſignificatione radicis propria: Similitudo ejus; ſimilis eſt; mores leoninos imitatur. *Paratus*. Ob maximum rapiendi deſiderium. Translatio ſenſus. Hebræus verbo, & futuro: Deſiderabit, cupiet. *Ad prædam*. Vulgatus punctis immutatis legit לְטֶרֶף, prædæ, ad rapinam, quod nunc Hebræis eſt verbum לִטְרוֹף, Ad rapiendum, diſcerpendum.

13. *Præveni eum*. Idem Hebræa verba ſignificant: Præveni facies ejus. Idiotiſmus. Ideſt, te ille oppone. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Supplanta*. Non longe aliter Hebræus: Proſterne eum: Plantis pedum ſubjice, ſterne eum, incurva, & dejice. *Ab impio*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Ab injuſto: *Frameam tuam*. Vulgatus per Aſyntheton reddidit: Et frameam tuam; ideſt, gladium quo protegis tuos, eripe: ille enim opprimitur ab inimicis manus tuæ, potentiæ tuæ videlicet. Hebræi vero legunt ablativo caſu, quem nominant, & hic ſententiam terminantes duplicem ſenſum habent: Framea tua. Vel gladio tuo eripe animam meam ab impio; ut frameam, & gladium Dei tutelam & opem divinam vocet. Vel, eripe ab impio, gladio tuo, ideſt, qui gladius tuus eſt, quo uteris ad puniēdum, juxta illud: Heheu Aſſur virga furoris mei, & cætera. Eſa. 10. 5.

14. *Ab inimicis &c.* Miraberis, Vulgatum eamdem dictionem varie tranſtuliſſe, nam quos inimicos & paucos nominat, Hebraice מְתִים dicuntur; ideſt, homines, mortales. Quæ vox non admodum frequens eſt in Bibliis; & efficit inter alios idiotiſmum ſatis elegantem מְתֵי מִסְפָּר, homines numeri, ideſt pauci, qui facillime numerari poſſint. Hinc arbitror, Vulgatum *a paucis* dixiſſe, quod notes, velim. Prioris vero ſenſum, non verbum reddidit. Putavit enim, homines manus Dei nihil aliud eſſe, quam inimicos ejus, quibus ad flagellandum aliquos utitur: & recte quidem. Hebræi vero legunt: Ab hominibus manu tua Domine, ab hominibus de mundo, &c. Idem autem eſt judicium de *manu tua* cum *framea tua* ſuperiori. Eripe videlicet animam meam manu tua ab hominibus mundanis: vel ab iſtis manu tua, qui ſunt manus tua ſcilicet, qua frequenter cædere mortales ſolitus es, eripe. *De terra*. Quid proprie ſignificet vox Hebræa חֶלֶד, in Theſauro diximus. Nihil autem ſenſum immutat, ſi de terra transferas; ideſt in mundo potentibus, vel mundo addictis. *Divide eos*. Vulgatus punctis vocalibus immutatis verbum ex nomine fecit, legens חַלְּקֵם, & de ſuo *eorum* addidit; niſi malles & hic punctis immutatis legiſſe בְּחַיִּים, vel certe בְּחַיֵּיהֶם. Habet autem hunc ſenſum. A paucis terræ hominibus, & mundanis, qui

iſtos

iſtos fulciunt, & ſuſtentant, divide eos, & ſepara, dum adhuc vivunt: illos terræ potentes ſcilicet de vita tollendo; vel ab iſtorum partibus abalienando. Vel per paucos de terra, intelligit electos, qui reproborum comparatione pauci ſunt. Hebræa lectio hodierna diverſum quid ſonat: חֶלְקָם בַּחַיִּים. Pars eorum in vitis. Mundi hujus uſura contenti ſunt; nihil ventura poſt mortem curantes: Solius corporis, non animæ curam habent. *De abſconditis tuis*. Hebræus in ſingulari numero ſine præpoſitione legit, quod parum, aut nihil refert: Abſcondito tuo. *Adimpletus eſt venter eorum*. Idem Hebræus active: Adimplebis ventrem eorum. *Saturati ſunt*, *dimiſerunt*. Sic Hebræus futuris: Saturabuntur, Dimittent; quæ nihil ſenſum variant, prout ex te ipſo facile videre potes. *Filiis:* Quidam legunt: Filii. Hebræa vox utramque patitur interpretationem. *Reliquias*. Hebræus ſingulariter: Reliquiam, reliquum, ſuperabundans. Eſt autem Antitheſis. Illos theſauris tuis, & opibus repleas, & ſaties licet, ut contenti prole, & bonis, quæ relinquant ei, plura non requirant: aſt ego per juſtitiam videre faciem tuam, & ſatiari gloria tua expeto.

15. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Apparebo conſpectui tuo*. Eumdem ſenſum Hebræus habet, diverſis verbis licet: Videbo facies tuas. *Cum apparuerit gloria tua*. Hebræus: In expergiſcendo imago tua. Arbitror autem Vulgatum reddidiſſe ſenſum, non verba, quaſi gloria Dei tunc appareat, cum Sanctorum animæ ad eam perfruendam poſt mortem evolant. Vel animam ipſam Dei gloriam nominat, ſicut etiam Hebræo nomine תְּמוּנָה, ideſt figura, repreſentatur, quæ tunc apparet, cum moritur corpus, vel ſaltem apparebit reſurrectionis tempore, nunc corporeis incluſa membris, fide tantum cognita. Senſum Hebræorum in commentariis habes.

PSALMUS XVIII. Latinis XVII.

למנצח לעבד יהוה לדוד אשר דבר ליהוה את דברי השירה הזאת ביום הציל יהוה אותו מכף כל איביו ומיד שאול:	1. *Præfecto*, *ſervo DOMINI*, *Davidi*, *qui locutus eſt DOMINO verba cantici hujus*, *in die* qua *eripuit DOMINUS eum de vola omnium inimicorum ejus*, *& de manu Saul*.	1. In finem puero DOMINI David, qui locutus eſt DOMINO verba cantici hujus, in die *qua* eripuit eum DOMINUS de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saul,
ויאמר ארחמך יהוה חזקי:	2. *Et dixit*. *Diligam te DOMINE fortitudo mea*.	2. & dixit. Diligam te DOMINE fortitudo mea,
יהוה סלעי ומצודתי ומפלטי אלי צורי אחסה בו מגני וקרן ישעי משגבי:	3. *DOMINUS petra mea*, *& arx mea*, *& liberator meus*, *Deus meus*, *petra mea*, *confugiam in eum*, *clypeus meus*, *& cornu ſalutis meæ*, *exaltatio mea*.	3. DOMINUS firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adjutor meus, *&* ſperabo in eum. Protector meus, & cornu ſalutis meæ, *&* ſuſceptor meus.

מהלל אקרא יהוה ומן איבי אושע:

4. *Laudatum invocabo DOMINUM, & ab inimicis meis ſalvus ero.*

4. Laudans invocabo DOMINUM, & ab inimicis meis ſalvus ero.

אפפוני חבלי מות ונחלי בליעל יבעתוני:

5. *Aggreſſi ſunt me dolores mortis, & torrentes Belial terrebunt me.*

5. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

חבלי שאול סבבוני קדמוני מוקשי מות:

6. *Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.*

6. Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis.

בצר לי אקרא יהוה ואל א
אלהי אשוע ישמע מהיכלו ק
קולי ושועתי לפניו תבא ב
באזניו:

7. *In tribulatione mihi vocabo DOMINUM, & ad Deos meos clamabo. Audiet de templo ſuo vocem meam, & clamor meus faciebus ejus, veniet in aures ejus.*

7. In tribulatione mea invocavi DOMINUM, & ad Deum meum clamavi. *Et* exaudivit de templo *ſancto* ſuo vocem meam, & clamor meus in conſpectu ejus, introivit in aures ejus.

ותגעש ותרעש הארץ ומוסדי הרים ירגזו ויתגעשו כי חרה לו:

8. *Et boavit, & contremuit terra, & fundamenta montium horrebunt, & reboarunt, quoniam iratus eſt ſibi.*

8. Commota eſt, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt *eis*.

עלה עשן באפו ואש מפיו תאכל גחלים בערו ממנו:

9. *Aſcendit fumus in naſo ejus, & ignis de ore ejus devorabit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.*

9. Aſcendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

ויט שמים וירד וערפל תחת רגליו:

10. *Et inclinavit cælos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus.*

10. Inclinavit cælos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus.

וירכב על כרוב ויעף וידא על כנפי רוח:

11. *Et equitavit ſuper Cherubo, & volavit, & volavit ſuper alas venti.*

11. Et aſcendit ſuper Cherubim, & volavit, volavit ſuper pennas ventorum.

ישת חשך סתרו סביבותיו ס
סכתו חשכת מים עבי שחקים:

12. *Ponet obſcuritatem latibulum ſuum circuitus ſuos, tabernaculum ſuum obſcuritatem aquarum, nubes cælorum.*

12. *Et* poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebroſa aqua in nubibus aeris.

מנגה נגדו עביו עברו ברד וגחלי אש:

13. *A fulgore oppoſito ejus nubes ejus tranſierunt, grando, & carbones ignis.*

13. Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis.

וירעם בשמים יהוה ועליון יתן קלו ברד וגחלי אש:

14. *Et intonuit in cælis DOMINUS, & Altiſſimus dabit vocem ſuam, grandinem, & carbones ignis.*

14. Et intonuit de cælo DOMINUS, & altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis.

וישלח חציו ויפיצם וברקים רב ויהמם:

15. *Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos, & fulgura multum, & conturbavit eos.*

15. Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.

16. Et

ויראו אפיקי מים ויגלו מוסדות תבל מגערתך יהוה מנשמת רוח אפך:

ישלח ממרום יקחני ימשני ממים רבים:

יצילני מאיבי עז ומשנאי כי אמצו ממני:

יקדמוני ביום אידי ויהי יהוה למשען לי:

ויוציאני למרחב יחלצני כי חפץ בי:

יגמלני יהוה כצדקי כבר ידי ישיב לי:

כי שמרתי דרכי יהוה ולא רשעתי מאלהי:

כי כל משפטיו לנגדי וחקתיו לא אסיר מני:

ואהי תמים עמו ואשתמר מעוני:

וישב יהוה לי כצדקי כבר ידי לנגד עיניו:

עם חסיד תתחסד עם גבר תמים תתמם:

עם נבר תתברר ועם עקש תתפתל:

16. *Et apparuerunt fortitudines aquarum, & revelata ſunt fundamenta orbis ab increpatione tua DOMINE, ab inſpiratione ſpiritus naſi tui.*

17. *Mittet de ſummo, accipiet me, extrahet me de aquis multis.*

18. *Eripiet me de inimico meo forti, & ab odientibus me, quoniam fortes fuerunt a me.*

19. *Prævenerunt me in die perniciei meæ, & fuit DOMINUS ſubſtentaculo mihi.*

20. *Et eduxit me latitudini, eripiet me, quoniam vult in me.*

21. *Retribuet me DOMINUS ſecundum juſtitiam meam, ſecundum puritatem manuum mearum reddet mihi.*

22. *Quia cuſtodivi vias DOMINI, nec injuſtus fui a Diis meis.*

23. *Quoniam omnia judicia ejus oppoſito meo, & ſtatuta ejus non removebo a me.*

24. *Et fui integer cum eo, & obſervavi me ab iniquitate mea.*

25. *Et reddidit DOMINUS mihi ſecundum juſtitiam meam, ſecundum puritatem manuum mearum oppoſito oculorum ejus.*

26. *Cum pio pius eris, cum viro integro integer eris.*

27. *Cum puro purus eris, & cum perverſo perverteris.*

16. Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata ſunt fundamenta orbis *terrarum*.

Ab increpatione tua DOMINE, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.

17. Miſit de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis.

18. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his, qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me.

19. Prævenerunt me in die afflictionis meæ, & factus eſt DOMINUS protector meus.

20. Et eduxit me in latitudinem, ſalvum me fecit, quoniam voluit me.

21. *Et* retribuit mihi DOMINUS ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuit mihi.

22. Quia cuſtodivi vias DOMINI, nec impie geſſi a Deo meo.

23. Quoniam omnia judicia ejus in conſpectu meo, & juſtitias ejus non repuli a me.

24. Et ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea.

25. *Et* retribuet mihi DOMINUS ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus.

26. Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.

27. *Et* cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.

28. Quo-

כי אתה עם עני תושיע
יעינים רמות תשפיל:

28. *Quoniam tu populum afflictum ſalvum facies, & oculos altos humiliabis.*

28. Quoniam tu populum humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.

כי אתה תאיר נרי יהוה א
אלהי יגיה חשכי:

29. *Quoniam tu illuminabis lucernam meam DOMINE, Dii mei illuminabit obſcuritatem meam.*

29. Quoniam tu illuminas lucernam meam DOMINE, Deus meus illumina tenebras meas.

כי בך ארץ גרוד ובאלהי
ארלג שור:

30. *Quoniam in te curram* ad *cuneum, & in Diis meis tranſiliam murum.*

30. Quoniam in te eripiar a tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.

האל תמים דרכו אמרת יהוה
צרופה מגן הוא לכל החוסים
בו:

31. *Deus, integra via ejus, dictum DOMINI repurgatum, clypeus ipſe omnibus confugientibus in eum.*

31. Deus *meus* impolluta via ejus, eloquia DOMINI igne examinata, protector eſt omnium ſperantium in ſe.

כי מי אלוה מבלעדי יהוד
זמי צור זולתי אלהינו:

32. *Quoniam quis Deus præter DOMINUM, & quis petra præter Deos noſtros.*

32. Quoniam quis Deus præter DOMINUM, aut quis Deus præter Deum noſtrum?

האל המאזרני חיל ויתן
תמים רדכי:

33. *Deus præcingens me robore, & dedit integram viam meam.*

33. Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam.

משוה רגלי כאילות ועל ב
במותי יעמירני:

34. *Adæquans pedes meos tanquam cervorum, & ſuper excelſa mea ſtare me faciet.*

34. Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.

מלמר ידי למלחמה וגחתה
קשת נחושה זרועתי:

35. *Docens manus meas prælio, & confractus eſt arcus æreus brachiis meis.*

35. Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti ut arcum æreum brachia mea.

ותתן לי מגן ישעך וימינך
תסערני וענותך תרבני:

36. *Et dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ, & dextera tua ſubſtentabit me, & modeſtia tua augebit me.*

36. Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me.

Et diſciplina tua correxit me *in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit.*

תרחיב צערי תחתי ולא מ
מערו קרסלי:

37. *Dilatabis greſſum meum ſub me, & non vacillaverunt tali mei.*

37. Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea.

ארדוף אויבי ואשיגם ולא
אשוב ער כלותם:

38. *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec conſumere eos.*

38. Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiat.

אמחצם ולא יכלו קום יפלו
תחת רגלי:

39. *Sauciabo eos, & non poterunt ſurgere, cadent ſubtus pedes meos.*

39. Confringam illos, nec poterunt ſtare, & cadent ſubtus pedes meos.

ותאורני חיל למלחמה ת
תכריע קמי תחתי:

40. *Et præcinxiſti me robore bello, incurvare facies inſurgentes meos ſubtus me.*

40. Et præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.

41. Et

ואיבי נתתה לי ערף ומשנאי אצמיתם:	41. *Et inimicos meos dediſti mihi cervice, & odientes me exſcindam eos.*	41. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti.
ישועו ואין מושיע על יהוה ולא ענם:	42. *Clamabunt, nec* erit *ſalvans ſuper DOMINUM, & non reſpondit eos* (eis.)	42. Clamaverunt, nec *erat*, qui ſalvos faceret, ad DOMINUM, nec exaudivit eos.
ואשחקם כעפר על פני רוח כטיט חוצות אריקם:	43. *Et comminuam eos ut pulverem ſuper faciebus venti, ut lutum platearum evacuabo eos.*	43. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos.
תפלטני מריבי עם תשימני לראש גוים עם לא ידעתי יעבדוני:	44. *Eripies me de contradictionibus populi, pones me capiti gentium, populus, non cognovi, ſerviet me* (mihi).	44. Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium. Populus, *quem* non cognovi, ſervivit mihi,
לשמע און ישמעו לי בני נכר יכחשו לי:	45. *Auditui auris audientur mihi, filii alienitatis mentientur mihi.*	45. in audita auris obedivit mihi. Filii alieni mentiti ſunt mihi,
בני נכר יבלו ויחרגו ממסגרותיהם:	46. *Filii alienitatis decident, & pavebunt a clauſuris ſuis.*	46. Filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt a ſemitis ſuis.
חי יהוה וברוך צורי וירום אלהי ישעי:	47. *Vivit DOMINUS, & benedictus petra mea, & exaltabitur Dii ſalutis meæ.*	47. Vivit DOMINUS, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.
האל הנותן נקמות לי וידבר עמים תחתי:	48. *Deus dans vindictas mihi, & interfecit populos ſub me.*	48. Deus, qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me,
מפלטי מאיבי אף מן קמי תרוממני מאיש חמס תצילני:	49. *Liberator meus de inimicis meis, etiam ab inſurgentibus meis exaltabis me, a viro injuriæ eripies me.*	49. liberator meus de inimicis meis iracundis. Et ab inſurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me.
על כן אודך בגוים יהוה ולשמך אזמרה:	50. *Super ſic confitebor te in gentibus DOMINE, & nomini tuo pſallam.*	50. Propterea confitebor tibi in nationibus DOMINE, & nomini tuo pſalmum dicam.
מגדל ישועות מלכו ועשה חסד למשיחו לדוד ולזרעו עד עולם:	51. *Magnificans ſalutes regis ſui, & faciens pietatem Chriſto ſuo, Davidi, & ſemini ejus uſque in ſeculum.*	51. Magnificans ſalutes regis ejus, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo David, & ſemini ejus uſque *in* ſeculum.

ANNOTATIONES.

Opem Divinam graphice, poeticeque deſcribens, gratias agit, quod ex omnium pene rerum deſperatione, victoriam & regnum in ſe, & ſemine ſuo ſit conſecutus. Titulus pſalmi ſatis clarus eſt, quamvis multa deinde, quæ dicuntur

tur in Pſalmo, ſoli Chriſto conveniant. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcito. Idem Pſalmus habetur eiſdem pene verbis 2. Sam. 22: licet hic in nonnullis emendatior & elegantior, ut hinc ſuſpicer, ab Eſdra, ſive ab alio quopiam, pſalmos omnes limatos in unum congeſtos fuiſſe. Loca utriuſque Pſalmi breviter conferemus, rem ſtudioſis gratam arbitrati.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, de qua voce jam ſuperius diximus. *Puero*. Hebræus: Servo, cultori. Puer etiam latinis ſervum ſignificat. Terentius: Puerum conveni Chreme. Cicero: Tu ne id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus, pueros ad te ſine literis miſerim? *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. *Qua*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *De manu*. Idem Hebræus: De vola, ideſt palma. Samuel ad verbum ſic habet. Et locutus eſt David Domino verba cantici hujus, in die *qua* eripuit Dominus eum de vola omnium inimicorum ejus, & de vola Saul.

2. *Diligam te*. Verbum Hebræum ſignificat, oppido, & quam vehementer adamare, totis viſceribus diligere; quaſi diceres Inviſcerare, verbo novo docendi gratia facto.

3. *Firmamentum*. Translatio ſenſus. Ut ſunt rupes, firmum, & immobile. Hebræus: Petra mea. *Refugium*. Sic vocat arcem, in quam ſe recipientes tuti manent. Hebræus: Arx mea. *Adjutor meus*. Iterum translatio ſenſus. Hebræus: Petra mea. Ex divinis nominibus unum; quod parum refert. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Sperabo*. Jam diximus Vulgatum ſic transferre verbum חָסָה, quod confugere ſignificat. Verum neque hoc ſine ſpe fit. *Protector meus*. Hebræus: Clypeus meus. Vulgatus Poeticam locutionem retenta ſignificatione mutavit. Clypeus enim protegit. *Cornu*. Robur, & firmitas auxilii mei. *Et*. Non habetur in Hebræo, ſed nec in Græco Vaticani codice, quamvis in impreſſis legatur. *Suſceptor meus*. Adjutor, protector, qui me adjuvandum ſuſcipit ad inſtar מִשְׂגָּב, qui locus eminens eſt, in quem recepti manemus ab inimicorum offenſione tuti. Hebræus: Exaltatio mea. Minima, vel fere nulla ſignificationis varietas. Samuel ad verbum: Et dixit, Dominus petra mea, & arx mea, & liberator meus mihi. Dii petræ meæ, con ugiam in eum, clypeus meus, & cornu ſalutis meæ, exaltatio mea, & fuga mea, ſalvator meus, ab injuria ſalvum me facies.

4. *Laudans*. Vulgatus punctis vocalibus immutatis legit in Benoni מְהַלֵּל, quod nunc Hebræis eſt pahul, מְהֻלָּל, laudatum vocabo Dominum. Idem fere ſenſus. Samuel idem habet, excepto quod hic præpoſitio per appoſitionem additur וּמִן אֹיְבַי, is vero per compoſitionem וּמֵאֹיְבַי, Et ab inimicis meis ſalvabor.

5. *Circumdederunt*. Sic omnes fere interpretantur. Verbum tamen Hebræum aggreſſionem, & iram includit, quaſi diceres: irati me circumdantes aggreſſi ſunt. Conſule Theſaurum. *Dolores mortis*. Maximi, quales ſolent eſſe in morte. *Torrentes iniquitatis*. Hebræus: Torrentes Belial. Vide Theſaurum. Eſt autem poetica locutio, pro, impetus & violentiæ malorum, iniqui eorum concurſus conturbaverunt, terruerunt que, ut Hebræus habet, me non minimum. Samuel: Quoniam aggreſſæ ſunt me fracturæ mortis, torrentes Belial terrebunt me.

6. *Dolores Inferni*. Vehementiſſimi, quales in inferno ſolent eſſe. Vox Hebræa ſepulchrum, & infernum ſignificat. Dolores circumdare aliquem, eſt idiotiſmus ſatis notus. Laqueos mortis præoccupare, prævenire aliquem, eſt alter idiotiſmus elegans, de quo in Theſauro. Samuel idem: excepto, quod hic ponitur verbum perfectum סְבָבוּנִי, ille contractum סַבֻּנִי, circumdederunt me.

7. *In tribulatione*. Græcus addit conjunctionem, *καὶ ἐν τῷ θλίβεσθαί με*, quæ non habetur in Hebræo. *Mea*. Idem He-

Hebræus dativo, ſuo loquendi tropo: Mihi; quæ mihi accidit. *Invocavi*. Hebræus idem futuro: Vocabo. *Deum meum*. Hebræus pluraliter: Ad Deos meos. *Clamavi*. Hebræus iterum futuro: Clamabo, vociferabor. *Et exaudivit*. Pro ſimplici poſitum: Audivit. Videntur autem Noſtri facillimo tranſitu Jod in Vau legiſſe וַיִּשְׁמַע, & audivit; quod nunc Hebræis eſt futurum יִשְׁמַע: Audiet. *Sancto*. In Hebræo non eſt: quod parum tamen refert. *In conſpectu ejus*. Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Faciebus ejus. *Introivit*. Hebræus futuro: Veniet. Clamorem venire in aures, eſt introire; Audiri. Samuel: In tribulatione mihi vocabo Dominum, & ad Deos meos vocabo, & audivit de templo ſuo vocem meam, & clamor meus in aures ejus.

8. *Commota eſt*. Idem Hebræus conjunctionem addens: Et boavit (ut commotione fit), & contremuit terra. *Conturbata ſunt*. Ob horrorem videlicet. Hebræus futuro: Contremiſcent, horrebunt. *Commota ſunt*. Hebræus: Reboarunt: commotione ſcilicet. *Eis*. Vacat: niſi malles, Vulgatum metaphorice, terræ, & montium fundamentorum nomine Davidis hoſtes intelligere, qui commoti ſint ad conſpectum Dei furentis, quamvis eſſent fortes inſtar terræ, & montium. Hebræis eſt poetica deſcriptio vehementiſſimæ & horribilis tempeſtatis, ad impetum & vim iræ divinæ exprimendam, & exaggerandam. Habet autem ſic Hebræus: Quoniam iratus eſt ſibi. Idiotiſmus. Id eſt, in maximam converſus iram. Samuel: Et boavit, & contremuit terra, fundamenta cælorum contremiſcent, & reboarunt, quoniam iratus eſt ſibi. Græcus addit Θεός; ait enim: ὅτι ὠργίσθη αὐτοῖς ὁ Θεός.

9. *In ira ejus*. Vox Hebræa naſum, & iram ſignificat: Spiravit fumum, & ignem e naribus præ iræ vehementia. *A facie*. Suſpicor, Noſtros facillimo vocis tranſitu legiſſe מִפָּנָיו, quod nunc ſubtracto Nun Hebræis eſt מִפִּיו, De ore ejus; quamvis hoc parum vel nihil referat. *Exarſit*. Ardendo conſumpſit. Hebræus futuro, ſuo loquendi tropo: Comedet, devorabit. *Ab eo*. Vel igne, vel Deo. Idem in Græcis correctionibus, ἀπ' αὐτοῦ: quamvis in nonnullis legatur ἐπ' αὐτοῦ. Samuel idem.

10. *Inclinavit*. Hebræus addit conjunctionem Et. *Caligo*. Nubes luci-diſſima. Idem Samuel.

11. *Aſcendit*. Hebræus: equitavit; Ut celeriter adeſſet, Cherubinis inſedit. *Cherubim*. Hebræus ſingulariter Cherubum habet; quod notandum eſt. *Volavit*. Hebræus addit conjunctionem Et. *Pennas ventorum*. Hebræus ſingulariter: Alas venti. Volare ſuper alas venti, eſt idiotiſmus elegans ad celerrimam Dei tutelam, & præſentiſſimam opem repræſentandam. Samuel: Et equitavit ſuper Cherubo, & volavit, & apparuit ſuper alas venti.

12. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Poſuit*. Idem Hebræus futuro: Ponet. *Tenebras*. Hebræus ſingulariter: Obſcuritatem. Ponere tenebras latibulum, eſt idiotiſmus, pro Latere in tenebris. *In circuitu ejus*. Hebræus pluraliter, & ſine præpoſitione: Circuitus ſuos. *Ejus*. Clarius, ſi dicatur ſuum, & diſtinguantur ſententiæ, ſicut Hebræi nunc faciunt; quamvis hæc nullius fere momenti ſint, & vix digna, ut annotentur. Pronomina Hebræa varie transferri poſſunt, ut in Grammatica. *Tenebroſa aqua*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Obſcuritatem aquarum. *In nubibus aeris*. Eumdem ſenſum habet Hebræus, quamvis per appoſitionem legat, Obſcuritatem aquarum, nubes videlicet aeris, vel cælorum: nam שחק diverſimode transfertur ab interpretibus, ut habes in Theſauro. Obſcuritatem aquarum, nubes cælorum eſſe tabernaculum, alter idiotiſmus poeticus per quam elegans, quem notes. Samuel: Et poſuit obſcuritatem circuitus ſuos tabernacula, colligantiam aquarum, nubes cælorum.

13. *Præ*. Sic Hebræus; A fulgore, lu-

luciditate. *In conſpectu ejus.* Idem Hebræus: Oppoſiro ejus, coram eo. *Nubes.* Hebræus addit pronomen Ejus. De quibus ſcilicet in ſuperiori verſiculo dixerat, eſſe Dei tabernaculum. Præ fulgore Dei, grando & carbones igniti disjecti pertranſierunt nubes illas, quæ non potuerunt concludere, & cohibere ejus fulgorem. Nubes non eſt nominativi caſus, ut Genebrardus vult, ſed accuſativi, & fulguris eſt Poetica deſcriptio, quod mox ſequitur tonitru, ut in ſequenti verſiculo. Samuel: Præ fulgore ejus oppoſito illius ſuccenſi ſunt carbones ignis.

14. *De cælo.* Hebræus pluraliter: In cælis. Deum dare vocem, eſt tonare. *Grando, & carbones ignis.* Genebrardus explicat per Zeugma, Tranſierunt, emicuerunt; ſed melius appoſitive ſuperiori verbo, Dedit, connectuntur. Grandinem & carbones ignis. Samuel: Tonabit de cælis Dominus, & Altiſſimus dabit vocem ſuam. In Græcis etiam deſunt verba illa, Grando, & carbones ignis.

15. *Et miſit.* In impreſſis Græcis omittitur conjunctio, ſed in Vaticano legitur, ut etiam in Hebræo. *Fulgura.* Hebræus addit & hic conjunctionem Et. *Multiplicavit.* Sunt etiam ex Hebræis, qui putent רָב verbum eſſe, verum ex jaciendi ſignificatione, quod non placet. Conſule Theſaurum noſtrum. Vulgatus in propria ſignificatione tranſtulit, ſed active, quod parum refert. Hebræum nomen uſurpatur etiam adverbialiter: Multum. Crebras ſagittas, & fulgura emittens, diſſipavit, & attonitos reddidit hoſtes meos. Samuel: Et miſit ſagittas, & diſſipavit eos, fulgur, & conturbavit.

16. *Fontes.* Vox Hebræa neſcio quid aliud ſignificat, licet extent etiam ex illis, qui Vulgato fere conveniant, valles montium aqua plenas interpretantes; ut ſit Hyperbole: quod tempeſtatum vi ſontium ſcatebræ, quæ latere ſolent in montium, collium, & rupium concavitatibus, apertæ ſint; & retecta mundi fundamenta quodammodo, quæ profunde in terræ viſceribus defixa ad uſque mundi centrum intelliguntur. Hebræis autem verbis poetice deſcribitur imber maximus, qui tonitrua fulguraque ſequatur, cujus vi tellus abripiatur, & ſic ejus fundamenta retegantur. Fortitudines aquarum, idiotiſmus eſt: ideſt, aquæ vehementiſſimæ. Idem fere ſenſus. *Terrarum.* Additum ad majorem declarationem vocis Hebraicæ תֵּבֵל, quæ terram habitatam ſolum ſignificat. *Ab.* Ideſt, Per, vel Propter. Per increpationem & minas tuas Domine, per flatum ventorum naſo tuo excitatorum, vel ira tua; nam אַף utrumque ſignificat, ut in Theſauro. Samuel: Et apparuerunt fortitudines maris, revelabuntur fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inſpiratione ſpiritus naſi illius.

17. *Miſit.* Hebræus futuro: Mittet de ſummo, de alto. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Accepit.* Hebræus iterum futuro: Accipiet. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Aſſumpſit.* Idem Hebræus fere. ſed futuro: Extrahet me de aquis multis. Perſtat in metaphora tempeſtatum. Samuel idem habet.

18. *Eripuit.* Hebræus futuro: Eripiet. *De inimicis meis.* Hebræus ad Saulem referens in ſingulari dicit מֵאֹיְבִי De inimico meo, quod Vulgatus mutato Hirec in Patah, pluraliter legit מֵאֹיְבַי, vel ſaltem collective illud accepit: De inimicis omnibus. *Fortiſſimis.* Hebræus ſingulariter: Forti, valido. *Et ab his qui oderunt me.* Idem Hebræus participio: Et ab odientibus me, ab oſoribus meis. *Quoniam confortati ſunt.* Eundem ſenſum habet etiam Hebræus ſuo loquendi modo: Quoniam fortes fuerunt a me. Fortiores me erant multo. Samuel idem habet, niſi quod conjunctionem Et prætermittit.

19. *Afflictionis.* Vox Hebræa gravius ſonat: Perniciei, calamitatis. Vide Theſaurum. Prævenire in die afflictionis, eſt idiotiſmus elegans, pro, eſſe præſto, ut offendas aliquem, cum videas, illius res in adverſam fortunam trahi. Conſule Theſaurum. *Et factus eſt.* Idem Hebræus: Et fuit. *Protector*

ctor meus. Hebræus ſuo loquendi tropo: Subſtentaculo mihi: In ſubſtentaculum, quo ſuſtentor, & protegor. Nullius fere momenti variatio. Idem Samuel, niſi quod nominativo profert: Fuit ſubſtentaculum mihi.

20. *In latitudinem*. Sic Hebræus dativo: Latitudini; in locum latum, amplum, ne obſidear ab hoſtibus. *Salvum me fecit*. Idem Hebræus futuro: Eripiet me. *Voluit me*. Vox Hebræa præſentis, & præteriti temporis eſſe poteſt: Vult in me: Me habet acceptum; mihi favet; in me complacuit ei. Idem Samuel, niſi quod hic dicitur, Et eduxit me latitudini; is vero, Et eduxit latitudini me.

21. *Et*. Quod bis legitur in Noſtris, non habetur in Hebræo. *Retribuit*. Idem Hebræus futuro: Retribuet, reddet. Nam in Hebræo ſunt diverſa verba, licet fere ſynonyma. Retribuere ſecundum juſtitiam; reddere Secundum puritatem manuum, ſunt idiotiſmi noti. Idem Samuel; niſi quod mutat formam nominis כְּצִדְקָתִי; hic vero כְּצִדְקִי, Secundum juſtitiam meam.

22. *Nec impie geſſi*. Ut transferunt Noſtri radicem hanc ſæpius. Hebræus: Nec injuſtus fui. *A Deo meo*. Contra Deum meum. Hebræus pluraliter: A Diis meis. Idem Samuel.

23. *In conſpectu meo*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Oppoſito meo: coram me. *Juſtitias*. Vox Hebræa חֻקֹּת aliud ſignificat, ut habes in Theſauro: Et ſtatuta ejus. *Non repuli*. Idem Hebræus, ſed futuro: Non removebo. Statuta Dei, quæ juſte decrevit ille, & obſervanda jam ego ſuſcepi, nunquam vel repuli, vel amovi a me. Minima ſignificationis varietas. Samuel: Quoniam omnia judicia ejus oppoſito meo, & ſtatuta ejus, non recedam ab eo: A quovis decretorum ejus.

24. *Et ero immaculatus*. Hebræus præterito: Et fui integer, perfectus, abſolutus cum eo. *Et obſervabo*. Hebræus iterum præterito: Obſervavi me. Non ſolum fui immaculatus olim, & obſervavi me, ſed & in poſterum ero, & cavebo, & abſtinebo a malis. Verba Hebræa poſſunt in futurum, & præteritum intelligi, ut in rebus Grammaticis habes. Samuel: Et ero integer ei, & obſervabo me ab iniquitate mea.

25. *Retribuet*. Hebræus præterito: Et reddidit. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In conſpectu*. Sic Hebræus ſuo modo: Oppoſito: coram. Samuel etiam hic mutat formam nominis Juſtitiæ, ut ſupra verſ. 21. & dein ſequitur: Secundum puritatem meam oppoſito oculorum ejus.

26. *Cum ſancto ſanctus eris*. Sic interpretatur Vulgatus radicem hanc, ut ſæpius diximus. Hebræus: Cum pio pius eris. Ad Deum Apoſtrophe per Epiphonema. Ita Domine cum piis, integris, & ſimplicibus eſſe ſoles benignus, integer, & ſimplex. *Innocente innocens eris*. Sic Hebræus: Cum viro integro, perfecto, integer, & perfectus eris. Idem Samuel, niſi quod ubi dicitur hic Cum viro, is habet: Cum potente integro integer eris.

27. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Cum electo &c.* Non aliter Hebræus fere: Cum puro, & bono purus, & bonus eris, & cum perverſo perverſus eris. Idem Samuel; niſi quod verborum formæ nonnihil immutantur.

28. *Humilem*. Hebræus: Afflictum; miſeriis depreſſum, & abjectum. *Oculos ſuperborum*. Vulgatus fortaſſe legit עֵינֵי רָמִים, genere maſculino, ideſt oculos altorum, ſuperborum, quod nunc Hebræis eſt femininum עֵינַיִם רָמוֹת, oculos altos, ſublimes. Vel certe ſenſum tranſtulit, non verbum. Samuel: Et populum afflictum ſalvum facies, & oculos tuos ſuper altos deprimes.

29. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Dii mei. *Illumina*. Hebræus futuro profert; Illuminabit, ſplendere faciet; quod Vulgatus habita ſuperiorum verborum ratione rectius imperativo pro-

tulit:niſi malles, eum legiſſe בִּנִים , facili vocis tranſitu. Sed hæc levia. *Tenebras meas*. Hebræus ſingulariter: Obſcuritatem meam. Lucere facere lucernam, illuminare tenebras, ſunt idiotiſmi pulcherrimi, pro Res adverſas in feliciorem fortunam vertere. Samuel: Quoniam tu lucerna mea Domine, & Dominus illuminabit obſcuritatem meam.

30. *In te*. Per te. *Eripiar a tentatione*. Senſum, non verba tranſtulit Vulgatus. Verbum Hebræum ex diverſis thematibus deductum duo ſignificat, Currere, & Frangere: Curram *ad* cuneum, ad turmam hoſtium: Deo favente in adverſos hoſtes incurram, & eos infringam, & ſic eripiar ab illis, & a quacunque alia tentatione. *In Deo meo*. Hebræus pluraliter: In Diis meis: Per Deum meum. *Transgrediar*. Tranſiliendo, ut habet Hebræus poetice, ſcalarum ſcilicet, & hujuſmodi adminiculo. Samuel prætermiſſa conjunctione habet idem.

31. *Meus*. Ob majorem affectum exprimendum, a Vulgato additum. *Impolluta*. Vox Hebræa תָּמִים eſt generis maſculini, & integrum, perfectum, ſine macula, cui nihil deſit, ſignificat, & tam Deo, quam viæ, ſine ſenſus variatione poteſt addi. Deus perfectus itinere, vel Dei via perfecta, impolluta, quod idem fere eſt. Quid porro ſignificetur hac dictione Via, vide Theſaurum noſtrum in radice דֶּרֶךְ. *Eloquia*. Hebræus ſingulariter, Dictum, habet; quod nihil referre puto. Quodlibet eloquium divinum eſt tanquam igne examinatum, puriſſimum, certiſſimum, & veluti purgatum ab omni fæce doli. Confer cum Pſal. 12. 17. & Pſal. 17. 3. *Protector*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus: Scutum. Qui confugientes ad ſe protegit, & defendit, quemadmodum clypeus defendere ſolet corpora, ne lædantur a telis hoſtium. Vide ſuperius verſ. 3. *Eſt*. Hebræus pronomine, quo ſubſtantivi ſupplent vices, ut in Grammatica: Ipſe. *Omnium ſperantium*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus dativo: Omnibus confugientibus, ſe recipientibus in eum. Idem Samuel.

32. *Præter*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo, quem latine aſſequi non poſſumus. Conſule Theſaurum. *Aut*. Sic Hebræus: Et. *Deus*. Hebræus: Petra, ut ſuperius verſ. 3. quod parum, vel nihil refert. *Deum noſtrum*. Hebræus pluraliter: Deos noſtros. Idem Samuel, niſi quod loco אֱלוֹהַּ ponit אֵל, & loco זוּלָתִי repetit מִבַּלְעֲדֵי.

33. *Qui præcinxit*. Hebræus præſenti participio: Præcingens; accingens. Olim, ſed & nunc continue me viribus accingit, & meos mores: facta omnia pura & integra reddit. *Virtute*. Hebræus: Robore. Vulgatus autem fere ſemper ſic interpretatur hanc dictionem. Vide Theſaurum. *Poſuit*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Dedit. *Immaculatam*. Perfectam, integram; ut ſuperius verſ. 31. Samuel: Deus fortitudo mea robore, & ſolvit integer (vel integram) viam meam.

34. *Qui perfecit*. Pedes meos cervinos effecit olim, & nunc etiam efficit, hoc eſt, ad evadendum de periculis & perſecutionibus inimicorum celeres. Idem ſenſus in Hebræo, diverſis verbis licet, & præſenti participio: Adæquans, pares, & ſimiles efficit pedes meos cervorum pedibus fugæ celeritate. *Excelſa*. Hebræus addit Mea; quod ad eas rupes ſæpius confugeret, ne canes poſſent eo conſcendere, quemadmodum ſolet cervus. *Statuens*. Hebræus explicat futuro: Statuet, ſtare faciet me: quod parum refert. Idem Samuel.

35. *Qui docet*. Hebræus participio: Docens. *Ad prælium*. Sic Hebræus dativo: Prælio. *Et poſuiſti*. Arbitror, Vulgatum literarum Heth, & Thav ſimilitudine facillima legiſſe וְנָתַתָּה, & dediſti, reddidiſti brachia mea ad feriendum hoſtes meos fortiſſima. Nunc Hebræi legunt וְנִחֲתָה, quæ vox ex diverſis thematibus derivari (ut habes in Theſauro), & tam ad prælium, quam ad arcum referri poteſt. Et deſcendit (adventante bello ſcilicet), arcus æreus ſunt brachia mea: vel, Et contractus eſt ar-

arcus æreus brachiis meis. Vulgatus ad priorem interpretationem accedit proxime, quamvis & ſecundam contrariam non eſſe dicerem. Aliquem habere brachia fortiſſima velut arcum æreum, ad debellandos hoſtes, vel inimicorum arcus æreos brachiis illum confringere, eundem ſenſum eſſe puto. Idem Samuel, niſi quod verbi וְנִחֲתָה mutatur forma. וְנִחַת, Et confractus eſt, vel deſcendit arcus &c.

36. *Protectionem*. Translatio ſenſus. Hebræus: Scutum ſalutis tuæ. Salute quidem tua veluti clypeo ad protegendum me ex inimicorum injuriis utor. Pronomen *tuæ* in impreſſis Græcorum exemplaribus non habetur. In Vaticano codice legitur; quæ lectio convenit cum editione latina vulgata, & cum Hebræa. *Suſcepit me*. Subſtentando adjuvit me. Hebræus futuro: Subſtentabit me. Dare ſcutum auxilii; dexteram ſubſtentare, ſunt idiotiſmi ſatis noti. Recte Genebrardus annotavit, toto hoc libro Suſcipere, & Aſſumere, adjuvare, protegere, & defendere ſignificare. *Diſciplina tua*. Suſpicor LXXII. mutatis punctis vocalibus legiſſe וְעַנוֹתְךָ, Et affligere tuum: afflictio, diſciplina, qua Deus, quos amat, corrigit, & caſtigat. Hebræis nunc eſt nomen וְעַנְוָתְךָ; Et modeſtia, manſuetudo tua. *Correxit*. Senſum, non verbum tranſtulerunt Noſtri. Hebræus: Adaugebit me. Manſuetudinem vel diſciplinam (ut Vulgatus habet) adaugere aliquem, eſt eum corrigere, & docere, & in meliorem frugem adauctum reducere. Duo hæc verba Suſcepit, Correxit Hebræis poſſunt eſſe tam perſonæ ſecundæ, quam tertiæ, ut in Grammaticis rebus habes, quod hic parum refert: ut dicas, Et dextera tua ſubſtentabit, vel ſubſtentabis me: Et, Manſuetudo tua adauget, vel manſuetudine tua adaugebis me. *In finem*. Additum, ad majorem forſitan intelligentiam, ſicut etiam arbitror ob eandem cauſam hanc ipſam ſententiam *Et diſciplina tua ipſa me docebit*, repetitam fuiſſe, quam eandem cum ſuperiori eſſe, nullum dubitare velim. Samuel: Et dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ וַעֲנֹתְךָ, & reſpondere tuo augebis me.

37. *Dilataſti*. Hebræus futuro: Dilatabis. *Greſſus meos*. Idem Hebræus, quamvis ſingulariter: Quemlibet greſſum meum dilatabis ſubtus me, ut celeriori paſſu hoſtes inſequar. Genebrardus aliud intelligit, quod non placet. *Et non ſunt infirmata veſtigia mea*. Eadem ſententia in Hebræo, diverſis verbis licet: Et non vacillarunt tali mei: Grandiori, & velociori paſſu, quaſi Deus alas addiderit, hoſtes inſequendo; nullo unquam loco, tali, pedes, veſtigia dilabuntur, & infirmantur; ut neceſſe ſit ab inſecutione deſiſtere. Idem Samuel, niſi quod formam תַּחְתָּי in תַּחְתֵּנִי commutat.

38. *Non convertar*. Non redibo ab illis perſequendis. *Deficiant*. Idem Hebræus, quamvis active כַּלּוֹתָם, Donec conſumere eos; donec eos perdam. Vulgatus immutatis punctis vocalibus fortaſſe legit כְּלוֹתָם neutraliter, Uſque ad deficere eorum; donec deficiant. Idem Samuel, excepto quod ubi dicitur hic, Et comprehendam illos, is habet, Et vaſtabo, delebo eos.

39. *Confringam*. Sauciando ſcilicet, ut Hebræus habet. *Nec poterunt ſtare*. Sed cadent, etiamque dejecti ſurgere nequibunt, ut Hebræus ait. Minima ſenſus variatio. *Et*. Non habetur in Hebræo. Cadere ſub pedibus, idiotiſmus notus. Samuel: Et conſumam eos, & ſauciabo eos, & non ſurgent, & ceciderunt ſub pedibus meis.

40. *Virtute*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Robore. Vide ſupra verſ. 33. *Ad bellum*. Hebræus dativo: Bello. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Supplantaſti*. Plantis pedum meorum ſuppoſuiſti. Sic Pſal. 17. 13. Idem Hebræus fere, ſed futuro: Incurvare facies. *Inſurgentes in me*. Idem Hebræus ſine præpoſitione: Inſurgentes meos. Samuel: Et diſſeminare feciſti me robur bello. Cætera ut hic, niſi quod forma תַּחְתָּי in תַּחְתֵּנִי commutatur.

41.

41. *Dorſum*. Hebræus: Cervice. Nullius momenti variatio. Dare hoſtes alicui cervice, eſt idiotiſmus elegans, pro Eos in fugam vertere; nam fugientes terga vertunt. *Diſperdidiſti*. Hebræus prima futuri perſona: Diſperdam, exſcindam. Vulgatus mutato Aleph in Thav fortaſſe legit תַּצְמִיתֵם, diſperdes eos: quamvis nihil variet ſententiam, ſive legas Diſperdidiſti, ſive Diſperdidi, excidi. Hebræus addit pronomen relativum Eos, de more linguæ, quod latine vacat. Samuel idem habet, niſi quod formam verbi נָתַתָּה mutat in תַּתָּה, & conjunctionem addit verbo ſic: Odientes me, & exſcindam eos.

42. *Clamaverunt*. Hebræus futuro: Clamabunt. *Erat*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Qui ſalvos faceret*. Sic Hebræus participio: Salvans, opem ferens. *Ad*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Super. *Exaudivit*. Reſpondendo, quod exauditionis ſignum eſt. Vide ſupra Pſal. 3. 5. & alibi. Samuel: Reſpicient, nec *erit* ſalvans, ad Dominum, & non reſpondit eos (*eis*).

43. *Ante faciem*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Super faciebus venti. *Delebo*. Non aliter Hebræus: Evacuabo eos, quemadmodum atterendo lutum deletur, & evacuatur. Samuel: Et comminuam eos, ut pulverem terræ; ut lutum platearum attenuabo eos, diſtendam eos.

44. *Conſtitues me*, &c. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Pones me capiti; ut caput, princeps eſſem. *Quem*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Servivit mihi*. Hebræus futuro, & plurali, nam concordat ſenſu, non voce: Servient me (mihi). Samuel: Et eripies me de contradictionibus populi mei, cuſtodies me capiti gentium, populus, non cognovi, ſervient me (mihi).

45. *In auditu*. Idem Hebræus dativo: Auditui auris. *Obedivit*. Verbum Hebræum duas habet ſignificationes, Audiri, & Audientem, ideſt obedientem, ſe exhibere. Noſtris eſt ex ultimo ſignificatu. Hebræis ex primo, & futuro tempore: Audientur mihi: Me principem, ait, conſtitues populorum, quos non cognoſco, & vix auditu auris mihi noti ſunt. *Filii alieni*. Sic Hebræus ſubſtantivo: Filii alienationis: alieni, extranei. *Mentiti ſunt*. Hebræus futuro: Mentientur. Idiotiſmus pulcherrimus. Ideſt, Vires amittent, ne poſſint mihi reſiſtere. Vide Pſal. 81. 16. & conſule Theſaurum. Samuel: Filii alienationis ſe attenuabunt mihi; ad audiendum aure audientur mihi.

46. *Filii alieni*. Hebræus: Alienationis, ut ſupra. *Inveterati ſunt*. Suſpicor, Noſtros legiſſe יִבְלוּ a themate בָּלָה, ideſt inveteraſcent, pro quo nunc Hebræus a נָבֵל, iiſdem quidem literis, ſed diverſis punctis habet יִבֹּלוּ, Defluent, decident. Utraque lectio defendi poteſt. *Claudicaverunt*. Hebræus futuro: Et pavebunt. Suſpicor autem, Noſtros vel legiſſe וְיַחְגְּרוּ, litteris tranſpoſitis; vel ſaltem putaſſe idem eſſe verbum ex ſignificatione Chaldaica claudicandi. Et quidem hoc verbum alibi non reperitur, & diverſimode ab ipſis etiam Hebræis exponitur. Conſule Theſaurum: *A ſemitis ſuis*. Hebræus: A clauſuris ſuis: Etiam in ipſis arcibus, locis clauſis, & munitis pavebunt. Quod ad noſtros attinet, vel olim certe legebatur מִמְּסִלּוֹתֵיהֶם, pro quo nunc מִמִּסְגְּרוֹתֵיהֶם, vel certe clauſurarum nomine vias, quaſi agrorum clauſuras, intellexerunt. Idem Samuel, niſi quod pro וְיַחְרְגוּ, Et pavebunt, habet וְיַחְגְּרוּ, & accingentur pavidorum more.

47. *Deus meus*. Hebræus: Petra mea, ut ſuperius verſ. 3. In impreſſis Græcorum voluminibus non habetur pronomen Meus, ſed in Vaticano legitur, ὁ θεός μου. *Exaltetur*. Sic Hebræus futuro: Exaltabitur. Samuel: Vivit Dominus, & benedictus Petra mea, & exaltabitur Dii (Deus) petræ ſalutis meæ.

48. *Qui das*. Hebræus participio: Dans: qui dat. Tertia perſona. Quod quam parum referat, quis non videt? Dare vindictas alicui, idiotiſmus, pro

Con-

Concedere, ut ſe ulciſcatur, & hoſtes puniat. *Et ſubdis*. Hebræus præterito: Et interfecit. Non ſolum interficiendo, ſed etiam legibus meis eos ſubjiciendo. Non magni ponderis varietas. Vide Theſaurum. Samuel: Deus dans vindictas mihi, & deſcendere faciens (dejiciens) populos ſub me. Forma תַּחְתָּי etiam hic mutatur in תַּחְתֵּנִי.

49. *Iracundis*. Dictio Hebræa אַף æquivoca eſt, nam iracundiam, naſum, & Etiam, ſignificat. Vulgatus in primo ſenſu eam accepit, quamvis idiotiſmo linguæ non ſatis congruo: De inimicis meis iræ; ideſt, iracundis: & ob id de ſuo, Et, addidit; quæ tamen conjunctio non habetur in Græcis, nec in quamplurimis latinorum, & prætertim antiquorum codicibus. Hebræis eſt dictio conſignificativa: Etiam ab inſurgentibus, &c. Conſule Theſaurum. Verum hæc omnia non maximi momenti eſſe crederem. *In me*. Idem Hebræus ſuo modo: Ab inſurgentibus; vel præ inſurgentibus Meis. *Iniquo*. Sic Hebræus ſubſtantivo: A viro injuriæ, violentiæ, rapinæ. Samuel: Et educens me de inimicis meis, & ab inſurgentibus meis exaltabis me, a viro injuriarum eripies me.

50. *Propterea*. Idem Hebræus ſuo modo: ſuper ſic. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te. *In nationibus*. Idem Hebræus: In gentibus. *Pſalmum dicam*. Hebræus: Pſallam; muſicis inſtrumentis ludam. Idem Samuel, niſi quod addit nomen Domini, & mutat formam verbi אֲזַמֵּרָה in אֲזַמֵּר. Ait igitur: Super ſic confitebor te Domine, & nomini tuo pſallam.

51. *Regis ejus*. Sui, rectius dici puto; quæ varietas ex pronominibus Hebræis non dignoſcitur. In Græcis impreſſis reticetur pronomen, ſed habetur in Vaticano. *Miſericordiam*. Sic interpretantur Noſtri, prout ſæpius diximus. Hebræus: Pietatem. *In*. Non habetur in Hebræo, ſed ad verbum diceres, Uſque ſeculi, hoc eſt, in æternum. Samuel idem habet, niſi quod ubi dicitur hic Magnificans; is quidem etiam nunc habet מַגְדִּיל, ſed ab Hebræis ex Maſaràh conſtanter legitur מִגְדּוֹל, Magnitudo, turris. Idem ſenſus. Magnificare ſalutes, vel magnitudo ſalutum, & facere pietatem, ſunt idiotiſmi elegantes, ſed noti.

PSAL-

PSALMUS XIX. Latinis XVIII.

למנצח מזמור לדוד:

השמים מספרים כבוד אל ומעשה ידיו מגיד הרקיע:

יום ליום יביע אמר ולילה ללילה יחוה דעת:

אין אמר ואין דברים בלי נשמע קולם:

בכל הארץ יצא קום ובקצה תבל מליהם לשמש שם אהל בהם:

והוא כחתן יצא מחפתו ישיש כגבור לרוץ ארח:

מקצה השמים מוצאו ותקופתו על קצותם ואין נסתר מחמתו:

תורת יהוה תמימה משיבת נפש עדותיהוה נאמנה מחכימת פתי:

פקודי יהוה ישרים משמחי לב מצות יהוה ברה מאירת עינים:

יראת יהוה טהורה עמדת לעד משפטה יהוה אמת צדקו יחדו:

הנחמדים מזהב ומפז רב ומתוקים מדבש ונפת צופים:

1. *Præfecto Pſalmus Davidi.*

2. *Cæli narrantes gloriam Dei, & opus manuum ejus annuncians firmamentum.*

3. *Dies diei eructabit dictum, & nox nocti pronunciabit ſcientiam.*

4. *Non* eſt *dictum, & non verba, non audita eſt vox eorum.*

5. *In omnem terram exivit regula eorum, & in finem orbis verba eorum.*

Soli poſuit tabernaculum ejus in ipſis.

6. *Et ipſe tanquam ſponſus egrediens de thalamo ſuo, exultabit ut fortis ad currendam viam.*

7. *Ab extremitate cælorum egreſſio ejus, & gyrum ejus ſuper extremitates ejus, nec* eſt *abſconditus a calore ejus.*

8. *Lex DOMINI perfecta, convertens animas, teſtimonium DOMINI fidele, ſapientem faciens ſimplicem.*

9. *Mandata DOMINI recta, lætificantia cordis, præceptum DOMINI purum, illuminans oculorum.*

10. *Timor DOMINI mundus, permanens æterno, judicia DOMINI veritas, juſtificata ſunt pariter.*

11. *Deſiderabilia ab auro, & ab obrizo multo, & dulcia a melle, & agitatione favorum.*

1. In finem, Pſalmus David.

2. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.

3. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.

4. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.

5. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis *terræ* verba eorum.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum, *6.* & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam, 7. a ſummo cælo egreſſio ejus.

Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus, nec *eſt*, qui ſe abſcondat a calore ejus.

8. Lex DOMINI immaculata, convertens animas, teſtimonium DOMINI fidele, ſapientiam præſtans parvulis.

9. Juſtitiæ DOMINI rectæ, lætificantes corda, præceptum DOMINI lucidum, illuminans oculos.

10. Timor DOMINI ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi, judicia DOMINI vera, juſtificata in ſemetipſa.

11. Deſiderabilia* ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & favum.

12.

גם עבדך נזהר בהם בשמרם עקב רב׃	12. *Etiam ſervus tuus illuſtratus eſt in eis, in cuſtodiendis illis merces multa.*	12. Etenim ſervus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa.
שגיאות מי יבין מנסתרות נקני׃	13. *Errata quis intelliget? ab occultis munda me.*	13. Delicta quis intelligit? ab occultis *meis* munda me, 14. & ab alienis parce ſervo tuo.
גם מזדים חשוך עבדך אל ימשלו בי אז איתם ונקיתי מפשע רב׃	14. *Etiam a temeritatibus probibe ſervum tuum, non dominabuntur in me, tunc integer ero, & emundabor a prævaricatione multa.*	Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo.
יהיו לרצון אמרי פי והגיון לבי לפניך יהוה צורי וגאלי׃	15. *Erunt voluntati dicta oris mei, & meditatio cordis mei faciebus tuis, DOMINE petra mea, & redemptor meus.*	15. *Et* erunt, ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo *ſemper.* DOMINE adjutor meus, & redemptor meus.

ANNOTATIONES.

CÆleſtium rerum opificii, & divinæ legis comparatio. E quibus Deum facile cognoſci poſſe, decantat, ſed ex lege præcipue: quem ideo cognitum precatur, ut ſibi omnia per errorem vel conſcientiam commiſſa remittat, & committenda prohibeat. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcito.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, ut ſupra. *David.* Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra.

2. *Enarrant.* Idem Hebræus participio: Enarrantes. Supple, ſunt. *Et opera.* Hebræus ſingulariter: Opus. Sed hoc nihil refert. *Annunciat.* Hebræus iterum participio: Annuncians eſt. *Firmamentum.* Hebræus: Expanſio, lamina. Sic appellant cælum, in quo poſita ſunt aſtra omnia; quo docemur, quanta, & quam inſignis ſit operatio, & fabrica Dei. Allegoricam hujus loci interpretationem D. Pauli vide Rom. 10.

3. *Eructat.* Hebræus futuro: Eructabit. *Verbum.* Sic Hebræus: Dictum. *Indicat.* Hebræus iterum futuro: Pronunciabit, indicabit. Diem eructare dictum diei, & Noctem pronunciare ſcientiam nocti, ſunt idiotiſmi poetici, ideſt, diem, & noctem præcedentem, diei, & nocti ſequenti divinæ laudis materiam novam ſemper afferre. Viciſſitudinis dierum & noctium contemplatione perpetua Dei opus cognoſcitur, & illius gloria celebratur.

4. *Sunt.* Ex ſermonis conſeqnentia ſubintellectum. *Loquelæ, ſermones.* Hebræus: Dictum; verba: quod nihil refert. *Quorum &c.* Genebrardo eſt Antiptoſis poetica: Quibus. Caſus pro caſu videlicet. Non ſunt, ait, lingnæ, neque ſermones quibus non audiantur voces cælorum. Et quidem nulla natio tam eſt barbara, quæ cæli contemplatione non poſſit ad opificis ejus notitiam perduci. Hæc expoſitio ſequitur, ſi de nationibus hujus mundi voces illas *loquelæ*, & *ſermones*, intelligas. Hebræi tamen ad cælos eas referunt, quorum non audiantur voces, quamvis dicatur, quod enarrent, annuncient, &c. Enarrant ſiquidem gloriam Dei mortalibus non voce, ſed viſu, & contemplatione, quapropter recte dicit: Non eſt dictum, & non ſunt verba, non auditur vox eorum. Quare ego potius arbitror, vacare *Quorum*, vel *Eorum* in noſtra interpretatione, ut ſit idiotiſmus illi ſimilis: Mons Sion in quo habitaſti in eo (Pſal. 74. 2.)

Digitized by Google

Verum quovis modo interpreteris locum hunc, nihil vel parum ſane referre dicerem.

5. *Sonus eorum*. Suſpicor, lectionem hebræam hodiernam corruptam eſſe, & legendum cum noſtris קוֹלָם, Vox, ſonus, ſonitus eorum; & non, abraſo Lamed קַוָּם, Linea, regula eorum, & ſtructura ad lineam confecta, quod ſatis indicatur a ſequenti dictione מִלֵּיהֶם, Verba eorum. Per proſopopæjam ſane loquuntur ſuo modo cæli Deum ubique terrarum. Hebræorum expoſitiones in commentariis habes. *In fines*. Hebræus nullo diſcrimine ſingulariter habet: In finem; in extrema. *Terræ*. Additum ad declarationem. *In Sole &c.* Genebrardo eſt Hypallage, pro, Solem poſuit in tabernaculo ſuo, ideſt in cælis. Sententia Hebræa clara eſt: Soli poſuit tabernaculum in eis. Fecit, ut cæli eſſent ſolis tabernaculum. Idiotiſmus poeticus; ideſt, Collocavit ſolem in medio cælorum, Solis aſtro cælos ornavit.

6. *Procedens*. Exiens, egrediens. Comparatio poetica ſolis ad ſponſam, ſatis ornata. *Exultavit*. Verbum Hebræum eſt futuri temporis; quod parum vel nihil refert: Exultabit, gaudebit. *Ut gigas*. Non corpore, ſed viribus. Hebræus: Ut fortis. Altera comparatio pulcherrima.

7. *A ſummo cælo*. Sic Hebræus: Ab extremo cælorum; ab ultimo orientis puncto. *Occurſus*. Pro ſimplici poſitum: Curſus, converſio, circuitus. Hebræus: Gyrum ejus. *Uſque ad extremum ejus*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Super extremitates ejus. Gyrus ſolis eſt uſque ad alterum ejus extremum, ideſt ultimum occidentis punctum. Nullius fere momenti, dictionum variatio. Græcus loco pronominis cælum repetit: καὶ τὸ κατάντημα αὐτοῦ ἕως ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Qui ſe abſcondat*. Hebræus idem participio: Abſconditus; abſcondens ſe a calore ejus. In omnibus permeat, & pertranſit illius vis.

8. *Immaculata*. Sine macula, integra, perfecta. Conſule Theſaurum. Altera pſalmi pars, in qua lex Domini, teſtimonium, juſtitiæ, præceptum, timor, & judicia, quæ ſunt re idem fere, miris extolluntur laudibus. Harum vocum interpretationes in Theſauro vide. *Convertens animas*. Hebræus ſingulariter collective: Reducens, redire faciens animam; quamlibet videlicet. Idiotiſmus pulcherrimus poeticus, quaſi diſcedant animæ ex corporibus peccantium, & beneficio legis, & Euangelii revertantur. *Teſtimonium*. Vel obteſtatio, conteſtatio. *Fidele*. Firmum, ſtabile. *Sapientiam præſtans parvulis*. Sic vocat ſimplices, & idiotas, ut Matth. 11. Revelaſti ea parvulis. Idem Hebræus ſingulariter collective: Sapientem faciens ſimplicis: ſimplicem. Ex idiotis lex homines reddit ſapientes.

9. *Juſtitiæ*. Quæ mandatis Dei continentur, & declarantur. Translatio ſenſus. Hebræus: Mandata, vel depoſita Domini. *Corda*. Hebræus ſingulariter, & genitivo, quod parum refert: Cordis. *Lucidum*. Idem Hebræus: Purum, mundum. *Oculos*. Hebræus genitivo: Oculorum illuminans, illuminator.

10. *Sanctus*. Hebræus: Purus, caſtus, quem docemur a præceptis Domini. *In ſeculum ſeculi*. Hebræus dativo: Æterno, in æternum. *Vera*. Hebræus ſubſtantivo: Veritas. *Juſtificata*. In Hebræo verbum eſt: Juſtificata ſunt, juſta fuere. *In ſemetipſa*. Per ſe, & ſuapte natura, vel pariter, ut Hebræus habet, minima ſenſus varietate.

11. *Super*. Ultra, pluſquam. Sic Hebræus præpoſitione, ſuo loquendi modo: Ab auro, præ auro. *Lapidem pretioſum*. Hebræus: Ab auro optimo, ſolidiore. Conſule Theſaurum. Non maximi ponderis varietas. *Dulciora*. Hebræus poſitivo: Dulcia. *Super mel*. Hebræus ut ſupra: A melle. *Et favum*. Idem Hebræus ſua locutione propria: Et agitatione favorum. Vide Theſaurum.

12. *Etenim*. Sic Hebræus: Etiam. *Cuſtodit ea*. Translatio ſenſus. Illuſtratus

tus videlicet, & præmonitus ab illis. Hebræus participio: Illuſtratus eſt, illuſtratur in eis. Nullius fere momenti variatio. *Retributio*. Hebræus idem: Merces multa. Conſule Theſaurum.

13. *Delicta*. Hebræus: Errata. *Intelligit*. Idem Hebræus futuro: Intelliget. Quæ errore committimus, quis valet ea mente percipere, cum ignorentur, quæ & qualia ſint? *Meis*. Vacat in Scriptura, quamvis nihilominus delicta occulta fiant noſtra, dum ea committimus.

14. *Et*. Hebræus: Etiam. *Ab alienis*. Noſtri litterarum Daleth & Reſc ſimilitudine, tranſitu facillimo legerunt מזרים, Ab alienis hominibus; ideſt ab alienorum hominum peccatis, ſi quid cum illis communicavi, parce. Hebræus nunc legit מזדים, A ſuperbis, vel a ſuperbiis, temeritatibus; nam vox Hebræa tam in abſtracto, quam in concreto ſumi poteſt. Conſule Theſaurum. Sic inſtructus ſum in tuis præceptis, ait, ut nullus peccandi locus, niſi vel ignorantia peccatorum, vel temeritate, proterviaque maxima, ſuperſit. Neutra harum lectionum diſplicet. *Parce*. Prohibendo, ne committat illa. *Si mei &c.* Hebræus futuro ſimpliciter, vel deprecatorie: quod parum refert. Non dominabuntur, ne dominentur in me, errata, occulta, & temeritates. Noſtri ad alienos homines referunt dicentes Dominati, quamvis nonnulli cenſent, legendum eſſe Dominata, ut Hebræo concordet. *Immaculatus*. Integer, & perfectus. Vide ſupra verſ. 8. *A delicto maximo*. Hebræus: A prævaricatione multa. Minima ſenſus variatio. Vide Theſaurum.

15. *Et*. Additum ad majorem orationis vim exprimendam. *Erunt*. Verbum Hebræum quidem futuri temporis eſt, quod ponitur ſæpius loco ſubjunctivi, quo carent: Sint. *Ut complaceant*. Hebræis nomen eſt, non verbum; quod nihil refert: Complacentia, bonæ voluntati: velis, grata & accepta ſint. *Eloquia*. Sic Hebræus: Dicta oris mei. *In conſpectu tuo*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Faciebus tuis. *Semper*. Additum ad exprimendam jugem orationem, & meditationem Davidis. *Adjutor meus*. Hebræus: Petra mea. Nomen divinum, ut in Theſauro.

Digitized by Google

PSALMUS XX. Latinis XIX.

למנצח מזמור לדוד :	1. *Præfectо, Pſalmus Davidi.*	1. In finem, Pſalmus David.
יענך יהוה ביום צרה ישגבך שם אלהי יעקב :	2. *Reſpondebit te DOMINUS in die tribulationis, exaltabit te nomen Deorum Jacob.*	2. Exaudiat te DOMINUS in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob.
ישלח עזרך מקדש ומציון יסעדך :	3. *Mittet auxilium tuum de ſanctitate, & de Sion fulciet te.*	3. Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te.
יזכר כל מנחתיך ועולתך ידשנה סלה :	4. *Memor erit omnium oblationum tuarum, & holocauſtum tuum in cinerem rediget. Selah.*	4. Memor ſit omnis ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.
יתן לך כלבבך וכל עצתך ימלא :	5. *Tribuet tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum implebit.*	5. Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet.
נרננה בישועתך ובשם א אלהינו נדגל ימלא יהוה כל משאלותיך :	6. *Ovabimus in ſalute tua, & in nomine Deorum noſtrorum vexillabimus, implebit DOMINUS omnes petitiones tuas.*	6. Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur. Impleat DOMINUS omnes petitiones tuas,
עתה ידעתי כי הושיע יהוה משיחו יענהו משמי קדשו ב בגבורות ישע ימינו :	7. *Nunc cognovi, quoniam ſalvum fecit DOMINUS Chriſtum ſuum, reſpondebit eum de cælis ſanctitatis ſuæ in potentiis ſalutis dexteræ ſuæ.*	7. nunc cognovi, quoniam ſalvum fecit DOMINUS Chriſtum ſuum. Exaudiat illum de cælo ſancto ſuo, in potentatibus ſalus dexteræ ejus.
אלה ברכב ואלה בסוסים ואנחנו בשם יהוה אלהינו נ נזכיר :	8. *Hi in curru, & hi in equis, & nos in nomen DOMINI Deorum noſtrorum memorabimus.*	8. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus.
המה כרעו ונפלו ואנחנו קמנו ונתעודד :	9. *Ipſi incurvati ſunt, & ceciderunt, & nos ſurreximus, & adhuc fuimus.*	9. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.
יהוה הושיעה המלך יעננו ביום קראנו :	10. *DOMINE ſalvum fac, Rex reſpondebit nos in die vocare noſtri.*	10. DOMINE, ſalvum fac Regem, & exaudi nos in die, *qua* invocaverimus te.

ANNOTATIONES.

Deum orat, ut pio Regi, & populo ad bellum proficiſcenti, vel Chriſto potius Satanam debellanti, propitius ſit. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcito.

1. *In finem.* Hebræus: Præpoſito, ut ſupra. *David.* Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra.

2. *Exaudiat.* Ut transferunt Noſtri; reſpon-

reſpondendo ſcilicet. Hebræus futuro hic & toto Pſalmo; quæ tempora poſſunt etiam verti ſubjunctivo, quo carent Hebræi, prout Vulgatus facit, ut in Grammatica docuimus: Reſpondebit te (tibi). *Tribulationis*. Afflictionis, moleſtiæ. *Protegat*. Translatio ſenſus. Hebræus futuro: Exaltabit te: in altum & munitum locum ducet, ubi ſecurus manere poſſis ab hoſtibus. *Nomen*. Virtus, poteſtas Dei, Deus ipſe. Vide Theſaurum. *Dei*. Hebræus pluraliter: Deorum.

3. *Mittat*. Hebræus futuro: Mittet. *Tibi auxilium*. Hebræus: Auxilium tuum. Quod nihil refert. *De ſancto*. Neutrius generis: De ſanctitatis loco. *Tueatur*. Fulciendo, & ſubſtentando. Hebræus futuro: Fulciet, ſubſtentabit te. Nullius momenti ſignificationis vocum varietas.

4. *Memor ſit*. Hebræus futuro: Memor erit. *Omnis ſacrificii tui*. Non oblationum tantummodo, ut Hebræus habet. *Pingue fiat*. Gratum, acceptum, efficax, quo denique placetur Deus, cujus rei certitudinem, ignis, ut devoraret holocauſta, & ea in cinerem redigeret, cælitus demiſſus, aliquoties comprobavit. Hebræus futuro: In cinerem rediget. Radix דשן, cinerem, & pinguedinem ſignificat. Conſule Theſaurum. De Selah jam dictum eſt.

5. *Tribuat*. Hebræus futuro: Tribuet dabit. Græcus addit hic Κύριος. Dare ſecundum cor, idiotiſmus notus: ideſt, ut vis, ut optas. *Confirmet*. Illud adimplendo. Hebræus futuro: Implebit. Implere conſilium, eſt perficere.

6. *Lætabimur*. Ovando ſcilicet pro victoria parta de hoſtibus. *In ſalutari*. Sic fere ſemper transferunt Noſtri. Hebræus: In ſalute, auxilio tuo. *Dei noſtri*. Hebræus pluraliter: Deorum noſtrorum. In impreſſis Græcorum codicibus additur hic: in nomine Κυρίου, Domini Dei noſtri. Vaticanus cum Hebræo concordat. *Magnificabimur*. Noſtri literis tranſpoſitis legerunt נְגַדֵּל, quod nunc Hebræis eſt נִדְגֹּל, Vexillabimus, vexillum elevabimus a דֶּגֶל (vexillum) verbum derivantes. Utraque lectio defendi poteſt, & nullius fere momenti eſt variatio. *Impleat*. Hebræus futuro: Implebit. Implere petitiones, eſt perficere.

7. *Exaudiat*. Reſpondendo, ut ſæpius diximus. Verbum Hebræum eſt futuri temporis, ſed diverſimode transferri poteſt: Reſpondebit eum (ei). *De cælo*. Nomen Hebræum eſt plurale natura: De cælis. *Sancto ſuo*. Idem Hebræus ſubſtantivo nomine: Sanctitatis ſuæ. *In potentatibus, &c.* In potentia, & viribus Dei, ſalus (ſit) dexteræ ipſius Regis. Hebræi ſententiam conjunctam legunt: Reſpondebit ei in potentiis ſalutis dexteræ ſuę. Dextera ſua validiore ſalutem afferente reſpondeat, & exaudiat. Pronomina Hebręa diverſis relationibus transferri poſſunt.

8. *In curribus*. Hebræus ſingulariter collective, quod idem eſt: In curru. *Dei noſtri*. Hebræus nomen divinum addens habet pluraliter: Domini Deorum noſtrorum. *Invocabimus*. Invocando memorabimus. Verbum Hebræum conſtruitur cum præpoſitione. Latine ſic: Hi currus, & hi equos, nos autem nomen Dei noſtri memorabimus.

9. *Obligati ſunt*. Vincti: inflexi, & incurvati, (ut Hebræus eodem ſenſu habet) ſuccubuerunt. *Erecti ſumus*. Hebræus verbum a עוד eleganter effingit: Et adhuc fuimus. Ideſt, fortiores, & validiores effecti ſumus. Conſule Theſaurum.

10. *Regem*. Noſtri ſic interpretati ſunt, quia mox legerunt וַעֲנֵנוּ, Et exaudi nos, mutato Jod in Vav ſcilicet, tranſitu facillimo, quæ fortaſſe lectio verior eſt, & hac de cauſa *Te* inſuper de ſuo ad clariorem intelligentiam addiderunt; quamvis lectio hodierna Hebræorum non penitus diſpliceat, utpote ex qua Chriſti divinitas facile comprobari poſſit. Ea igitur habet *Rex*. *Et exaudi nos*. Hebræus futuro: Reſpondebit nos (nobis): quod exauditionis ſignum eſt. *Qua*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Invocaverimus*. Hebræus idem infinitivo: Vocare noſtri; qua votamus. Expende locum accuratius.

GRA-

GRADUS TERTIUS.

PSALMUS XXI. Latinis XX.

למנצח מזמור לדוד:	1. *Præfecto, Pſalmus Davidi.*	1. In finem, Pſalmus David.
יהוה בעזך ישמח מלך ו ובישועתך מה יגיל מאד:	2. *DOMINE in robore tuo lætabitur rex, & in ſalute tua quam exultabit valde.*	2. DOMINE in virtute tua lætabitur rex, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer.
תאות לבו נתתה לו וארשת שפתיו בל מנעת סלה:	3. *Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei, & prolationem labiorum ejus non prohibuiſti. Selah.*	3. Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudaſti *eum*.
כי תקדמנו ברכות טוב ת תשית לראשו עטרת פז:	4. *Quoniam prævenies eum benedictionibus boni, pones capiti ejus coronam obrizi.*	4. Quoniam prævceniſti eum *in* benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.
חיים שאל ממך נתתה לו ארך ימים עולם ועד:	5. *Vitas petiit a te, tribuiſti ei, longitudinem dierum ſeculo, & æterno.*	5. Vitam petiit a te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.
גדול כבודו בישועתך הוד והדר תשוה עליו:	6. *Magna gloria ejus in ſalute tua, decorem & honorem adæquabis ſuper eum.*	6. Magna *eſt* gloria ejus in ſalutari tuo, gloriam & *magnum* decorem impones ſuper eum.
כי תשיתהו ברכות לעד ת תחדהו בשמחה את פניך:	7. *Quoniam pones eum benedictiones æterno, lætificabis eum in gaudio cum faciebus tuis.*	7. Quoniam dabis eum in benedictionem in ſeculum ſeculi, lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.
כי המלך בטח ביהוה ובחסד עליון בל ימוט:	8. *Quoniam rex confidit in DOMINO, & in pietate Altiſſimi, non commovebitur.*	8. Quoniam Rex ſperat in DOMINO, & in miſericordia Altiſſimi non commovebitur.
תמצא ידך לכל איביך ימינך תמצא שנאיך:	9. *Inveniet manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniet oſores tuos.*	9. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniat *omnes*, qui te oderunt.
תשיתמו כתנור אש לעת פניך יהוה באפו יבלעם ו ותאכלם אש:	10. *Pones eos ut clibanum ignis tempori facierum tuarum, DOMINUS in naſo ſuo deglutiet eos, & comedet eos ignis.*	10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, DOMINUS in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.
פרימו מארץ תאבד וזרעם מבני אדם:	11. *Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum a filiis Adam.*	11. Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum a filiis hominum.

12.

כי נטו עליך רעה חשבו מזמה בל יוכלו :	12. *Quoniam declinaverunt ſuper te malum, cogitaverunt nequitiam, non poterunt.*	12. Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt conſilia, *quæ* non potuerunt *ſtabilire*.
כי תשיתמו שכם במיתריך תכונן על פניהם :	13. *Quoniam pones eos dorſum, in chordis tuis aptabis ſuper facies eorum.*	13. Quoniam pones eos dorſum, in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.
רומה יהוה בעזך נשירה ו ונזמרה גבורתך :	14. *Exaltare DOMINE in robore tuo, cantabimus & pſallemus potentiam tuam.*	14. Exaltare DOMINE in virtute tua, cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

ANNOTATIONES.

CHriſti Regis gloriam mirabiliter decantat, & Deo, qui tandem hoſtes ejus ſit perditurus, gratias agit.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſupra. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſæpius diximus. In impreſſis Græcorum codicibus habetur tantum ψαλμὸς τῷ Δαβίδ, prætermiſſo εἰς τέλος.

2. *In virtute tua*. Sic Vulgatus fere ſemper dictionem עז transferre ſolet: In robore tuo: de fortitudine tua gaudebit. *Super ſalutare tuum*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: In ſalute tua: de tua ſalute, auxilio. *Vehementer*. Hebræus ad verbum: Quantum exultabit valde. Carent Hebræi comparativis, & ſuperlativis, ut in Grammaticis.

3. *Dare deſiderium cordis*, eſt idiotiſmus notus. *Voluntate*. Translatio ſenſus. Quæ pronunciando, ſe velle explicat. Dictio Hebræa non invenitur alibi, & quid ſignificet, incertum eſt, quamvis communiori ſententia pronunciationem, prolationem, ex loci conjectura credatur ſignificare. Conſule Theſaurum. *Fraudaſti*. Iterum translatio ſenſus. Prohibendo ſcilicet, ne peteret. Hebræus: Prohibuiſti. *Eum*. Additum neceſſario propter mutationem verbi. Idem tamen fere totius ſententiæ ſenſus cum Hebræa. Non prohibere prolationem labiorum alicujus, eſt petita concedere. Sic Joan. II. Scio pater, quia ſemper me exaudis. De Selah jam diximus.

4. *Prævenisti*. Hebræus futuro: Prævenies. *In*. Non habetur in Hebræo: quod nihil refert. *Dulcedinis*. Hebræus: Boni; omnium bonorum. Nullius momenti varietas. Prævenire aliquem benedictionibus boni, eſt idiotiſmus perquam elegans; dando ei benedictiones, & gratias excellentiſſimas, priuſquam petat; ab ipſo primo conceptus puncto videlicet. *Poſuiſti*. Hebræus futuro: Pones. *In capite*. Sic Hebræus dativo: Capiti. *De lapide pretioſo*. Vulgatus dictionem hanc fere ſemper ſic transfert. Vide ſupra pſal. 19. 11. Hebræus: Auri ſolidi. Minimi momenti varietas. Ponere capiti coronam obrizi, alter idiotiſmus notus.

5. *Vitam*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Vitas. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In ſeculum, & in ſeculum ſeculi*. Hebræus abſolute: Seculo, & æterno. In impreſſis Græcorum codicibus habetur ſolum εἰς αἰῶνα αἰῶνος, quod in aliis eſt, εἰς αἰῶνα, καὶ εἰς αἰῶνα αἰῶνος.

6. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *In ſalutari tuo*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: In ſalute, auxilio tuo, ut ſupra. *Gloriam, & magnum decorem*. Non longe aliter Hebræus: Decorem, & honorem. Nullius momenti vocum immutatio; idem enim fere ſenſus. Conſule Theſaurum. *Impones*. Hebræus: Adæquabis. Hujus verbi genuinam ſignificationem vide in Theſauro. Adæquare ſuper aliquem decorem, & honorem, eſt idiotiſmus pulcherrimus; pro Ad ſummos honores evehere; quem notes.

7. *Da-*

Digitized by Google

7. *Dabis eum in benedictionem*. Hebræus idiotiſmo perquam ornato, ſed eodem ſenſu: Pones eum benedictiones; ut ſit videlicet benedictus in ſeſe, aliis inſuper benedictionis, & felicitatis omnis auctor, ac cauſſa, juxta illud Gen. 22. 18. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. *In ſeculum ſeculi*. Hebræus dativo: Æterno, in æternum. *Vultu tuo*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Faciebus tuis. Lætificare aliquem in gaudio cum facie tua, eſt idiotiſmus ſatis ornatus, pro Lætam oſtendere faciem.

8. *Sperat*. Quia confidit videlicet, ut Hebræus habet. *In miſericordia*. Sic Vulgatus חֶסֶד interpretatur ſemper, ut alibi diximus: quod parum refert. Genebrardus locum exponit ſic: Per miſericordiam Dei non dimovebitur de ſtatu ſuo. Eodem recidunt & verba Hebraica: Confidit in Domino, & in pietate ejus, nec dimovebitur.

9. *Inveniatur*. Noſtri videntur, punctis vocalibus immutatis, legiſſe תִּמָּצֵא, Invenietur, paſſivæ conjugationis Niphal, propter lamed ſervile, quod ſequitur. Sed nunc Hebræis eſt Cal activum תִּמְצָא, Inveniet, ſicut & ſequens; idem tamen ſenſus. Manum invenire inimicis, eſt idiotiſmus: ideſt, inimicos, ut puniat. Verbum hoc Hebræis conſtruitur tam cum dativo, quam cum accuſativo. Vide Theſaurum. *Inveniat*. Hebræus iterum futuro: Inveniet. *Omnes*. Additum exaggerationis ergo. *Qui te oderunt*. Hebræus idem participio: Odientes; oſores tuos.

10. *Pones*. Græcus addit ὅτι cauſſativam particulam: Quoniam pones. *In tempore*. Idem Hebræus dativo: Tempori. *Vultus tui*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Facierum tuarum. *Dominus &c.*. Noſtri referentes actionem verbi ad Dominum, ſic tranſtulerunt. Hebræorum vero quidam ad furnum eam referunt, cui poetice iram dant, & ob id vocandi caſu exprimunt: Domine. Idem ſenſus. *Conturbabit*. Diſſipando, & deglutiendo. Videntur nihilominus Noſtri facillimo vocis tranſitu legiſſe יְבַהֲלֵם, Conturbabit eos, quod nunc Hebræis eſt יְבַלְּעֵם: Deglutiet, diſſipabit eos in naſo ſuo, vel ira, nam אַף utrumque ſignificat. *Devorabit*. Hebræus idem: Comedet eos ignis, vorabit.

11. *Hominum*. Hebræus ſingulariter collective; Adam, hominis. Perdere fructum de terra, & ſemen a mortalibus, ſunt idiotiſmi noti.

12. *Declinaverunt*. Active: Inclinaverunt; intenderunt. *In te*. Hebræus ſuper te. *Mala*. Hebræus ſingulariter: Malum. Quod nihil refert. Verbum etiam Hebræum ſæpius neutrum eſt, ſicque totam ſententiam poſſumus interpretari: Quoniam declinaverunt ſuper, contra, in te malo. Idem tamen eſt ſenſus. *Conſilia*. Nefaria, ſcelerata, infanda, abominationes. Hebræus ſingulariter: Nequitiam, cogitationem malam. Conſule Theſaurum ſuper hac voce. *Quæ, ſtabilire*. Ob intelligentiam ſententiæ neceſſario addita. Hebræus idiotiſmo proprio, conciſe: Non poterunt. Supple, cogitationes illas peſſimas perficere.

13. *Ponere aliquos dorſum*, idiotiſmus, pro Cogere eos terga dare. *In reliquiis tuis*. In his, quos tu reliqueris, & reſiduos feceris e tanta ſtrage. Nomen Hebræum ſub hac forma nervos & chordas arcuum ſignificat. Quare ſuſpicor Noſtros mutato Jod in Vav, facillimo nempe tranſitu, pro בְּמֵיתָרֶיךָ, in chordis tuis; legiſſe בְּמוֹתָרֶיךָ, in reſiduis tuis; vel certe putaſſe, hanc etiam formam habere ſignificationem radicis propriam. *Præparabis vultum eorum*. Ad ſagittas, vel ad plagas videlicet. Hebræus ad verbum habet: In chordis tuis aptabis (præparabis) ſuper (contra) facies eorum. Idiotiſmus elegans. Quaſi dicat, quod terga dare cogantur, hæc eſt cauſſa, telorum ſcilicet, jaculorumque tuorum recta in eorum vultum collineatio. Minimi tamen ponderis eſt ſententiæ varietas.

14. *In virtute tua*. Hebræus: In robore tuo, ut ſupra verſ. 2. *Virtutes tuas*. Hebræus ſingulariter: potentiam tuam. Nullius momenti variatio.

PSAL.

PSALMUS XXII. Latinis XXI.

למנצח על אילת השחר מ סומור לדוד :	1. *Præfecto ſuper cerva auroræ. Pſalmus Davidi.*	1. In finem, pro ſuſceptione matutina, pſalmus David.
אלי אלי למה עזבתני רחוק סישועתי דברי שאגתי :	2. *Deus meus, Deus meus cui rei dereliquiſti me? longe a ſalute mea verba rugitus mei.*	2. Deus Deus meus, *reſpice in me*, quare me dereliquiſti? longe a ſalute mea verba delictorum meorum.
אלהי אקרא יומם ולא תענה ילילה ולא דומיה לי :	3. *Dii mei clamabo die, & non reſpondebis, & nocte, & non ſilentium mihi.*	3. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.
ואתה קדוש יושב תהלות ישראל :	4. *Et tu ſancte habitans laudes Iſraelis.*	4. Tu autem *in* ſancto habitas, laus Iſrael.
בך בטחו אבתינו בטחו ו ותפלטמו :	5. *In te confiſi ſunt patres noſtri, confiſi ſunt, & liberaſti eos.*	5. In te ſperaverunt patres noſtri, ſperaverunt, & liberaſti eos.
אליך זעקו ונמלטו בך ב בחטו ולא בושו :	6. *Ad te clamaverunt, & erepti ſunt, in te confiſi ſunt, & non ſunt confuſi.*	6. Ad te clamaverunt, & ſalvi facti ſunt, in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi.
ואנכי תולעת ולא איש ח חרפת אדם ובזוי עם :	7. *Et ego vermis, & non vir, opprobrium hominis, deſpectus populi.*	7. Ego autem *ſum* vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.
כל ראי ילעיגו לי יפטירו בשפה יניעו ראש :	8. *Omnes videntes me deridebunt mihi, aperient in labio, movebunt caput.*	8. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, *&* moverunt caput.
גל אל יהוה יפלטהו יצילהו כי חפץ בו :	9. *Revolvendo ad DOMINUM eripiet eum, liberabit eum, quoniam vult in eo.*	9. Speravit in DOMINO, eripiat eum, ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.
כי אתה גחי מבטן מבטיחי על שדי אמי :	10. *Quoniam tu extractor meus de ventre, faciens me confidere ſuper uberibus matris meæ.*	10. Quoniam tu *es*, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab uberibus matris meæ; 11. in te projectus ſum ex utero.
עליך השלכתי מרחם מבטן אמי אלי אתה :	11. *Super te projectus ſum ex vulva, de ventre matris meæ Deus meus es tu.*	De ventre matris meæ Deus meus *es* tu, 12. ne diſceſſeris a me.
אל תרחק ממני כי צרה ק קרובה כי אין עוזר :	12. *Ne elongabis a me, quoniam tribulatio proxima, quoniam non adjuvans.*	Quoniam tribulatio proxima *eſt*, quoniam non *eſt*, qui adjuvet.
סבבוני פרים רבים אבירי בשן כתרוני :	13. *Circumdederunt me juvenci multi, tauri Baſan circumdederunt me.*	13. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me.

פצו עלי פיהם אריה טרף ושאג:

כמים נשפכתי והתפרדו כל עצמותי היה לבי כדונג נמס בתוך מעי:

יבש כחרש כחי ולשוני מ מדבק מלקוחי ולעפר מות תשפתני:

כי סבבוני כלבים° עדת מרעים הקיפוני כארי ידי ו ורגלי:

אספר כל עצמותי המה י יביטו יראו בי:

יחלקו בגדי להם ועל לבושי יפילו גורל:

ואתה יהוה אל תרחק א אילותי לעזרתי חושה:

הצילה מחרב נפשי מיד ב בלב יחידתי:

הושיעני מפי אריה ומקרני רמים עניתני:

אספרה שמך לאחי בתוך קהל אהללך:

יראי יהוה הללוהו כל זרע יעקב כבדוהו וגורו ממנו כל זרע ישראל:

כי לא בזה ולא שקץ ענות עני ולא הסתיר פניו ממנו ובשועו אליו שמע:

14. *Aperuerunt ſuper me os ſuum; leo rapiens, & rugiens.*

15. *Sicut aquæ effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea, fuit cor meum tanquam cera liqueſcens in medio viſcerum meorum.*

16. *Aruit tanquam teſta vis mea, & lingua mea adjuncta faucibus meis, & pulveri mortis ordinabis me.*

17. *Quoniam circumdederunt me canes, conſilium malignorum obſederunt me, foderunt manus meas, & pedes meos.*

18. *Dinumerabo omnia oſſa mea, ipſi inſpicient, videbunt in me.*

19. *Divident veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſtẽ meam cadere facient ſortem.*

20. *Et tu DOMINE ne elongaberis, robur meum auxilio meo accelera.*

21. *Erue a framea animam meam, de manu canis unicam meam.*

22. *Salva me ex ore leonis; & a cornibus unicornium reſpondiſti me (mihi).*

23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.*

24. *Timentes DOMINI laudate eum, univerſum ſemen Jacob glorificate eum, & timete ab eo omne ſemen Iſrael.*

25. *Quoniam non ſprevit, neque deteſtatus eſt afflictionem afflicti, nec abſcondit facies ſuas ab eo, & in clamore ejus ad eũ audivit.*

14. Aperuerunt ſuper me os ſuum, *ſicut* leo rapiens & rugiens.

15. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens, in medio ventris mei.

16. Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxiſti me.

17. Quoniam circumdederunt me canes *multi*, conſilium malignantium obſedit me.

Foderunt manus meas, & pedes meos, 18. dinumeraverunt omnia oſſa mea:

Ipſi *vero* conſideraverunt, & inſpexerunt me, 19. diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

20. Tu autem DOMINE ne elongaveris auxilium tuum *a me*, ad defenſionem meam conſpice.

21. Erue a framea *Deus* animam meam, & de manu canis unicam meam.

22. Salva me ex ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam.

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.

24. Qui timetis DOMINUM, laudate eum, univerſum ſemen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne ſemen Iſrael, 25. quoniam non ſprevit, neque deſpexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem ſuam a me, & cum clamarem ad eum, exaudivit *me*.

26.

Digitized by Google

מאתך תהלתי בקהל רב נדרי אשלם נגד יראיו׃	26. *Abs te laus mea in Eccleſia multa, vota mea perficiam oppoſito timentium eum.*	26. Apud te laus mea in Eccleſia magna, vota mea reddam in conſpectu timentium eum.
יאכלו ענוים וישבעו יהללו יהוה דרשיו יחי לבבכם לעד׃	27. *Edent mites, & ſaturabuntur, laudabunt DOMINUM requirentes eum, vivet cor veſtrum æterno.*	27. Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt DOMINUM, qui requirunt eum, vivent corda eorum in ſeculum *ſeculi*.
יזכרו וישבו אל יהוה כל אפסי ארץ וישתחוו לפניך כל משפחות גוים׃	28. *Reminiſcentur, & redibunt ad DOMINUM univerſi fines terræ, & adorabunt faciebus tuis univerſæ familiæ gentium.*	28. Reminiſcentur, & convertentur ad DOMINUM, univerſi fines terræ. Et adorabunt in conſpectu ejus, univerſæ familiæ gentium.
כי ליהוה המלוכה ומשל בגוים׃	29. *Quoniam DOMINO regnum, & dominans in gentes.*	29. Quoniam DOMINI *eſt* regnum, & *ipſe* dominabitur gentium.
אכלו וישתחוו כל דשני ארץ לפניו יכרעו כל יורדי עפר ונפשו לא חיה׃	30. *Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ, faciebus illius incurvabuntur omnes deſcenſores pulveris, & animam ſuam non vivificavit.*	30. Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ, in conſpectu ejus cadent omnes, qui deſcendunt in terram. Et anima mea illi vivet,
זרע יעבדנו יספר לאדני לדור׃	31. *Semen ſerviet ipſum (ipſi), narrabitur Domino ætati.*	31. & ſemen *meum* ſerviet ipſi. Annunciabitur Domino, generatio
יבאו ויגידו צדקתו לעם נולד כי עשה׃	32. *Venient, & annunciabunt juſtitiam ejus populo nato, quia fecit.*	32. ventura, & annunciabunt *cæli* juſtitiam ejus populo, qui naſcetur, quem fecit *Dominus*.

ANNOTATIONES.

PAſſiones Chriſti, & fidei propagationem elegantiſſimo carmine deſcribit. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præpoſito, de qua voce ſuperius dictum eſt. *Pro ſuſceptione*. Defenſionis ergo ſcilicet; nam eſt translatio ſenſus. Hebræus: Super cerva. Sic dicta a fortitudine. Quidam ſtellam, quidam ut Noſtri, fortitudinem, quidam tandem inſtrumentum muſicum ſic dictum, exponunt. Tituli pſalmorum ſatis incerti ſunt ut plurimum. Conſule Theſaurum. *Matutina*. Non aliter Hebræus: Auroræ. Cervam auroræ vocat inſtrumentum quoddam muſicum, ut communior eſt ſententia, ad cujus modulationem pſalmus iſte decantabatur. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra.

2. *Deus*. Hebræus addit pronomen Meus, quod a Noſtris ſuppreſſum parum refert. *Reſpice in me*. Additum ad majorem compaſſionis affectum excitandum. *Quare*. Sic Hebræus ſuo modo: Cui rei. Ad quid: ut quid. *Delictorum meorum*. Ideſt, quæ mihi cauſſa totius generis humani imputantur. Arbitror nihilominus Noſtros literis tranſpoſitis legiſſe שְׁגָאתַי, Erratorum, delictorum meorum, eadem voce ſcilicet, quæ pſalmo

 19.

15. 13. habetur. Hebræus nunc legit שַׁאֲגָתִי, eodem fere ſenſu: Rugitus mei, quem fundo propter delicta generis humani tollenda.

3. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Dii mei. *Per diem*. Die; interdiu. *Exaudies*. Reſpondendo. Jam diximus, Vulgatum ſic interpretari verbum עָנָה ſemper, quod exauditionis ſignum eſt. *Et non ad inſipientiam mihi*. Idque non propter meam exciſionem, ſtuporem. Non, inquam, propter meam ſtultitiam, & inſipientiam: non propter mea peccata ſeilicet, ſed aliorum, atque adeo totius generis humani. Hebræus ad verbum: Et non ſilentium mihi. Supple, eſt. Hoc ſilentium Noſtri ſuo ſenſu inſipientiam interpretati ſunt; &, non inſipientiæ, non ad inſipientiam, non propter ſtultitiam, tranſtulerunt. Et *Mihi*, ideſt, quæ in me eſt (ſit) exponi debet, non ut alii ſatis frigide: Non ad ſtultitiam mihi erit, vel reputabitur, hic clamor. Hebræorum ſenſus eſt, quod nunquam a clamore deſiſtit. Radix Hebræa Silentium, quietem, & deinde ſtuporem, exciſionem, & hujuſmodi per translationem ſignificat. Conſule Theſaurum.

4. *In ſancto*. LXXII. præpoſitionem, In, addentes de ſuo, ſic interpretati ſunt: Et tamen tu in ſancto (in cælis) habitas, nihil veluti curans, & ſolicitus de meis malis, o laus Iſrael: quem videlicet Iſraelitæ laudant, colunt, ac celebrant. Hebræus eodem fere ſenſu legit: Tu autem ſancte habitans (habitator) laudum Iſrael: ideſt, cui gratum eſt, quammaxime laudari, & celebrari ab Iſraelitis continue. Habitare laudes alicujus, eſt idiotiſmus pulcberrimus. Nullius fere momenti variatio. *Laus*. Vulgatus punctis immutatis legit תְּהִלַּת, ſingulariter, quod nunc eſt plurale תְּהִלּוֹת, laudes. Sed hoc nihil, vel parum certe refert.

5. *Speraverunt*. Sic interpretantur ſemper verbum בָּטַח, quod ex confidentia ſpes oriatur. Hebræus: Confiſi ſunt.

6. *Salvi facti ſunt*. Idem Hebræus fere: Erepti ſunt. *Speraverunt*. Hebræus: Confiſi ſunt, ut ſupra.

7. *Sum*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Homo*. Hebræus: Vir. Minima varietas. *Hominum*. Hebræus ſingulariter; collective: Adam; hominis. *Abjectio*. Idem ſenſus in Hebræo, quamvis participio proferatur: Abjectus; deſpectus plebis, populi.

8. *Deriſerunt me*. Hebræus futuro, & dativo: Deridebunt; ſubſannabunt mihi. *Locuti ſunt labiis*. Verba deriſoria videlicet. Idem Hebræus fere, quamvis ſubſannantium geſtum clarius exprimat, idiotiſmo proprio perquam ornato: Aperient in labio. Labium, inquit, aperiunt quammaxime, illudendi me gratia. Sic vulgo: Facevano tanto di bocca. Nullius momenti variatio. *Et*. Non habetur in Hebræo. Movere caput, alius deridentium geſtus, capitis agitatione.

9. *Speravit in Domino &c.* Translatio ſenſus. Revolvendo ſe ad illum ſcilicet. Hebræus idiotiſmo ſatis ornato dicit: Revolvendo ad Dominum eripiet eum. Subſannantes videlicet vertunt ſermonem hunc ad Deum, deriſionis gratia, dicentes: eripiet eum &c. *Salvum faciat eum*. Hebræus futuro: Liberabit eum. Verba Hebræa ſunt ſynonyma, ſed Vulgatus, ne bis Eripiat diceret, ſecundum ſic interpretatus eſt; quod tamen idem fere eſt. *Vult eum*. Sic Hebræus ſuo modo: Vult in eo; Cupidus illius eſt, ut ipſe jactat.

10. *Es*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Qui extraxiſti*. Idem Hebręus, quamvis nomine: Extractor meus. *Spes mea*. Idem ſenſus eſt in Hebræo, ſed participio: Facient me confidere. Quod ſperandi verbo ſemper transferre lxxii. ſuperius ver. 5. diximus. *Ab uberibus*. Optime tranſtulit præpoſitionem Hebræam עַל: Super uberibus. Idiotiſmi noti. Sic latinis: Ab ortu, a teneris unguiculis, & hujuſmodi.

11. *In te*. In tuam fidem, & tutelam projectus ſum. Lxxii. concordant cum Hebræo: ἐπί σε, Super te. Hoc igitur loco, *te*, eſt accuſativi caſus. Sic 1. Petri 5. Omnem ſollicitudinem projice in ipſum. *Ex utero*. Ex vulva, ex matrice. *Es*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia.

12.

12. *Diſceſſeris*. Sic Hebræus: Elongabis; longe recedes. *Eſt*. Bis additum ex ſermonis conſequentia. *Qui adjuvet*. Idem Hebræus participio: Adjuvans. In græcis exemplaribus additur *μοι*, ſed Vaticani codex cum Hebræo concordat.

13. *Vituli*. Hebræus: Juvenci; quod parum refert. Rurali metaphora Judæos, & milites inſtar iſtorum animalium petulantes & efferatos perſtringit, quos canes mox ver. 17., Leonem, & unicornes 22. appellabit. *Tauri pingues*. Senſum clariorem reddidit. Hebræus: Potentes (tauri) Baſan. Quæ regio fertilitate maxima tauros pingues & obeſos alit. *Objederunt*. Circumdederunt, coronam, gyrum facientes mihi.

14. *Sicut*. Non habetur in Hebræo, ſubintelligendum nihilominus.

15. *Sicut aqua*. Ob effuſionem ſanguinis. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Sicut aquæ. *Effuſus ſum*. Græci codices legunt: ὡσεὶ ὕδωρ ἐξεχύθη, Diffuſa ſunt. Vulgatus Hebræo concordat. *Diſperſa*. Separata, & e ſuis locis mota præ tormentorum acerbitate. *Factum eſt*. Sic Hebræus: Fuit. *Ventris mei*. Idem Hebræus: Viſcerum meorum. Idiotiſmus pulcherrimus, ſed apertus.

16. *Virtus mea*. Vis mea, robur meum ſanguine, & omni vitali ſucco deſtitutum. *Adhæſit*. Hebræus participio: Adjuncta, conjuncta. *Et in pulverem mortis deduxiſti me*. Lxxii. hyperbolica locutione factum protulerunt, quod futurum erat, niſi Deus prohiberet, juxta illud pſalmi 16. 10. Nec dabis ſanctum tuum videre coruptionem. Nempe ut in ſepulchro corrumpatur. Hebræus eodem ſenſu, licet clarius, futuro protulit: Et pulveri mortis ordinabis me. Dolorum & cruciatuum acerbitate, niſi corruptionem juxta promiſſiones tuas a me prohibeas. Vim areſcere tanquam teſtam, linguam adhærere faucibus, ordinare pulveri mortis, ſunt idiotiſmi pulcherrimi, dolorum acerbitatem & magnitudinem exprimentes.

17. *Multi*. Ad exaggerationem additum, quod non habetur in Hebræo. *Conſilium*. Cœtus. Sic pſalmo 1. 5. *Malignantium*. Malignorum, male, prave agentium, obſedit, circumdedit me. Hebræus pluraliter, nam concordat ſenſu, non voce: Circumdederunt me; gyrum, ne evaderem, poſuerunt mihi. *Foderunt &c.* Idem Hebræus, quamvis Judæi hodierni ignorantia, & malitia præditi ſatis tergiverſentur. Aleph in כארי eſt per Epenthesin additum, & Jod eſt Vav decurtatum, legendumque eſt Caaru. Conſule Theſaurum noſtrum. Frigent Judæorum expoſitiones hujus loci, qui ſic interpretantur: Cœtus pravorum obſederunt me leonis inſtar, manus meas, & pedes meos.

18. *Dinumeraverunt*. Non ego ſolum, ut Hebræus habet, dinumerabo, ſed & ipſi dinumerare poterunt omnia oſſa mea ſic ab invicem diviſa, & ſeparata. *Vero, &c.* Dictiones additæ ſine variatione ſenſus. *Conſideraverunt*. Hebræus: Inſpicient: mente & oculis. *Inſpexerunt me*. Hebræus futuro: Videbunt in me. Videre in aliquem, eſt idiotiſmus; deriſionis gratia videlicet.

19. *Diviſerunt*. Hebræus futuro: Divident, partientur. *Miſerunt*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo, ſed futuro: Cadere facient; projicient ſortem.

20. *Ne elongaveris auxilium tuum*. Suſpicor, Noſtros alium textum habuiſſe; vel certe ſenſum, non verbum interpretatos eſſe, legentes punctis vocalibus immutatis אל תרחק, Ne elongaveris (active) robur meum. Hanc fortitudinem, auxilium Dei. interpretati ſunt, & *a me* de ſuo neceſſario addiderunt. Latinorum varia feruntur exemplaria; nam quidam legunt, auxilium meum, quidam tuum; quidam etiam omittunt illud *a me*. Suſpicantur autem nonnulli, quod Interpres vertit, auxilium meum, alios mutaſſe in auxilium tuum, alios in auxilium a me, alios denique utrumque, tuum, & a me, conjunxiſſe. De hoc loco Hieronymus ad Suniam, & Fretelam ſcribens ait: Dicitis

tis

tis inveniſſe vos *meum*, quod & verum eſt, & ita corrigendum. Neque enim, ſi quid ſcriptorum eſt errore mutatum, ſtulta debemus contentione defendere. Idem tamen ſenſus ſemper eſt, modo dicas auxilium tuum active, vel meum paſſive, quod notes. Nunc Hebræis verbum neutrum eſt, ex conjugatione Cal אַל תִּרְחָק, ne elongaberis, ne longe ſteteris. Et robur meum, vocandi caſu, Dei epithetum eſſe contendunt. *Ad defenſionem*. Hebræus dativo: Auxilio meo; defenſioni meæ. *Conſpice*. Hebræus: Accelera. Accelerabis quidem ad opem mihi ferendam, ſi conſpexeris, quæ, & qualia patior. Nullius momenti varietates.

21. *Deus*, &c. Addita ſine variatione ſenſus. *Unicam meam*. Poetice animam ſic nominat, quæ unica eſt in corpore, non multæ; quemadmodum & cani manum dat, quo nomine cerberum intellexiſſe quidam autumant.

22. *Humilitatem meam*. Arbitror, Noſtros facili vocis tranſitu legiſſe עֱנוּתִי, afflictionem, humilitatem meam; quæ fortaſse lectio verior eſt. Hebræus verbo nunc profert עֲנִיתָנִי, Reſpondiſti me, (mihi): Exaudiſti me. Minimi nihilominus momenti eſt varietas. Radix Hebræa Reſpondere, affligere, humiliare, & hujuſmodi, ſignificat.

24. *Qui timetis Dominum*. Idem Hebræus participio: Timentes Domini. *Timeat eum*. Hebræus imperativo effert: Et timete ab eo. Vulgatus fortaſſe Jod in Vav mutato יָגוּרוּ, timebunt, timeant, legerat. Nullius momenti tamen eſt varietas. Græcus habet, φοβηθήτω δὴ ἀπ' αὐτοῦ. In Complutenſi vero φοβηθήτο δὴ αὐτοῦ. Sed Vaticani codex habet, φοβηθήτωσαν αὐτὸν, quam lectionem interpres noſter videtur ſecutus eſſe.

25. *Deſpexit*. Idem Hebræus fere: Deteſtatus eſt. *Deprecationem pauperis*. Quam afflictionis cauſſa fundit ad Deum continue. Senſum, non verbum tranſtulerunt Noſtri; niſi malles, eos punctis vocalibus immutatis legiſſe עֱנוֹת, Reſpondere, exaudire pauperis, quod nunc Hebræis eſt עֱנוּת, afflictionem afflicti. *Nec avertit*. Idem Hebræus fere: Nec abſcondit. *Faciem ſuam*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Facies ſuas. *A me*. Idem ſenſus in Hebræo, quamvis de tertia loquatur perſona: Ab eo. Sic & ſequens verbum, *Et cum clamarem*, Hebræus tertia perſona profert: Et in clamare illius. Niſi diceres Noſtros legiſſe מִמֶּנִּי, a me, & וּבְשַׁוְּעִי, & in clamare meo, cum clamarem, facili ſane tranſitu Vav in Jod. *Exaudivit*. Pro ſimplici poſitum: Audivit. *Me*. Additum à Noſtris. Sed hæc minima.

26. *Apud te*. Vulgatus fortaſſe legerat in Græco παρὰ σοὶ, apud te, in te poſitum eſt, ut te laudem publice ob ſalutem, quam mihi afferes. Nunc Græcus Hebræo concordans habet παρὰ σοῦ, a te. Idem tamen ſenſus. *Magna*. Sic Hebræus: Multa; copioſa, frequenti concione. Græcus addit hic ἐξομολογήσομαί σοι, quæ verba tamen non habentur in Vaticano codice. *Reddam*. Idem Hebræus: Perficiam, abſolvam. *In conſpectu*. Hebræus ſuo modo: Oppoſito timentium eum; coram timentibus eum.

27. *Pauperes*. Vulgatus literarum Vav in Jod facillimo tranſitu legit עֲנִיִּים, afflicti, miſeri, pauperes. Hebræus nunc habet עֲנָוִים, mites: quæ minimi momenti variatio eſt. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Qui requirunt eum*. Idem Hebræus participio: Requirentes eum. *Vivent corda eorum*. Hebræus vertens ad eos ſermonem, habet: Vivat cor veſtrum; quod parum ſane referre crederem. Idiotiſmus ſatis notus. *In ſeculum ſeculi*. Hebræus dativo: Æterno, ſeculo.

18. *Convertentur*. Redibunt ad Dominum, a quo peccando diſceſſerant. *In conſpectu ejus*. Hebræus ad Deum vertens ſermonem, quem modo ſecunda, modo tertia perſona alloquitur linguæ ritu, ſuo loquendi tropo dicit: Faciebus

bus

bus tuis. Verum hoc nihil refert.

29. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Ipſe*. Ad emphaſim additum. *Dominabitur*. Hebræus præſenti participio: Et dominans. Supple, eſt. Nunc quidem dominatur, dominium, poteſtatem exercet inter gentes, ſed & in poſterum hoc ei melius debebitur, quod paſſionibus, tormentis, & morte mea omnium gentium jura illi acquiſierim.

30. *Pingues terræ*. Potentes, principes. *In conſpectu ejus*. Hebræus dativo, ſuo modo: Faciebus ejus. *Cadent*. Idem ſenſus in Hebræo: Incurvabuntur: ſe ei ſummittent. *Qui deſcendunt in terram*. Hebræus idem fere: Deſcenſores pulveris, ideſt, omnes mortales, vel certe omnes mortui. *Et anima mea illi vivet*. LXX. facillimo tranſitu nonnullis immutatis legerũt ונפשי לא חיה Et anima mea illi vixit. Et fortaſſis illud Vav affixum, quod nunc eſt in Hebræo, Jod magnum effectum fuit ad aliquod myſterium deſignandum, & לא idem eſt ac לו, ut alibi etiam invenitur: Perpetuo, inquit, illi; ideſt, ad ejus gloriam & decus; ſive ad eum glorificandum, & celebrandum vivam, neque amplius moriar. Vel vita beata, & æterna perfruar. Hebræus nunc legit ונפשו לא חיה Et animam ſuam non vivificavit. Quæ verba varias intelligentias habere poſſunt. Mihi ſimplicior ſenſus eſſe videtur, ut vatis verba ſint de Chriſto, cui ob mortem hæc omnia ſupradicta & dicenda de gentium converſione contigerint. Propterea quod, ait, animæ ſuæ non pepercit, eam non vivificavit, vivere non permiſit, hanc gloriam aſſecutus eſt. Hebræorum ſenſum habes in commentariis. Utraque lectio defendi poteſt.

31. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Meum*. Ob majorem dilucidationem additum. Non quodlibet ſemen, ait, ſed illud tantum, quod ſpecialis gratiæ prærogativa per Euangelium renatum, & in nomine ejus credens, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natum eſt. *Ipſi*. Hebræus accuſativo: Ipſum. *Annunciabitur*. Idem Hebræus: Narrabitur: numerabitur. *Domino*. In Hebræo eſt nomen Adonai. *Generatio*. Sic Vulgatus interpretatur לדור, quia ſequens verbum legit יבא, quæ veniet, ventura. Hebræus autem nunc terminat ſententiam. hic Ætati: generationi. Idiotiſmus. Ut ſit ætas, generatio. Idem fere ſenſus.

32. *Ventura*. Jam diximus, Vulgatum legiſſe יבוא, quod nunc Hebræus tranſpoſito Vav legit eodem ſenſu יבאו, venient. Ex illa generatione homines videlicet. *Cæli*. Additum per proſopopœjam, vel per metonymiam, ut annunciantes exprimat, ideſt cæleſtes homines, apoſtolos, & apoſtolicos quoslibet. In Græco tamen non habetur vox iſta, nec in quibuſdam Latinorum codicibus, Hebræo concordantibus. *Qui naſcetur*. Hebræus: Nato. Quaſi jam certus de vaticinio. *Quem*. Hebræo eſt cauſſativa particula: Quia. *Dominus*. Ad declarationem additum. Non naſcimur Chriſtiani, ſed efficimur. Nullius fere momenti ſunt iſtæ variationes.

PSAL-

PSALMUS XXIII. Latinis XXII.

מזמור לדוד יהוה רעי לא אחסר :	1. *Pſalmus Davidi.* *DOMINUS paſtor meus, non deficiam.*	1. Pſalmus David. DOMINUS regit me, & nihil mihi deerit, 2. in loco paſcuæ *ibi* me collocavit.
בנאות דשא ירביצני על מי מנוחות ינהלני :	2. *In amœnis herbæ accubare me faciet, ſuper aquas requietum ducet me.*	Super aquam refectionis educavit me, 3. animam meam convertit.
נפשי ישובב ינחני במעגלי צדק למען שמו :	3. *Animam meam redire faciet, deducet me in ſemitas juſtitiæ propter nomen ſuum.*	Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ, propter nomen ſuum.
גם כי אלך בגיא צלמות לא אירא רע כי אתה עמדי שבטך ומשענתך המה ינחמני:	4. *Etiam cum ambulabo in valle umbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum, virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolabuntur.*	4. Nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortîs, non timebo mala, quoniam tu mecum *es*. Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.
תערך לפני שלחן נגד צררי דשנת בשמן ראשי כוסי רויה:	5. *Parabis faciebus meis menſam, oppoſito tribulantium me, impinguaſti in oleo caput meum, calix meus redundans.*	5. Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus eos, qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians *6.* quam præclarus eſt!
אך טוב וחסד ירדפוני כל ימי חיי ושבתי בבית יהוה לארך ימים :	6. *Verumtamen bonum & pietas ſequentur me omnibus diebus vitæ meæ, & ſedere meum in domo DOMINI longitudini dierum.*	Et miſericordia *tua* ſubſequetur me, omnibus diebus vitæ meæ. Et ut inhabitem in domo DOMINI, in longitudinem dierum.

ANNOTATIONES.

Beneficia divina fideli viro conceſſa poetice ſtylo bucolico celebrantur. Sententiarum diſtinctiones hujus pſalmi varias, ex noſtris numeris appoſitis cognoſcito.

1. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. *Regit me*. Sic interpretatur fere ſemper Vulgatus verbum רעה, quod idem prope ſignificat: Paſtor meus: paſcens me. Paſtor regit oves eas paſcendo. *Es*. Non habetur in Hebræo. *Nihil mihi deerit*. Idem Hebræus: Non deficiam: non egebo, nullius rei penuriam patiar. Poſſes etiam Hebræi verba ſic transferre: Domino paſtore meo non carebo. Idem tamen fere ſenſus. Deum paſtorem facit, ſe ovem.

2. *In loco paſcuæ*. Idem Hebræus idiotiſmo proprio: In amœnis herbæ: In uberibus & valde graminoſis paſcuis. *Ibi*. Non eſt in Hebræo, quod parum refert. *Collocavit*. Idem Hebræus, quamvis futuro, prout & in ſequentibus: Accubare me faciet. Futura Hebræa poſſunt

etiam

etiam in præteritum transferri, ut in Grammaticis diximus. Beneficium recipiendum quaſi jam acceptum Vulgatus profert. *Aquam*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Super aquas. *Refectionis*. Reficientem, & ſatiantem. Hebræus fere idem: Super aquas quietum, tranquillitatum. Videlicet potui, & refectioni propter earum tranquillitatem aptas, non rapido curſu diffluentes. *Educavit*. Translatio ſenſus. Hebræus futuro: Ducet me: Educando deduxit, & in poſterum etiam deducet.

3. *Convertit*. Hebræus futuro: Convertet, reducet, redire faciet animam meam, metonymice, me ipſum, quemadmodum a paſtore ſæpius ovis errans a caulis reducitur. *Deduxit*. Hebræus futuro: Deducet. *Super*. Hebræus: In ſemitas juſtitiæ: juſtas, ut non aberrem. Pergit in ovis metaphora.

4. *Nam & ſi ambulavero*. Idem Hebræus: Etiam; quod; cum; ſi ambulabo, pergam. Particula כִּי varie ſumitur. *In medio*. Suſpicor, Noſtros facili vocis tranſitu legiſſe בגו, quod ex Chaldaica ſignificatione Medium ſignificat. Nunc Hebræus legit בְּגֵיא, in valle. Nullius tamen momenti fere varietatem hanc eſſe dicerem. *Umbræ mortis*. Sic appellant Hebræi denſiſſimam umbram & tenebras, quales eſſe in extremo vitæ diſcrimine credendum eſt. *Mala*. Hebræus ſingulariter collective: Malum, habet; quod nihil refert. *Es*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Virga, & baculus*. Quorum illa paſtor oves regit, & hoc innititur. *Conſolata ſunt*. Olim, ne dicam, ea tantum in poſterum (ut Hebræus habet, Conſolabuntur) allatura mihi eſſe conſolationem.

5. *Paraſti*. Hebræus futuro, quod poteſt etiam præterito transferri, uti ſæpius diximus: Parabis; inſtrues. *In conſpectu meo*. Hebræus dativo, ſuo modo: Faciebus meis; ante me. *Menſam*. Vel cæleſtem, vel ſacræ Euchariſtiæ. *Adverſus*. Hebræus: Oppoſito; coram. *Eos, qui tribulant me*. Sic interpretantur Noſtri radicem צרר ſatis commode, ut alias diximus. Hebræus participio: Tribulantium me. Impinguare caput in oleo, unguento, eſt idiotiſmus ſatis notus. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Inebrians*. Hebræus: Redundans, excellentiſſimo liquore, & mero. Menſam opipare inſtructam, unguenta exotica, & calices fecundos; innumeras conſolationes, & delicias ſpiritales intellige. Sententia terminatur hic in Hebræo. Græci codices legunt: καὶ τό ποτήριόν σου; ſed Vaticanus cum Hebræo, & Vulgato concordat: καὶ τὸ ποτήριόν μου.

6. *Quam præclarus eſt*. LXXII. hæc verba ſuperiori ſententiæ connectentes videntur legiſſe אֵיךְ, Quo, quam; & ob id interpretati ſunt: Calix meus inebrians quam bonus, excellens, præclarus eſt? Nunc Hebræis ſententiæ diviſæ ſunt; quod nihilominus parum, vel nihil referre credo. Legunt autem אַךְ, Verumtamen; tantum (optantis, deprecantis, & vaticinantis particula) bonum. *Miſericordia*. Sic interpretantur חֶסֶד Noſtri, ut ſæpius diximus: Et pietas. *Tua*. Ad declarationem additum. *Subſequetur*. Diviſa ſententia, neceſſario mutarunt numerum Noſtri; niſi malles eos legiſſe יִרְדְּפֵנִי, quod nunc eſt יִרְדְּפוּנִי, Sequentur; ſubſequentur me. Sed hæc minima. Bonum, & pietatem ſequi aliquem, eſt idiotiſmus elegans, pro, Nunquam a bonis, & beneficiis deſtitui. *Et ut inhabitem*. Idem Hebræus infinitivo: Et ſedere; habitare meum. Supple, ſubſequetur me, per Zeugma. Idem autem eſt וְשַׁבְתִּי cum pathah, & וְשִׁבְתִּי cum hirec; nam hæc puncta vocalia permutantur invicem, ut in Grammatica. Poteſt nihilominus hæc dictio וְשַׁבְתִּי a radice שוב derivari, & eſſe præteritum, in futurum verſum: Et redibo; convertar; tandem remeabo in cæleſte domicilium, ut illic ſemper inhabitem. *In longitudinem*. Idem Hebręus dativo: Longitudini dierum; in æternum.

PSALMUS XXIV. Latinis XXIII.

לדוד מזמור ליהוה הארץ ומלואה תבל וישבי בה :	1. *Davidi, Pſalmus. DOMINO terra, & plenitudo ejus, orbis, & habitantes in eo.*	1. Pſalmus David, *prima Sabbathi.* DOMINI *eſt* terra, & plenitudo ejus, orbis *terrarum*, & *univerſi*, qui habitant in eo.
כי הוא על ימים יסדה ועל נהרות יכוננה:	2. *Quia ipſe ſuper maria fundavit eum, & ſuper flumina parabit eum.*	2. Quia ipſe ſuper maria ſundavit eum, & ſuper flumina præparavit eum.
מי יעלה בהר יהוה ומי י יקום במקום קדשו :	3. *Quis aſcendet in montem DOMINI, & quis ſurget in loco ſanctitatis ejus?*	3. Quis aſcendet in montem DOMINI ? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?
נקי כפים וכד לבב אשר לא נשא לשוא נפשו ולא נ נשבע למרמה :	4. *Innocens volarum, & mundus cordis, qui non levavit vano animam ſuam, & non juravit dolo.*	4. Innocens manibus, & mũdo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo *proximo ſuo.*
ישא ברכה מאת יהוה ו וצדקה מאלהי ישעו :	5. *Levabit benedictionem a DOMINO, & juſtitiam a Diis ſalutis ſuæ.*	5. *Hic* accipiet benedictionem a DOMINO, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo.
זה דור דורשו מבקשי פניך יעקב סלה :	6. *Hæc ætas quærentium eum, quærentium faciem tuarum Jacob. Selah.*	6. Hæc *eſt* generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.
שאו שערים ראשיכם ו והנשאו פתחי עולם ויבוא מלך הכבוד :	7. *Attollite portæ capita veſtra, & elevamini portæ ſeculi, & veniet rex gloriæ.*	7. Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.
מי זה מלך הכבוד יהוה עזוז וגבור יהוה גבור מלחמה :	8. *Quis iſte rex gloriæ? DOMINUS fortis & potens, DOMINUS potens belli.*	8. Quis *eſt* iſte rex gloriæ ? DOMINUS fortis, & potens, DOMINUS potens *in* prælio.
שאו שערים ראשיכם ושאו פתחי עולם ויבא מלך הכבוד:	9. *Attollite portæ capita veſtra, & elevate portas ſeculi, & veniet rex gloriæ.*	9. Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.
מי הוא זה מלך הכבוד יהוה צבאות הוא מלך הכבוד סלה :	10. *Quis ipſe iſte rex gloriæ? DOMINUS exercituum ipſe rex gloriæ. Selah.*	10. Quis eſt iſte rex gloriæ ? DOMINUS virtutum ipſe *eſt* rex gloriæ.

ANNOTATIONES.

DEum totius terræ dominum eſſe, in cujus montem cæleſtem innocentes ingreſſuros eſſe, decantat.

1. *Pſalmus David*. Hebræus idem, tranſpoſitis dictionibus: Davidi (dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra) pſalmus. *Prima Sabbathi*. Non habetur in Hebræo, a Noſtris forſitan ob aliquam traditionem additum. *Domini*. Hebræus dativo: Domino. Sæpius diximus, La-

Digitized by Google

Lamed utrique caſui deſervire. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Plenitudo*. Sic vocant Hebræi, quicquid aliqua re continetur. Vide Theſaurum. *Terrarum*. Ad declarationem additum. Vox Hebræa terram habitabilem ſignificat. *Univerſi*. Additum ad majorem declarationem. *Qui habitant*. Idem Hebræus participio: Habitantes; habitatores.

2. *Quia*. In Græco non habetur. Vulgatus autem Hebræo concordat. *Præparavit*. Idem Hebræus futuro: Parabit; firmabit. Pronomen tam ad terram, quam ad orbem referri poteſt.

3. *Mons Domini*. Templum, Eccleſiam, & Cælum innuit. *Aut*. Hebræus conjunctione: Et. *Stabit*. Idem Hebræus: Surget. *In loco ſancto*. Sic Hebræus ſubſtantivo: In loco ſanctitatis ejus; in quo ſanctitas ejus viget, & ex quo ad omnes diffunditur.

4. *Manibus*. Hebræus genitivo: Volarum; palmarum. *Mundo corde*. Idem ſenſus in Hebræo: Mundus cordis. Græcus etiam nominativo profert: Καὶ καθαρὸς τῇ καρδίᾳ. *Accepit*. Verbum Hebræum multiplices habet ſenſus. Simplicior tamen eſt, ſi transferas: Levavit. *In vano*. Hebræus dativo: Vano; rei vanæ; pravæ. Accipere, vel levare animam ſuam vano, phraſis eſt Hebræa, pro Concitare animum, ſemet ad mentiendum. *In dolo*. Idem Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Dolo; fraudi, ut decipiat. *Proximo ſuo*. Ad declarationem additum.

5. *Hic*. Non eſt in Hebræo, quod parum refert, & emphaſim in latina oratione habet. *Accipiet*. Hebræus idem: Levabit. *Miſericordiam*. Hebræus: Juſtitiam. Vulgatus fortaſſe legit וְחֶסֶד, vel certe juſtitiam Dei miſericordiam vocat; quod non valde referre crederem. Græcus ἐλεημοσύνην habet. *A Deo*. Hebræus pluraliter: A Diis. *Salutari ſuo*. Maſculini generis. Sic Græcus: παρὰ Θεοῦ σωτῆρος αὐτοῦ. Idem Hebræus ſubſtantivo: Salutis ſuæ; auxilii ſui.

6. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Generatio*. Ætas. *Quærentium eum*. Græci codices impreſſi legunt: Ζητούντων τὸν κύριον. Vaticanus Hebræo, & Vulgato concordans habet: Ζητούντων αὐτοῦ. *Faciem Dei Jacob*. Senſum explicatiorem Vulgatus reddidit. Hebræus: Facierum tuarum, o Jacob. Imitatores Jacobi Deum etiam ipſum imitandum quærant, neceſſe eſt. De Selah, quod bis legitur in hoc pſalmo, ſuperius diximus.

7. *Attollite portas &c.* LXXII. per hypallagen, & proſopopœjam explicantes, ſenſum ſecuti ſunt. Hebræus portas ipſas alloquitur, & eas reſpondentes poetico more ſatis ornate facit: Levate portæ capita veſtra. Idiotiſmus. Ideſt, ampliores efficiamini: רֹאשׁ caput, principem, & hujuſmodi ſignificat. Vide Theſaurum. *Portæ æternales*. Quæ in æternum fuiſtis clauſæ; vel, æternæ, ſempiternæ. Hebræus: Aperturæ, portæ mundi. Conſule Theſaurum, ut videas, in quo [illegible], & [illegible] differant. עוֹלָם mundum, ſeculum, æternum, & id genus ſignificat. *Introibit*. Hebræus idem: Veniet.

8. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Potens in prælio*. Idem Hebræus genitivo: Potens prælii, belli.

9. *Attollite &c.* Hebræus, ut ſupra verſ. 7. *Et elevamini &c.* Fortaſſis olim legebatur, ut in ſuperiori verſiculo הִנָּשְׂאוּ, paſſivum; quod nunc eſt activum וּשְׂאוּ, Et elevate portas ſeculi. Sed hoc minimum refert. Cetera, ut ſupra verſ. 7.

10. *Eſt*. Idem Hebræus pronomine: Ipſe. Pronomina ſupplere vices verbi ſubſtantivi, diximus in Grammatica. *Virtutum*. Sic reddere conſuevit Latinus interpres vocem Hebræam צְבָאוֹת, quam melius explicaſſet (ut etiam Græcum δυνάμεις ſonat) transferens: Copiarum, exercituum, de quibus dicitur Gen. 2. 1. Igitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis צְבָאָם, ornatus, copia eorum. Conſule Theſaurum. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia.

PSALMUS XXV. Latinis XXIV.

לדוד אליך יהוה נפשי אשא׃	1. *Davidi.* *Ad te DOMINE animam meam levabo.*	1. *In finem pſalmus* David. Ad te DOMINE levavi animam meam; 2. Deus meus in te confido, non erubeſcam.
אלהי בך בטחתי אל אבושה אל יעלצו איבי לי :	2. *Dii mei in te confiſus ſum, ne erubeſcam, ne exultent inimici mei mihi.*	Neque irrideant me inimici mei, 3. etenim univerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur.
גם כל קויך לא יבשו ה הבוגדים ריקם :	3. *Etiam univerſi ſuſtinentes te non confundentur, confundentur rebelles fruſtra.*	Confundantur *omnes* iniqua agentes ſupervacue.
דרכיך יהוה הודיעני א ארחותיך למדני :	4. *Vias tuas DOMINE fac me cognoſcere, ſemitas tuas edoce me.*	4. Vias tuas DOMINE demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.
הדריכני באמתך ולמדני כי אתה אלהי ישעי אותך קויתו כל היום:	5. *Fac me incedere in veritate tua, & doce me, quia tu Dii ſalutis meæ, te ſuſtinui tota die.*	5. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu *es* Deus Salvator meus, & te ſuſtinui tota die.
זכר רחמיך יהוה וחסדיך כי מעולם המה:	6. *Reminiſcere miſerationum tuarum DOMINE, & pietatum tuarum, quia a ſeculo ipſæ.*	6. Reminiſcere miſerationum tuarum DOMINE, & miſericordiarum tuarum, quæ a ſeculo ſunt.
חטאות נעורי ופשעי אל תזכר כחסדך זכר לי אתה למען טובך יהוה:	7. *Peccata juventutum mearum, & prævaricationes meas ne memineris, ſecundum pietatem tuam memento mihi tu propter bonitatem tuam DOMINE.*	7. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundum miſericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam DOMINE.
טוב וישר יהוה על כן י יורה חטאים בדרך :	8. *Bonus, & rectus DOMINUS, ſuper ſic inſtruet peccatores in via.*	8. Dulcis et rectus DOMINUS, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.
ידרך ענוים במשפט וילמד ענוים דרכו :	9. *Incedere faciet manſuetos in judicio, & docebit mites viam ſuam.*	9. Diriget manſuetos in judicio, docebit mites vias ſuas.
כל ארחות יהוה חסד ואמת לנצרי בריתו ועדתיו:	10. *Univerſæ viæ DOMINI pietas, & veritas cuſtodientibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus.*	10. Univerſæ viæ DOMINI miſericordia, & veritas, requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus.
למען שמך יהוה וסלחת ל לעוני כי רב הוא:	11. *Propter nomen tuum DOMINE, & propitiaberis iniquitati meæ, quia multa ipſa.*	11. Propter nomen tuum DOMINE propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.

12.

מי זה האיש ירא יהוה יורנו בדרך יבחר :	12. *Quis iſte vir timens DOMINI? inſtruet eum in via, eliget.*	12. Quis eſt homo, qui timet DOMINUM? legem ſtatuit ei in via, *quam* elegit.
נפשו בטוב תלין וזרעו י יירש ארץ :	13. *Anima ejus in bono pernoctabit, & ſemen ejus hereditabit terram.*	13. Anima ejus in bonis demorabitur, & ſemen ejus hereditabit terram.
סוד יהוה ליראיו ובריתו להודיעם :	14. *Arcanum DOMINUS timentibus eum, & teſtamentum ipſius ad ſcire faciendum eos.*	14. Firmamentum *eſt* DOMINUS timentibus eum, & teſtamentum ipſius, ut manifeſtetur illis.
עיני תמיד אל יהוה כו ה הוא יוציא מרשת רגלי :	15. *Oculi mei ſempe· ad DOMINUM, quoniam ipſe educet de rete pedes meos.*	15. Oculi mei ſemper ad DOMINUM, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.
פנה אלי וחנני כי יחיד ועני אני :	16. *Reſpice ad me, & miſerere mei, quia unicus, & afflictus ego.*	16. Reſpice in me, & miſerere mei, quia unicus, & pauper *ſum* ego.
צרות לבבי הרחיבו ם ממצוקותי הוציאני :	17. *Tribulationes cordis mei dilataverunt, de anguſtiis meis educito me.*	17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me.
ראה עניי ועמלי ושא לכל חטאותי :	18. *Vide afflictionem meam, & laborem meum, & leva univerſis peccatis meis.*	18. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea.
ראה איבי כי רבו ושנאת חמס שנאוני :	19. *Vide inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio injuriæ oderunt me.*	19. Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.
שמרה נפשי והצילני אל א אבוש כי חסיתי בך :	20. *Cuſtodi animam meam, & erue me, non erubeſcam, quoniam confugi in te.*	20. Cuſtodi animam meam, & erue me, non erubeſcam, quoniam ſperavi in te.
תם וישר יצרוני כי קויתיך :	21. *Integritas, & rectitudo ſervabunt me, quia ſuſtinui te.*	21. Innocentes, & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te.
פדה אלהים את ישראל מכל צרותיו :	22. *Redime Dii Iſraelem, ex omnibus tribulationibus ſuis.*	22. Libera Deus Iſrael, ex omnibus tribulationibus ſuis.

ANNOTATIONES.

ORatio miſcellanea, qua partim erroribus veniam, ſibi ſapientiam poſtulat, partim ab inimicis liberari deprecatur; probitatis laudes interim, & ejus præmia decantans. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcito. Pſalmus eſt nobilis, *ἀκροστιχίς*, alphabeticus, artificioſe compoſitus, unoquoque verſu a ſingulis litteris alphabeti ob ſententiæ excellentiam incipiente, ſecundo verſiculo excepto, qui ab Aleph incipit, quemadmodum & primus: quamvis meo judicio verſus initium ſit בְּךָ, & dicere debuerit בְּךָ אֱלֹהַי בָּטַחְתִּי, In te Deus meus

meus confiſus ſum: ſed aliquo myſterio nobis incognito nomen divinum fuit præpoſitum; quod notes velim. Deficiunt etiam Vav (licet hoc nonnulli putent eſſe dictum in וְלַמְּדֵנִי, & doce me, verſ. 5.) & Coph, quorum loco poſitum eſt bis Reſc, & in fine pſalmi Phe reiteratur, quæ omnia non ſine myſterio facta, credendum eſt. Vide etiam Pſalmum 34.

1. *In finem Pſalmus*. Non habentur in Hebræo verba hæc. Græcus etiam habet tantum ψαλμός, pſalmus; εἰς τέλος prætermiſſo. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. *Levavi*. Jam. Ne dicam tantum in poſterum, ſicut Hebræus habet: Levabo. Sed hoc parum refert. Levare animam ad aliquem, eſt, ab eo pendere. Vide Theſaurum.

2. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Dii mei. *Confido*. Nunc, & olim, ut Hebræus habet, jamdiu: Confiſus ſum. *Non erubeſcam*. Ob hanc ſpem, quam de te concepiſſe, prædico. Hebræus deprecatorie: Ne erubeſcam, effice. Nullius fere momenti varietas. Græci addunt hic; εἰς τὸν αἰῶνα; ſed Vaticani codex cum Hebræo, & Vulgato concordat. *Neque*. Conjunctio, Et, non habetur in Hebræo. *Irrideant*. Hebræus futuro: Exſultabunt; gaudebunt. Exſultando, & ſuper me triumphando, non me irrideant. Irridere aliquem, & exſultare de aliquo, in idem fere coincidunt. *Me*. Hebræus dativo: Mihi; de me.

3. *Etenim*. Sic Hebræus: Etiam. *Qui ſuſtinent te*. Idem Hebræus participio: Exſpectantes, ſperantes, te patienter ferentes. Suſtinere, toto fere hoc opere, iſtud ſignificat. *Confundantur*. Hebræus idem futuro: Confundentur. *Omnes*. Ad declarationem additum. *Iniqua agentes ſupervacue*. Hebræus: Rebelles, deficientes fruſtra, malitioſe, ſine ullo fructu. Minimum ſenſus diſcrimen.

4. *Demonſtra mihi*. Idem Hebræus fere: Fac me cognoſcere. *Et*. Non habetur in Hebræo, quod nihil refert.

5. *Dirige me*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus: Fac me incedere in veritate tua. Idiotiſmus notus. Ne ſcilicet per falſa & erronea vager. *Es*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Deus*. Hebræus pluraliter: Dii. *Salvator meus*. Idem Hebræus ſubſtantivo: Salutis meæ; auxilii mei. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Suſtinui*. Exſpectavi; ut ſuperius verſ. 3. & alibi.

6. *Miſericordiarum*. Sic transfert Vulgatus fere ſemper חסד, ut alias diximus, quod minimum refert: Pietatum, officiorum, & beneficiorum tuorum. *Quæ*. Hebræis eſt particula cauſſativa, minimo ſenſus diſcrimine: Quia. *Sunt*. Hebræus pronomine, ritu linguæ: Ipſæ.

7. *Delicta*. Idem Hebræus: Peccata, errata. *Juventutis*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Juventutum; adoleſcentiarum; pueritiarum mearum. *Ignorantias*. Hebræus neſcio quid gravius: Prævaricationes; ſcelera. *Miſericordiam*. Ut transferunt noſtri. Hebræus: Pietatem. *Mei*. Idem Hebræus dativo: Mihi. Nullius fere momenti varietates.

8. *Dulcis*. Hebræus: Bonus; jucundus, ſuavis. *Propter hoc*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Super ſic; ob id. *Legem dabit delinquentibus*. Non aliter Hebræus: Inſtruet peccatores in via. Idiotiſmus. Docebit viam eos, qui delinquunt, & peccant. Minimæ vocum, & ſenſuum varietates.

9. *Diriget*. Hebræus: Incedere faciet, ut ſupra, verſ. 5. *Docebit*. Hebræus addit præpoſitionem Et. *Vias ſuas*. Fortaſſe legerunt Noſtri דְּרָכָיו, quod nunc immutatis tantum punctis vocalibus eſt דַּרְכּוֹ, viam ſuam; quod parum refert. Incedere facere in judicio, docere viam, ſunt idiotiſmi ſatis noti.

10. *Miſericordia*. Sic transferunt Noſtri, uti ſæpius diximus. Hebræus: Pietas. *Requirentibus*. Ut ſervent ſcilicet, quemadmodum Hebræus habet: Cuſtodientibus teſtamentum; fœdus, legem, & Euangelium. *Teſtimonia*. Vox Hebræa Teſta-

Digitized by Google

Teſtimonium, obteſtationem, conteſtationem, & hujuſmodi ſignificat. Conſule Theſaurum. Vias alicujus eſſe pietatem, & veritatem, eſt idiotiſmus elegantiſſimus, pro Officioſum, & officiorum conſervatorem eſſe. Vide Theſaurum.

11. *Propitiaberis*. Hebræus addit præpoſitionem Vav, mutandi præteriti in futurum cauſſa, ut in grammaticis rebus docetur: Et propitiaberis. Græcus etiam eam habet: *καὶ ἱλάσθητι*. *Peccato meo*. Hebræus parvo diſcrimine habet: Iniquitati meæ. *Eſt*. Idem Hebræus pronomine, ritu linguæ: Quia multa ipſa; Iniquitas.

12. *Quis eſt homo?* Hebræus quadam emphaſi pronomine profert, ritu linguæ: Quis iſte vir? *Qui timet Dominum*. Idem Hebræus participio: Timens Domini. *Legem ſtatuit*. Hebræus futuro: Inſtruet; docebit. Idem verbum, quod ſupra verſ. 8. *Quam*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Elegit*. Hebræus iterum futuro: Eliget. Varietates, quæ parum, vel nihil certe referunt. Docere viam, quam eligas, eſt idiotiſmus notus.

13. *In bonis*. Hebræus eodem ſenſu ſingulariter habet: In bono. *Demorabitur*. Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Pernoctabit. Græcus etiam *αὐλισθήσεται* ſatis ornate tranſtulit.

14. *Firmamentum*. Fortaſſe legerunt Noſtri יְסוֹד, quod nunc Hebræis eſt סוֹד, arcanum, myſterium; vel per aphereſin poeticam (quamvis non ita facile figuram hanc admitterem in hebraico idiomate, & præſertim in dictionibus ambiguis) acceperunt סוֹד loco יְסוֹד, vel certe ſenſum, non vocem tranſtulerunt, nam arcana, ſtabilia, & firma debent eſſe uti fundamentum. Hebræi nunc alium ſenſum tradunt. Secretum Domini, inquiunt, eſt timentibus eum. Ego potius cum Noſtris transferrem: Arcanum *eſt* Dominus timentibus eum: Illum in myſteriis habent; pro re ſacra venerantur. Nam prior ſenſus magis aridet. *Teſtamentum*. Sic interpretantur Noſtri בְּרִית, quod vulgo fœdus in genere exponitur. *Ut manifeſtetur illis*. Fortaſſe legerunt Noſtri paſſive, לְחוּדְעָם, mutatis tantum punctis vocalibus, Jodque ſublato, quod nunc Hebræis activum eſt לְחוֹדִיעָם, ad ſcire faciendum eos: ut eos faciat agnoſcere. Cognitione Dei ſapientiores efficimur. Græcus Hebræum imitatus habet, *καὶ ἡ διαθήκη αὐτοῦ δηλώσει αὐτοῖς*: Et teſtamentum ipſius manifeſtabit illis. At Vaticani codex Vulgato concordans habet: *τοῦ δηλῶσαι αὐτοῖς*.

15. *Evellet de laqueo*. Idem prope Hebræus: Educet de rete. Oculos eſſe ad aliquid, Educere pedes de rete, ſunt idiotiſmi noti.

16. *In me*. Hebræus: Ad me. *Unitus, & pauper*. Hebræus: Solus, & afflictus. Nullius fere momenti varietas. Vox Hebræa afflictum, humilem, pauperem, & hujuſmodi ſignificat. Vide Theſaurum. *Sum*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia.

17. *Multiplicata ſunt*. Verbum Hebræum activum eſt, quo fit, ut bifariam poſſis interpretari ſententiam; nempe uti fecerunt Noſtri, ſic: Tribulationes, anguſtiæ, preſſuræ cordis mei dilataverunt, nempe ſeipſas, vel locum ſuum, quod idem eſt: Dilatatæ, multiplicatæ ſunt. Hanc interpretationem verbum הִרְחִיבוּ, optime patitur. Vel ſic: Tribulationes cor meum dilataverunt. Alter idiotiſmus pulcherrimus eumdem ſenſum habens. Suſpicor nihilominus, ut ingenue fatear, mendum vel in Græcis, vel in hebraicis eſſe codicibus. *Πλατύνω* græcis eſt Dilato; *πληθύνομαι* vero Multiplicor. Ex hac vocum ſimilitudine, & vicinia, fortaſſe Græcus codex mendoſus eſt. Vel certe detractis nonnullis litteris olim in Hebræo legebatur רַבּוּ. Sed hoc alii viderint. *De neceſſitatibus &c.* Hebræus nullo fere, vel parvo diſcrimine ſic habet: De anguſtiis meis educ me.

18.

18. *Humilitatem meam.* Sic transferunt Noſtri ſæpius radicem hanc. Hebræus: Afflictionem, depreſſionem meam, nempe dejectionem animi propter calamitatum vexationes. *Dimitte.* Idem Hebræus: Leva; tolle. *Univerſa delicta mea.* Hebræus dativo de more linguæ: Univerſis peccatis meis.

19. *Reſpice.* Hebræus idem verbum cum ſuperiori habet verſiculo: Vide. Sed hæc levia. *Odio iniquo.* Inique & violenter contra me concepto. Hebræus idem, ad verbum: Et odio injuriæ oderunt me.

20. *Speravi.* Ut transferunt Noſtri, quemadmodum ſæpius dictum eſt ſuperius.

21. *Innocentes, & recti adhæſerunt mibi.* Arbitror, Noſtros mutatis tantum punctis vocalibus legiſſe תָּם וְיָשָׁר, innocens, & rectus; quæ nomina collective poſita pluraliter reddiderunt: ſed nunc Hebræis ſunt nomina rerum, eodem tamen fere ſenſu תֹּם יֹשֶׁר, integritas, & rectitudo. Et quod dixerunt ipſi, Adhæſerunt mihi, in ſonte quidem eſt, Servabunt me; ſed idem prorſus ſenſus: nam adhæremus ei, quem ſervatum volumus. *Suſtinui.* Exſpectavi, ut ſuperius, verſ. 3. Græcus addit hic: Suſtinui te *κύριε*.

22. *Libera.* Idem fere Hebræus: Redime. *Deus.* Hebræus pluraliter: Dii. *Iſrael.* Accuſativi caſus. Nullius momenti varietates.

PSALMUS XXVI. Latinis XXV.

לדוד שפטני יהוה כי אני בתמי הלכתי וביהוה בטחתי לא אמעד:	1. *Davidi.* *Judica me DOMINE, quoniam ego in integritate mea ingreſſus ſum, & in DOMINO confiſus ſum, non vacillabo.*	1. *In finem pſalmus* David. Judica me DOMINE, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, & in DOMINO ſperans non infirmabor.
בחנני יהוה ונסני צרופה בליותי ולבי:	2. *Proba me DOMINE, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.*	2. Proba me DOMINE, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.
כי חסדך לנגד עיני ו והתהלכתי באמתך:	3. *Quoniam pietas tua oppoſito oculorum meorum, & inambulavi in veritate tua.*	3. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos *eſt*, & complacui in veritate tua.
לא ישבתי עם מתי שוא ועם נעלמים לא אבוא:	4. *Non ſedi cum mortalibus vanitatis, & cum latentibus non veniam.*	4. Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.
שנאתי קהל מרעים ועם ר רשעים לא אשב:	5. *Odivi eccleſiam malignantium, & cum injuſtis non ſedebo.*	5. Odivi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.
ארחץ בנקיון כפי ואסובבה את מזבחך יהוה:	6. *Lavabo in munditia volas meas, & circumdabo altare tuum DOMINE.*	6. Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum DOMINE.

7.

Digitized by Google

לשמע בקול תורה ולספר כל נפלאותיך :	7. *Ad audire faciendum in vocem laudis, & ad enarrandum univerſa mirabilia tua.*	7. Ut audiam vocem laudis, & enarrem univerſa mirabilia tua.
יהוה אהבתי מעון ביתך ומקום משכן כבודך :	8. *DOMINE dilexi habitaculum domus tuæ, & locum tentorii gloriæ tuæ.*	8. DOMINE dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.
אל תאסף עם חטאים נפשי ועם אנשי דמים חיי :	9. *Ne colliges cum peccatoribus animam meam, & cum viris ſanguinum vitas meas.*	9. Ne perdas cum impiis *Deus* animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam.
אשר בידיהם זמה וימינם מלאה שחד :	10. *Quorum in manibus eorum ſcelus, & dextera eorum repleta eſt munere.*	10. In quorum manibus iniquitates *ſunt*, dextera eorum repleta eſt muneribus.
ואני בתמי אלך פדני וחנני :	11. *Et ego in integritate mea ingrediar, redime me, & miſerere mei.*	11. Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum, redime me, & miſerere mei.
רגלי עמדה במישור במקהלים אברך יהוה :	12. *Pes meus ſtetit in directo, in eccleſiis benedicam DOMINUM.*	12. Pes meus ſtetit in directo, in eccleſiis benedicam *te* DOMINE.

ANNOTATIONES.

SE probum, & innocentem defendi, & in improborum numero non recenſeri carmine haud ineleganti poſtulat.

1. *In finem pſalmus.* Non habetur in Hebræo. Huic concordat Vaticani codex græcus, licet in impreſſis legatur ψαλμὸς τῷ δαβίδ. *David.* Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. *Judice.* Judex, & diſceptator meæ innocentiæ eſto. *In innocentia.* Idem prope Hebræus: In ſimplicitate; integritate; perfectione mea. *Ingreſſus ſum.* Pro ſimplici poſitum: Inambulavi, perrexi. Pergere in perfectione, eſt idiotiſmus, pro Immaculate vivere. *Sperans.* Ut transferunt Noſtri. Hebræis eſt præteritum, quod parum refert: Confiſus ſum. Ex confidentia ſpes. *Non infirmabor.* Translatio ſenſus. Hebræus idiotiſmo proprio: Non vacillabo; non cadam; non labar.

2. *Tenta.* Experimentum fac. *Ure.* Examina. Verbum aurificum, de quo ſuperius pſalmo 17. 3. Ibi vide. Probare, tentare, & urere, ſunt fere ſynonyma. Urere cor, & renes, in hebraica dialecto eſt, ſcrutari pectoris intima; evolvere latebras; cogitationes, affectus, ſenſuſque intimos, & arcana perſpicere. Scriptura hebraica verbi hujus adhuc eſt צרופה, quaſi pahul, vel nomen ſit; verum Hebræi conſtanter ex Maſarah docti legunt צָרְפָה, in imperativo.

3. *Miſericordia.* Hebræus: Pietas. Sæpius diximus, Noſtros ſemper ſic transferre vocem hanc. *Ante.* Hebræus dativo, ſuo tropo: Oppoſito oculorum; Coram. *Eſt.* Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Complacui.* Hebræus: Inambulavi; perrexi. Noſtri phraſim hebraicam mitiorem reddentes, ſenſum, non verbum tranſtulerunt. Pietatem Dei eſſe coram oculis alicujus, eſt, vel cogitare ſemper divina beneficia, vel revera illis affici continue; quod notes. Ambulare in veritate, eſt præceptis veris exerceri, vel certe beneficiorum uſura certa, & firma frui. Hos duos idiotiſmos etiam atque etiam obſerves velim,

Digitized by Google

lim, nam ſunt pulcherrimi. Conſule Theſaurum.

4. *Cum concilio.* Non longe aliter Hebræus: Cum viris; cum mortalibus vanitatis: vanis, & mendacibus. *Cum iniqua &c.* Ad hunc fere modum etiam Hebræus habet: Cum latentibus, occultis, abſconditis, lucifugis: cædes fraudeſque ab oculis abſconditas exercentibus: tenebris, ne ſcelerata eorum facta dignoſcantur, gaudentibus. *Non introibo.* Pro ſimplici poſitum: Non ibo; non ambulabo.

5. *Eccleſiam malignantium.* Pravorum, & ſceleratorum hominum cœtus, & coitiones. *Impiis.* Sic transterunt Noſtri. Hebræus: Cum injuſtis.

6. *Inter innocentes.* Tanquam unus ex illis proprie. Noſtri fortaſſe legerunt facillimo vocis tranſitu בִּנְקִיִּם, in, inter innocentes. Nunc Hebræus eodem fere ſenſu, locutione poetica ſatis ornata legit ſubſtantivo nomine בְּנִקָּיוֹן, in innocentia, in puritate: ut fiam innocens. *Manus.* Hebræus: Volas; palmas. Sed hæc minima. Circumdare altare, ſacrificandi, & adorandi cauſſa.

7. *Ut audiam.* Noſtri punctis vocalibus tantum immutatis legerunt לִשְׁמֹעַ, ad audiendum, ut audiam; & fortaſſe veriori lectione, prout etiam exponitur ab ipſis Hebræorum antiquioribus in libro Raboth; quod nunc legunt in Hiphil לַשְׁמִעַ; ad audire faciendum; ut prædicem. Minimi tamen ponderis eſt ſenſus varietas. Audire facere in voce laudis, eſt Maximis laudibus celebrare. Græcus addit σου, tuæ. *Et enarrem.* Hebræus iterum gerundio: Et ad enarrandum.

8. *Decorem.* Hebræus: Habitaculum. At Noſtri ſenſum, non verbum tranſtulerunt. Cultum, & ornatum templi tui. *Habitationis.* Habitaculi, tentorii, ubi habitas. Sed hæc minima.

9. *Ne perdas cum impiis.* Hebræus ad verbum, ſed futuro: Ne colliges (aggreges) cum peccatoribus. Idem tamen ſenſus, nam colligere animam in hebraica dialecto eſt mortem immittere, ut habes in Theſauro noſtro. *Deus.* Ad declarationem additum. *Vitam meam.* Vox Hebræa eſt pluralis natura: Vitas. *Viri ſanguinum* ſunt homicidæ, ſanguinarii.

10. *In quorum manibus.* Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Quorum in manibus eorum. Sic græcus: ὧν ἐν χερσὶν Pronomen Eorum, latinis vacaret. *Iniquitates.* Hebræus ſingulariter: Scelus; nefas; cogitatio peſſima. *Eſt.* Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Dextera.* Hebræus addit conjunctionem Et. *Muneribus* Hebræus iterum ſingulariter collective: Munus. Scelus eſſe in manu, & dexteram repleri munere, ſunt idiotiſmi noti.

11. *In innocentia.* Integritate, perfectione, ut ſupra verſ. 1. *Ingreſſus ſum.* Hebræus futuro: Ambulabo; pergam; ingrediar. *Redime me.* Græcus addit κύριε.

12. *In directo.* Neutrius generis. Sic Hebræus: In rectitudine; in planitie; in via recta. Pedem ſtare in directo, idiotiſmus, ne vacillare poſſit, videlicet, pro a juſtitiæ vero tramite non deerrare. *Te.* Additum, quod non eſt in Hebræo, & ob id neceſſario, Domine, vocativo caſu, redditum eſt, niſi malles, noſtros legiſſe אֲבָרְכָה quæ varietates nullius momenti ſunt. Hebræus: Benedicam, laudabo Dominum.

PSAL-

PSALMUS XXVII. Latinis XXVI.

לדוד יהוה אורי וישעי ממי אירא יהוה מעוז חיי ממי א אפחד :	1. *Davidi.* *DOMINUS lux mea, & ſalus mea, a quo timebo? DOMINUS robur vitarum mearum, a quo trepidabo?*	1. *Pſalmus* David, *priuſquam liniretur.* DOMINUS illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? DOMINUS protector vitæ meæ, a quo trepidabo?
בקרב עלי מרעים לאכל את בשרי צרי ואיבי לי המה כשלו ונפלו :	2. *In appropiando ſuper me nocentes ad edendum carnem meam, tribulantes me, & inimici mei mihi, ipſi impegerunt, & ceciderunt.*	2. Dum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.
אם תחנה עלי מחנה לא י יירא לבי אם תקום עלי מלחמה בזאת אני בוטח :	3. *Si caſtrametabitur ſuper me turma, non timebit cor meum, ſi exſurget ſuper me prælium, in hoc ego confido.*	3. Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exſurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.
אחת שאלתי מאת יהוה אותה אבקש שבתי בבית יהוה כל ימי חיי לחזות בנעם יהוה ולבקר בהיכלו :	4. *Unum petii a DOMINO, illud requiram, habitare meum in domo DOMINI omnibus diebus vitarum mearum, ad videndum in jucunditate DOMINI, & ad perſcrutandum in templo ejus.*	4. Unam petii a DOMINO, hanc requiram, ut inhabitem in domo DOMINI omnibus diebus vitæ meæ. Ut videam voluntatem DOMINI, & viſitem templum ejus.
כי יצפנני בסכה ביום רעה יסתירני בסתר אהלו בצור י ירוממני :	5. *Quoniam abſcondet me in caſula ſua in die mali abſcondet me in abſcondito tabernaculi ſui, in petra exaltabit me.*	5. Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui. In petra exaltavit me,
ועתה ירום ראשי על איבי סביבותי ואזבחה באהלו זבחי תרועה אשירה ואזמרה ליהוה:	6. *Et nunc exaltabitur caput meum ſuper inimicos meos circuitibus meis, & immolabo in tabernaculo ejus hoſtias vociferationis, cantabo, & pſallam DOMINO.*	6. & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos. Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis; cantabo, & pſalmum dicam DOMINO.
שמע יהוה קולי אקרא וחנני וענני :	7. *Audi DOMINE vocem meam, clamabo, & miſerere mei, & reſponde me (mibi).*	7. Exaudi DOMINE vocem meam, *qua* clamavi *ad te*, miſerere mei, & exaudi me.

8. Ti-

לך אמר לבי בקשו פני את פניך יהוה אבקש:	8. *Tibi dixit cor meum, exquirite facies meæ, facies tuas DOMINE requiram.*	8. Tibi dixit cor meum, exquiſivit *te* facies mea, faciem tuam DOMINE requiram.
אל תסתר פניך ממני אל תט באף עבדך עזרתי היית אל תטשני ואל תעזבני אלהי ישעי:	9. *Ne abſcondes facies tuas a me, ne declines in iram ſervum tuum, auxilium meum fuiſti, ne projicies me, neque derelinques me Dii ſalutis meæ.*	9. Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a ſervo tuo. Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.
כי אבי ואמי עזבוני ויהוה יאספני:	10. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, & DOMINUS colliget me.*	10. Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, DOMINUS autem aſſumpſit me.
הורני יהוה דרכך ונחני בארח מישור למען שררי:	11. *Inſtrue me DOMINE viam tuam, & deduc me in ſemita rectitudinis propter inſpectores meos.*	11. Legem pone mihi DOMINE in via tua, & dirige me in ſemita recta propter inimicos meos.
אל תתנני בנפש צרי כי קמו בי עדי שקר ויפח חמס:	12. *Ne trades me in animam tribulantium me, quoniam inſurrexerunt in me teſtes mendacii, & inſufflator injuriæ.*	12. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.
לולא האמנתי לראות בטוב יהוה בארץ חיים:	13. *Niſi credidi ad videndum in bono DOMINI in terra viventium?*	13. Credo videre bona DOMINI, in terra viventium.
קוה אל יהוה חזק ויאמץ לבך וקוה אל יהוה:	14. *Exſpecta ad DOMINUM, robuſtus eſto, & confortetur cor tuum, & ſuſtine ad DOMINUM.*	14. Exſpecta DOMINUM, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine DOMINUM.

ANNOTATIONES.

DEum ſibi propitium, plenus ſpei, qualem decet eſſe ſupplicantem, non precibus ſolum, ſed recte factis, juſtitia, probitateque niſus, oratione valida, vehementi, & omnibus nervis contenta, miris decantat laudibus. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcito.

1. *Pſalmus David, priusquam liniretur*. In Hebræo habetur tantum Davidi, dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. Cætera redundant, quæ forſitan a Noſtris addita ſunt ex aliqua traditione. *Illuminatio*. Idem prope Hebræus: Lux, irradians animo, meliora ſuggerens conſilia. Gratiam prævenientem dicerent Scholaſtici. *Quem*. Clarius apparet interrogativa locutio in hebræo: A quo. *Protector*. Translatio ſenſus. Hebræus: Robur; fortitudo; quaſi præſidium protegens. *Vitæ meæ*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Vitarum mearum.

2. *Dum appropiant*. Hebræus gerundio: In appropiando: Dum appropinquant ſuper, contra me. *Nocentes*. Malefici; nocere parati. *Ut edant*. Hebræus gerundio: Ad edendum. *Carnes meas*. Hebræus ſingulariter: Carnem meam; ut me devorent. *Qui tribulant me*. Hebræus nomine: Tribulantes me. *Inimici mei*. Hebræus addit conjunctionem Et, particulamque, Mihi, exaggerandi cauſa, ut in commentariis habes. *Infirmati ſunt*. Debilitati, tanquam debiles

biles

biles impegerunt, offenderunt, ut Hebræus habet, cecideruntque.

3. *Conſiſtant*. Hebræus idem futuro, ſingulariter: Si caſtrametabitur; caſtrametentur, caſtra dirigant, acieſque diſponant ad dimicandum. *Adverſum me*. Idem Hebræus ſuo modo: Super me. *Caſtra*. Hebræum nomen eſt ſingulare: Turma; acies. *Exſurgat*. Hebræus futuro: Exſurget. *Adverſum me*. Hebræus: Super me, ut ſupra. *In hoc*. Vox Hebræa quidem eſt generis feminini, quod tamen frequenter uſurpatur pro neutro: In hac re; In hoc, quod dixi, Dominus illuminatio mea, & ſalus mea. In hac luce, & ſalute, vel in hoc prælio. *Sperabo*. Hebræus præſenti tempore: Confido; quod verbum ſic transferri ſemper a Vulgato ſæpius diximus, quia ſpes ex confidentia oriri ſoleat. Græcus etiam præſenti tempore profert: Ἐγὼ ἐλπίζω: Ego ſpero.

4. *Unam*. Supple, petitionem. Hebræa tamen vox feminina, ut ſuperius diximus, uſurpatur pro neutro genere, quo carent Hebræi: Unum. *Hanc requiram*. Pro ſimplici poſitum: Quæram. Sic Græcus: ταύτην ζητήσω. Vaticanus Vulgato concordans habet: Ταύτην ἐκζητήσω. *Ut inhabitem*. Hebræus infinitivo: Habitare meum. Hoc eſt, quod petii. *Vitæ meæ*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Vitarum mearum. *Ut videam*. Hebræus gerundio: Ad videndum: oculis, & mente: Ad contemplandum. *Voluntatem*. Vulgatus textus mendoſus eſt. LXXII. rectius habent τερπνότητα: voluptatem, non voluntatem. Hebræus: Jucunditatem, amœnitatem, dulcedinem, voluptatem, & hujuſmodi. Conſule Theſaurum. *Et viſitem templum ejus*. Idem Hebræus fere gerundio: Et ad quærendum; perſcrutandum in templo ejus. Et quæram, viſitando perſcruter contemplatione omnia, quæ ſunt in templo ejus. Græcus addit: templum τὸν ἅγιον, ſanctum ejus. At Vaticani codex Vulgato, & Hebræo concordat.

5. *Abſcondit*. Vulgatus uti certus de ſalute Dei præterita poſuit tempora, Abſcondit, protexit, exaltavit, quæ Hebræus futuro protulerat. Nulla tamen ſenſus eſt varietas. Abſcondet. *Tabernaculo*. Hebræus idem prope: Caſula; a protegendo ſic dicta. *Malorum*. Hebræus ſingulariter, ſed collective, quod idem eſt: Mali. Græcus addit pronomen μου ad declarationem. *Protexit*. Abſcondendo me ſcilicet, ut Hebræus habet: Abſcondet. *In abſcondito*. In ſecreto, in loco abdito. *Exaltavit*. Hebræus, ut diximus, futuro: Exaltabit; elevabit. Abſcondere in caſula, & in ſecreto tentorii, & in petram exaltare, locutionum hebraicarum figuræ ſunt omnes ſatis notæ, & in Theſauro noſtro jam declaratæ.

6. *Et nunc*. Græcus addit ἰδοὺ, ad emphaſim. *Exaltavit*. Videntur Noſtri, facillimo vocis tranſitu, legiſſe ירים, in Hiphil, quod nunc Hebræis eſt Cal, futurum, ירום, exaltabitur; elevabitur. Caput exaltari ſuper aliquos, eſt Hebraicus tropus non inelegans, ut in Theſauro. *Circuivi*. Arbitror, LXXII. facili vocis mutatione legiſſe סבבתי, circuivi: & ob id neceſſario ſequens futurum in præteritum verterunt juxta grammaticorum præcepta: Et immolavi. Nunc Hebræis nomen plurale eſt, ſuperiori ſententiæ conjunctum, quod tamen adverbialiter ſumitur, סְבִיבוֹתַי, Circuitibus meis: per gyros, circuitus meos, ideſt circumquaque. Dein ſequitur: Et immolabo. Utra lectio potior ſit, aliorum eſto judicium. Nullius tamen momenti fere variationem eſſe crederem. *Hoſtiam*. Hebræus pluraliter: Hoſtias vociferationis; ſacrificia hymnis adhibitis, & clangore tubarum. In græcorum libris impreſſis legitur: ἐκύκλωσα καὶ ἔθυσα ἐν τῇ σκηνῇ αὐτοῦ θυσίαν ἀνέσεως καὶ ἀλαλαγμοῦ. Sed Vaticani codex Hebræo, Vulgatoque concordat. *Pſalmum dicam*. Hebræus: Pſallam. Vulgo: ſuonarò. Idem LXXII. ᾄσω καὶ ψαλῶ.

7. *Exaudi*. Pro ſimplici poſitum: Audi. *Qua*. Subintellectum ex ſer-

mo-

monis conſequentia. *Clamavi*. Hebræus futuro, quod parum refert: Clamabo. *Ad te*. Additum ad declarationem. *Miſerere*. Hebræus addit conjunctionem Et. *Exaudi*. Hebræus: Reſponde; quod auditus ſignum eſt. Nullius momenti varietates.

8. *Tibi dixit cor meum*. Phraſis Hebræa: De te cogitavit. Conſule Theſaurum. Græcus addit hic: Κύριον ζητήσω; ſed Vaticani codex Hebræo, Vulgatoque concordat. *Exquiſivit*. Mutatis tantum punctis vocalibus legerunt Noſtri בִּקְשׁוּ, tempore præterito: Exquiſierunt; quod nunc Hebræis eſt imperativum בַּקְשׁוּ, quærite: quod quam parum referat, quis non videt? *Te*. Additum ad declarationem. *Facies mea*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Facies meæ. Sic quod ſequitur; Faciem tuam; Facies tuas: Exquiſivit, & Requiram, pro ſimplicibus poſita ſunt. Quærere faciem, idiotiſmus, ut in Theſauro.

9. *Ne avertas*. Idem prope Hebræus futuro: Ne abſcondes. *Faciem tuam*. Hebræus pluraliter, ut ſupra: Facies tuas. *Ne declines*, &c. Suſpicor, Noſtros mutatis punctis vocalibus legiſſe אַל תֵּט, neutrali ſignificatione, in prima declinatione verbi: Ne declinabis, declines in ira, per iram ſervum tuum: ne abſcedas ab eo. Nunc Hebræis eſt activum tranſitivum, in Hiphil tertia declinatione, אַל תַּט; Ne declinabis; ne inclines, adigas in iram ſervum tuum. Inclinare in iram aliquem, eſt Hebraicus tropus ſatis ornatus, ut habes in Theſauro. Idem tamen ſenſus cum Noſtris. Græcus addit conjunctionem, Καὶ. *Adjutor meus eſto*. Hebræus non imperativo, ſed indicativo, & ſubſtantivo profert: Auxilium meum fuiſti. *Derelinquas, deſpicias*. Hebræus futuro: Projicies, Derelinques. *Deus*. Hebræus pluraliter: Dii. *Salutaris meus*. Hebræus ſubſtantivo, ritu linguæ: Salutis meæ; auxilii mei. Nullius fere momenti varietates has omnes eſſe dicerem.

10. *Aſſumpſit*. Idem Hebræus futuro: Colliget, aſſumet me.

11. *Legem pone* &c. Non aliter Hebræus, ſed clarius: Inſtrue; doce me Domine viam tuam. Idiotiſmus notus. *Dirige*. Deducendo ſcilicet, ut Hebræus habet. *Recta*. Hebræus ſubſtantivo nomine profert: Rectitudinis. Idem ſenſus. *Propter inimicos meos*. Translatio ſenſus. Hebræus: Propter inſpectores meos; qui me ſpectant, & cunctas actiones meas jugiter obſervant.

12. *Tradas*. Idem Hebræus futuro: Trades; dabis. *Animas*. Hebræus ſingulariter: In animam; deſiderium; cupiditatem; libidinem; vehementem aviditatem. Idiotiſmus elegans. Conſule Theſaurum. *Inſurrexerunt*. Pro ſimplici poſitum. *Iniqui*. Hebræus ſubſtantivo: Mendacii; teſtes mendaces. Idem ſenſus. *Et mentita eſt iniquitas ſibi*. Senſum, non verba tranſtulerunt Noſtri. Hebræus ſuo tropo habet: Et inſufflator injuriæ; qui injuriam, iniquitatem exſufflat; mendacia ſibi contra me confingit.

13. *Credo* &c. Noſtri ſententiam affirmativa tranſlulerunt oratione, quæ nunc Hebræis eſt admirativa. Idem tamen prope ſenſus. Eſt autem in Hebræo: Niſi crediciſſem, &c. Supple, quid putas, mihi ab iſtis eventurum? nonne actum de me fuiſſet? & his ſimilia. *Credo*. Hebræus præterito: Niſi credidi. *Videre*. Idem Hebræus gerundio: Ad videndum. *Bona*. Hebræus ſingulariter, & cum præpoſitione profert: In bono. Eſt autem, videre in bono Domini, idiotiſmus elegans, ut in Theſauro diximus, pro Felicitate, beatitudine perfrui. *In terra viventium*. Vel in terra vitarum, nam חַיִּים, & vitam, & vivos ſignificat: hoc eſt, dum adhuc inter vivos converſor; vel in cæleſti regione.

14. *Dominum*. Hebræus addit præpoſitionem, Ad, de more linguæ. *Viriliter age*. Ex græco, ἀνδρίζου. Idem prope Hebræus: Eſto robuſtus. *Suſtine*. Sic Vulgatus transferre ſolet, quod græce, & hebraice eſt Exſpectare: nam utrique verbum ſuperius repetunt, & Hebræus præpoſitionem ut ſupra: Exſpecta ad Dominum. Se ipſum alloquitur.

PSAL-

PSALMUS XXVIII. Latinis XXVII.

לדוד אליך יהוה אקרא צורי אל תחרש ממני פן תחשה ם ממני ונמשלתי עם יורדי בור :	1. *Davidi.* *Ad te DOMINE clamabo, petra mea ne ſurdeſces a me, ne forte tacebis a me, & aſſimilabor cum deſcenſoribus laci.*	1. *Pſalmus ipſi* David. Ad te DOMINE clamabo, Deus meus ne ſileas a me, nequando taceas a me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum.
שמע קול תחנוני בשועי אליך בנשאי ידי אל דביר ק קדשך :	2. *Audi vocem deprecationum mearum, in vociferando me ad te, in extollendo me manus meas ad oraculum ſanctitatis tuæ.*	2. Exaudi *Domine* vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.
אל תמשכני עם רשעים ועם פעלי און דברי שלום עם ר רעיהם ורעה בלבבם :	3. *Ne trahes me, cum injuſtis, & cum operantibus iniquitatis, locutoribus pacis cum proximis ſuis, & malum in corde eorum.*	3. Ne ſimul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.
תן להם כפעלם וכרע ם מעלליהם כמעשה ידיהם תן להם השב גמולם להם :	4. *Da illis ſecundum opus eorum, & ſecundum malum actionum eorum, ſecundum opus manuum eorum da illis, redire fac retributionem eorum ipſis.*	4. Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinventionum ipſorum. Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipſis.
כי לא יבינו אל פעלת יהוה ואל מעשה ידיו יהרסם ולא יבנם :	5. *Quoniam non intelligent ad opus DOMINI, & ad opus manuum ejus, deſtruet illos, & non ædificabit eos.*	5. Quoniam non intellexerunt opera DOMINI, & in opera manuum ejus, deſtrues illos, & non ædificabis eos.
ברוך יהוה כי שמע קול תחנוני :	6. *Benedictus DOMINUS, quoniam audivit vocem deprecationum mearum.*	6. Benedictus DOMINUS, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.
יהוה עזי ומגני בו בטח ל לבי ונעזרתי ויעלז לבי ומשירי אהודנו :	7. *DOMINUS robur meum, & clypeus meus, in ipſo confiſum eſt cor meum, & adjutus ſum, & exultavit cor meum, & ex carmine meo confitebor eum.*	7. DOMINUS adjutor meus, & protector meus, & in ipſo ſperavit cor meum, & adjutus ſum. Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.
יהוה עז למו ומעוז ישועות משיחו הוא :	8. *DOMINUS fortitudo eis, & robur ſalvationum Chriſti ſui ipſe.*	8. DOMINUS fortitudo plebis ſuæ, & protector ſalvationum Chriſti ſui eſt.

9. Sal-

הושיעה את עמך וברך את נחלתך ורעם ונשאם עד ה העולם:

9. *Salvum fac populum tuum, & benedic hæreditatem tuam, & paſce eos, & extolle illos uſque ſeculi.*

9. Salvum fac populum tuum *Domine*, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos uſque in æternum.

ANNOTATIONES.

OPem Dei tam pro ſe, quam pro cuncto populo contra ſceleſtos omnes ſuppliciter petit, laudes ejus deinde lætabundus jugiter cantaturus. Varietates diſtinctionum ex te facile potes obſervare.

1. *Pſalmus ipſi David.* In Hebræo habetur tantum: Davidi; Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. *Deus meus.* Hebræus: Petra mea. Ex nominibus divinis unum: pro quo Vulgatus commune ſumpſit; quod parum referre crederem. *Ne ſileas.* Idem Hebræus prope futuro: Ne ſurdeſces; ne taceas, tanquam non audieris me clamantem; ut ſurdus, ne obmuteſcas. *Nequando.* Idem Hebræus: Ne forte. *Taceas.* Hebræus iterum futuro: Tacebis. In græcis exemplaribus deſunt hic nonnulla, quæ prætereo. Satis eſto, Vulgatum Hebræo concordare. *Deſcendentibus.* Hebræus addit præpoſitionem Cum, ritu linguæ. *In lacum.* Hebræus genitivo: Laci. Deſcendentes, vel deſcenſores laci, vel putei, ſunt mortui, ut in Theſauro.

2. *Exaudi.* Pro ſimplici poſitum: Audi. *Domine.* Additum ad majorem exaggerationem. *Deprecationis meæ.* Vox Hebræa eſt pluralis natura: Deprecationum; ſupplicationum mearum. *Dum oro.* Idem Hebræus fere, ſed gerundio: In vociferando me ad te; dum orando, & te vocando vociferor. *Dum extollo.* Hebræus iterum gerundio: In extollendo me. *Ad templum.* Per ſynecdochen. Hebræus: Ad oraculum, ad locutorium. Pars templi, unde reſponſa dabantur. *Sanctum tuum.* Sic Hebræus ſubſtantivo, ritu linguæ: Sanctitatis tuæ; unde divina reſponſa reddis. Nullius momenti varietates.

3. *Simul.* Additum ad declarationem. *Tradas.* Legendum Trahas ex Hebræo, qui futuro profert: Trahes. Idem etiam græcus: *μὴ συνελκύσῃς*: ne ſimul trahas. Trahere cum aliquo, idiotiſmo pulcherrimo, eſt congregare, in numerum illius habere. *Cum peccatoribus.* Vulgatum ſic transferre ſæpius diximus. Hebræus: Cum injuſtis. Vaticanum exemplar habet hic: *μὴ συνελκύσῃς μετὰ ἁμαρτωλῶν τὴν ψυχήν μου.* *Iniquitatem.* Hebræus idem genitivo: Iniquitatis. *Ne perdas me.* Repetitio ſenſus prioris ſententiæ, Ne trahas me, ad majorem declarationem addita. *Qui loquuntur pacem.* Idem Hebræus participio: Locutoribus pacis. *Cum proximo ſuo.* Hebræus pluraliter: Proximis ſuis: ſicut e contrario ſingulariter habet, Et malum in corde eorum, quod Vulgatus pluraliter profert, Et mala in cordibus eorum. Sed hæc levia.

4. *Da illis.* Græcus addit hic *κύριε*, quod nec in Hebræo, nec in Vulgato legitur. *Secundum opera.* Hebræus binis in locis ſingulare ponit: Opus. *Secundum nequitiam adinventionum.* Idem Hebræus fere: Secundum malum actionum; pravitatem ſtudiorum. *Redde.* Sic Hebræus ſuo idiotiſmo: Redire fac. Dare ſecundum opus, & cetera, ſunt tres idiotiſmi ſatis noti.

5. *Intellexerunt.* Sic Hebræus futuro: Intelligent. *Opera.* Hebræus Ad, præpoſitionem de more linguæ eleganter addens exprimit ſingulariter: Ad opus. Græcus etiam habet *εἰς*. *In opera.* Hebræus ſingulariter: Ad opus, non intellexerunt, per Zeugma. *Deſtrues, ædificabis.* Noſtri verterunt ſermonem

ad

Digitized by Google

ad Deum; quamvis clarius Hebræis, eodem tamen ſenſu, nunc ſic tertia perſona: Deſtruet: ædificabit. Quæ omnia nullius momenti fere ſunt varietates.

6. *Exaudivit*. Pro ſimplici poſitum: Audivit. *Deprecationis meæ*. Vox hebræa eſt pluralis natura: Supplicationum, deprecationum mearum.

7. *Adiutor*, *protector*. Senſum, non verba reddiderunt noſtri. Hebræus: Robur meum, & clypeus meus. Hoc protegimur, illo adjuvamur. *Et in ipſo*. Conjunctio non habetur in Hebræo, nec Græco. *Speravit*. Idem Hebræus fere: Confiſum eſt. Ex confidentia ſpes. *Et refloruit caro mea*. Senſum, non verba reddiderunt Noſtri. Hebræus: Et exultavit cor meum. Illis autem cor exponitur pro animo, mente, intelligentia, & hujuſmodi, ut in Theſauro. Ex animi lætitia caro refloreſcit, colorem, vigoremque recipit. Quid autem aliud gaudere eſt, quam reflorere? reſurgere? *Et ex voluntate mea*. Arbitror, Noſtros aliter legiſſe, quam nunc Hebræus habet, nec quid legerint, conjectare valeo. Hebræus: Et de cantico meo confitebor ei (ſic interpretantur ſemper verbum הוֹדָה), celebrabo illum. Minimi tamen momenti variationem eſſe crederem.

8. *Plebis ſuæ*. Suſpicor, Noſtros legiſſe לְעַמּוֹ, populo ſuo, quæ fortaſſe lectio verior eſt, quamvis huc etiam Hebræus tendat, qui ſubtracto Ain habet, לָמוֹ, eis. Fidelibus ſuis videlicet. *Protector*. Hebræus: Robur, quo adjuvamur, protegimur. Nullius momenti variatio. *Eſt*. Idem Hebræus pronomine, ritu linguæ: Ipſe. Robur ſalvationum, auxiliorum, idiotiſmus elegans, non incognitus.

9. *Domine*. Additum ad declarationem. *Hereditati tuæ*. Hebræus accuſativo: Hereditatem tuam. *Rege*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus idem ſuo tropo: Paſce. *Uſque in æternum*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Uſque ſeculi; ſemper.

PSALMUS XXIX. Latinis XXVIII.

מזמור לדוד הבו ליהוה בני אלים הבו ליהוה כבוד ועז:	1. *Pſalmus Davidi.* *Afferte DOMINO filii Deorum, afferte DOMINO gloriam & robur.*	1. Pſalmus David, *in conſummatione tabernaculi.* Afferte DOMINO filii Dei, *afferte Domino filios arietum.* Afferte DOMINO gloriam & honorem,
הבו ליהוה כבוד שמו השתחוו ליהוה בהדרת קדש:	2. *Afferte DOMINO gloriam nominis ejus, adorate DOMINO in decore ſanctitatis.*	2. afferte DOMINO gloriam nomini ejus, adorate DOMINUM in atrio ſancto *ejus.*
קול יהוה על המים אל הכבוד הרעים יהוה על מים רבים:	3. *Vox DOMINI ſuper aquas, Deus gloriæ intonuit, DOMINUS ſuper aquas multas.*	3. Vox DOMINI ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit, DOMINUS ſuper aquas multas.
קול יהוה בכח קול יהוה בהדר:	4. *Vox DOMINI in robore, vox DOMINI in decore.*	4. Vox DOMINI in virtute, vox DOMINI in magnificentia.

Digitized by Google

קול יהוה שבר ארזים וישבר יהוה את ארזי הלבנון:	5. *Vox DOMINI confringens cedros, & confregit DOMINUS cedros Libani.*	5. Vox DOMINI confringentis cedros, & confringet DOMINUS cedros Libani.
וירקידם כמו עגל לבנון ו ושריון כמו בן ראמים:	6. *Et exilire fecit eas tanquam vitulum, Libanum & Sirion quemadmodum filium unicornium.*	6. Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium.
קול יהוה חצב להבות אש:	7. *Vox DOMINI intercidens flammas ignis.*	7. Vox DOMINI intercidentis flammam ignis,
קול יהוה יחיל מדבר יחיל יהוה מדבר קדש:	8. *Vox DOMINI dolere faciet deſertum, dolere faciet DOMINUS deſertum Cades.*	8. vox DOMINI concutientis deſertum, & commovebit DOMINUS deſertum Cades.
קול יהוה יחולל אילות ו ויחשף יערות ובהיכלו כלו אמר כבוד:	9. *Vox DOMINI parturire faciet cervas, & denudavit ſilvas, & in templo ejus omnis ipſe dicens gloriam.*	9. Vox DOMINI præparantis cervos, & revelabit condensa, & in templo ejus omnes dicent gloriam.
יהוה למבול ישב וישב יהוה מלך לעולם:	10. *DOMINUS diluvio ſedit, & ſedit DOMINUS rex æternus.*	10. DOMINUS diluvium inhabitare facit, & ſedebit DOMINUS rex in æternum.
יהוה עז לעמו יתן יהוה ו יברך את עמו בשלום:	11. *DOMINUS robur populo ſuo dabit, DOMINUS benedicet populum ſuum in pace.*	11. DOMINUS virtutem populo ſuo dabit, DOMINUS benedicet populo ſuo in pace.

ANNOTATIONES.

Pios omnes ad celebrandum Deum ſuper miraculis naturæ his, quæ dicuntur meteora, & præſertim ſuper tonitru, ſatis eleganter invitat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. *In conſummatione tabernaculi*. Non habetur in Hebræo, quod fortaſſe fuit appoſitum a Noſtris ex ſucceſſione, ac traditione majorum. *Aſſerte*. Hebræum verbum הָבוּ propriè, Date, ſignificat, quod idem fere eſt. *Filii Dei*. Hebræus pluraliter: Filii Deorum. Vox hebræa fortitudinem primum, & dein Deum per translationem ſignificat. Hinc filii fortitudinum, vel Deorum ſunt Divi omnes, vel Angeli, vel Sancti, vel tandem potentiores quilibet, ut in Theſauro. *Aſſerte Domino filios arietum*. Duplicem vocis אֵלִים interpretationem repræſentarunt Noſtri, quamvis in hac ſecunda ſignificatione ſcribendum erat אֵילִים cum Jod, quod tamen aliquando ſupprimitur. Vide Theſaurum. Prioris hemiſtichii interpretatio ſecurior; at ſecundi obelo transfigenda, vel ad declarationem in margine tantum retinenda. Qui enim alter locus in totis Bibliis eſt, qui duplicem patiatur interpretationem, quamvis ſæpiſſime & triplicem, ne plus dicam, habere poſſet? Pſalmus igitur incipiendus eſt, ut nos reddidimus; vel, ſi magis altera interpretatio placet, ſic: Aſſerte Domino filios arietum, aſſerte Domino gloriam & robur. *Et honorem*. Hebræus: Et robur. Fortitudinem ei tribui-

buite. Dicite, quam glorioſus, quam fortis ſit, in his præcipue, de quibus mox dicturus ſum, quæ omnia in honorem illius redundant maximum. Nullius fere momenti varietas.

2. *Nomini ejus*. Forſitan legerunt Noſtri כָבוֹד לִשְׁמוֹ, quod nunc Hebræus habet in regimine כְּבוֹד שְׁמוֹ, gloriam nominis ejus. Nomen, quo glorioſus omnibus mundi locis agnoſcitur, efferte: majeſtatis ejus famam evehite. *Dominum*. Hebræus dativo, ritu linguæ: Domino. *In atrio ſancto*. Senſum, non verba transtulerunt Noſtri. Neque enim ſuſpicari licet, eos legiſſe בַּחֲצַר קָדְשׁוֹ, quod nunc Hebræis eſt בְּהַדְרַת קֹדֶשׁ, In decore ſanctitatis: Sancto. Hunc decorem, atrium templi, ubi Deus adoratur, laudatur, & prædicatur, exponunt illi, quod nequaquam abſurdum eſt. Verba vero hebræa varias patiuntur interpretationes, nam ad Deum, & ad adorantes ipſos referri poſſunt, ut in commentariis. *Ejus*. Additum ad majorem ſenſus intelligentiam.

3. *Vox Domini*. Tonitru innuit, quod aquis multis incumbit, & ſuper eas tonat.

4. *In virtute*. Hebræus: In vi; potentia. Idem græcus ἐν ἰσχύι, in, cum fortitudine. Hanc Vulgatus virtutem nominat. *In magnificentia*. Idem prope Hebræus: In decore. Vox glorioſa, regia, præpotens, vaſta, non exigua. Tonitru præpotentis, & magnifice incedentis, maria, terraſque tremefacientis, & imbrium infinitam copiam profundentis, elegans deſcriptio poetica.

5. *Confringentis*. Vox hebræa quidem relationem habere poteſt, vel ad Dominum, vel ad vocem; ſed hoc ultimum ſimpliciorem loquendi modum habet. *Et confringet*. Noſtri legerunt וישבר per futurum, quod nunc Hebræis verſum eſt in præteritum, juxta regulas grammaticales: וַיְשַׁבֵּר, & confregit. Verum hæc minima.

6. *Et comminuet eas*. Suſpicor, Noſtros non admodum difficili vocis tranſitu legiſſe וַיַּדְקֵם, Et attenuabit, comminuet eas; vel certe ſenſus, non verborum translationem feciſſe, legentes inſuper וַיַּרְקִידֵם per futurum, quod nunc eſt verſum in præteritum וַיַּרְקִידֵם. Et ſubſilire, exilire fecit eas inſtar vituli. Pulcra comparatio poetica. Frangendo diſperſit, comminuit. Hoc enim eſt, exilire facere cedros. *Libani*. Non abſurda penitus translatio, quamvis Hebræi nunc accuſativo caſu legant: Libanum, & Sirionem. Supple, exilire fecit, per zeugma. Hebræa verba ſæpius diverſimode poſſunt intelligi. *Et dilectus*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, nec quid legerint, conjectare valeo; vel certe שִׁרְיוֹן tunc temporis ſic exponebatur, quaſi Domini epithetum. At Hebræis hodiernis loricam aliquando ſignificat, & aliquando, ut hoc in loco, nomen montis eſt, de quo Deuter. 3. 10. Sidonii appellant Hermonem Sirion, &c. Lege Theſaurum meum.

7. *Intercidentis*. Hebræus: Intercidens. Vide ſuperius verſ. 5. in voce, Confringentis; nam idem amborum eſt judicium. *Flammam*. Hebræus pluraliter: Flammas. Fulgura, & coruſcationes intellige.

8. *Concutientis*. Hebræis verbum eſt futurum: Dolore afficiet; dolere faciet, concutiendo ſcilicet. Eadem metaphora dat poetice dolorem deſerto, quemadmodum ſuperius exilitionem Libano, & Sirioni. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Commovebit*. Dolore afficiendo. Idem verbum, ut ſuperius, eſt in Hebræo: Dolere faciet. Minimi, & fere nullius ponderis varietates.

9. *Præparantis cervos*. Ad partum ſcilicet. Hebræus clarius, & futuro: Parere faciet cervas. Præ metu videlicet, ſuo tonitru. *Revelabit condenſa*. Græcus juxta hebraicum, δρυμοὺς, ſilvas, ſaltus. Hebræus idem prope, ſed præterito: Nudavit nemora; lucos; condenſas ſilvas; dejectis, proſtratiſque arboribus. *Omnes dicent*. Hebræus ſingulariter, ſed collective, pronomen etiam addens em-

Digitized by Google

phatice: Omnis ipſe; quilibet dicet; quod idem eſt. Omnes eum glorificabunt: eſferent laudibus gloriam Dei, qui pœnas de ſceleratis ſumſerit: vel dicendo quod ſequitur; ut verſibus ſequentibus ſit Mimeſis.

10. *Diluvium*. Hebræus dativo: Diluvio; diluvii tempore. *Inhabitare facit, & ſedebit*. Hebræus effert præterito, & intranſitive: Inhabitavit diluvii tempore, & ſedit. Idem verbum in Hebræo. *In æternum*. Hebræus dativo: Seculo. Dominus immiſit diluvium omnia devaſtans, & nihilominus ſemper in æternum idem ipſe manſit, quaſi dominus aquarum; tempeſtatum, nimborumque regnator perpetuus. Minima ſenſus variatio.

11. *Virtutem*. Græcus ad Hebraicum prope accedens, habet ἰσγὺν, fortitudinem, robur, vim, quam Vulgatum interpretari virtutem, etiam ſuperius verſu 4. vidimus. *Populo ſuo*. Hebræus accuſativo: Populum ſuum. Benedicere in pace, idiotiſmus eſt, pro, Pacem benedictione perpetua conſtituere.

PSALMUS XXX. Latinis XXIX.

מזמור שיר חנכת הבית ל לרור :	1. *Pſalmus, canticum dedicationis domus; Davidi.*	1. Pſalmus cantici in dedicatione domus, David.
ארוממך יהוה כי דליתני ולא שמחת איבי לי :	2. *Exaltabo te DOMINE, quoniam hauſiſti me, nec lætificaſti inimicos meos mihi.*	2. Exaltabo te DOMINE, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.
יהוה אלהי שועתי אליך ו ותרפאני :	3. *DOMINE Dii mei clamavi ad te, & ſanaſti me.*	3. DOMINE Deus meus clamavi ad te, & ſanaſti me.
יהוה העלית מן שאול נפשי חייתני מירדי בור :	4. *DOMINE aſcendere feciſti ab inferno animam meam, vivificaſti me a deſcendere meo laci.*	4. DOMINE eduxiſti ab inferno animam meam, ſalvaſti me a deſcendentibus in lacum.
זמרו ליהוה חסידיו והודו לזכר קדשו :	5. *Pſallite DOMINO pii ejus, & confitemini memoriæ ſanctitatis ejus.*	5. Pſallite DOMINO ſancti ejus, & confitemini memoriæ ſanctitatis ejus.
כי תגע באפו חיים ברצונו בערב ילין בכי ולבקר רנה :	6. *Quoniam momentum in ira ejus vita, in voluntate ejus in veſpero pernoctabit fletus, & mane ovatio.*	6. Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.
ואני אמרתי בשלוי בל א אמום לעולם :	7. *Ego autem dixi in quiete mea, non movebor ſeculo.*	7. Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.
יהוה ברצונך העמדתה ל להררי עו הסתרת פניך הייתי נבהל :	8. *DOMINE in voluntate tua ſtare feciſti monti meo robur, abſcondiſti facies tuas, ſui conturbatus.*	8. DOMINE in voluntate tua, præſtitiſti decori meo virtutem. Avertiſti faciem tuam *a me*, & factus ſum conturbatus.

9. Ad

אליך יהוה אקרא ואל יהוה אתחנן:	9. *Ad te DOMINE clamabo, & ad DOMINUM ſupplicabo.*	9. Ad te DOMINE clamabo,& ad Deum *meum* deprecabor.
מה בצע בדמי ברדתי אל שחת היודך עפר היגיד אמתך:	10. *Quid utilitatis in ſanguine meo in deſcendere meo ad corruptionem? ſi confitebitur te pulvis? ſi annunciabit veritatem tuam?*	10. Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis? aut annunciabit veritatem tuam?
שמע יהוה וחנני יהוה היה עזר לי:	11. *Audi DOMINE, & miſerere mei, DOMINE eſto adjuvans mihi.*	11. Audivit DOMINUS, & miſertus eſt mei, DOMINUS factus eſt adjutor meus.
הפכת מספדי למחול לי פתחת שקי ותאזרני שמחה:	12. *Convertiſti planctum meum tibia mihi, aperuiſti ſaccum meum, & cinxiſti me lætitia.*	12. Convertiſti planctum meum in gaudium mihi, concidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.
למען יזמרך כבוד ולא ידם יהוה אלהי לעולם אודך:	13. *Ut pſallet te gloria, & non ſilebit, DOMINE Dii mei ſeculo confitebor te.*	13. Ut cantet tibi gloria *mea*, & non compungar, DOMINE Deus meus in æternum confitebor tibi.

ANNOTATIONES.

DEum eleganti carmine precatur, ut ſanitati ſe reſtituat, gratias deinde non minimas pro liberatione ſemper acturus. Diſtinctionum varietates ex te facile cognoſces.

1. *Cantici*. Poteſt quidem ſic exponi, ſed Hebræi nunc diviſim legunt, ut pſalmus ſit, & canticum, quod parum refert. *In dedicatione*. Idem Hebræus genitivo: Dedicationis domus; templi. Ægroto jamjam moribundo, at reviviſcenti favente Deo, templi prima viſitatio, quaſi nova dedicatio eſt. *David*. Hebræus: Davidi. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. Conſtrue ſic. Pſalmus canticum Davidis, &c. Vaticani codex addit hic: εἰς τὸ τέλος, quem ſequuntur Theodoretus, & Auguſtinus.

2. *Suſcepiſti*. Senſus, non verbi translatio. Hebræus poetice: Hauſiſti; ut hauriri ſolet aqua ex puteis, quaſi delapſus eſſem in voraginem ægritudinum; peccatorum: at tu extraxiſti, elevaſti, ſuſcepiſti me inde. *Delectaſti*. Lætificando eos ſuper calamitate mea, ut Hebræus habet; nam hic iterum ſenſus, non verbum transfertur. Græcus etiam habet εὔφρανας lætari feciſti, gaudio affeciſti. *Super me*. Idem Hebræus dativo, ſuo tropo: Mihi; de me.

3. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Dii mei.

4. *Eduxiſti*. Idem prope Hebræus: Elevaſti, aſcendere feciſti ab inferno, vel a ſepulcro; nam vox hebræa utrumque ſignificat. Hyperbole. *Animam*. Proprie. Vel me ipſum metonymice. *Salvaſti*. Idem fere Hebræus: Vivificaſti; vivere feciſti; vitam dediſti; ſalvaſti. *A deſcendentibus*. Vulgatus legit מִיּוֹרְדֵי punctis tantum vocalibus nonnullis immutatis: A deſcendentibus lacus; ne eſſem inter deſcendentes in ſepulcrum. Et quidem ſcriptura etiam hodierna ſic legendum eſſe potius docet, quamvis Hebræi conſtanter ex Maſſara legant מִיָּרְדִי, a deſcendere meo; a deſcenſione mea; ne de-

ſcen-

ſcenderem. Idem tamen ſenſus. *In lacum*. Sic Hebræus genitivo: Putei; laci. Deſcenſores lacus ſunt mortui, & deſcendere in lacum eſt mori.

5. *Sancti*. Hebræus: Pii. Sic interpretari חָסִיד Vulgatum, ſæpius diximus. Lege Theſaurum.

6. *Quoniam ira*. Suſpicor, Noſtros lapſu facillimo literarum legiſſe רֹגֶז, ira, furor, quod nunc Hebræis eſt רֶגַע, momentum. Breve ad tempus, inquit, eſt ira ejus. Vel cito, velociter, etiam cum iraſcitur, vitam, ſalutem affert. Verba hebræa punctis & commis deſtituta poſſunt hinc inde trahi. *In indignatione*. Sic Hebræus: In naſo, ira. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Vita*. Vox hebræa eſt pluralis natura: Vitæ. *Ad veſperum*. Idem Hebræus: In veſpero; veſpertino tempore. *Demorabitur*. Sic Hebræus poetice, tropo ſatis ornato: Pernoctabit. *Ad matutinum*. Idem Hebræus dativo: Mane; matutino tempore. *Lætitia*. Non aliter Hebræus: Ovatio. Notes hic duo Dei tempora. Tempus אַף, Naſi, iræ, indignationis; & tempus רָצוֹן, complacentiæ, bonæ voluntatis. Indignationis tempore Deus celeriter ſalutem affert, ut poſſimus tentationes cum proventu ſuſtinere, quemadmodum inquit Apoſtolus. Sic etiam tempore complacentiæ nonnunquam adverſa fidelibus immittit, ſed ſtatim opem fert, quod exprimitur illis vocibus, Ad veſperum, & Ad matutinum; ut ſi veſpere fletus contingat, adſit mane lætitia. Genebrardus neſcio quid hic philoſophatur. Ira, inquit, furor brevis eſt, indignatio multo gravior, ut hinc merito non tam indignari, quam iraſci dicendus ſit Deus, &c.

7. *In abundantia* LXXII εὐθηνία, felicitate, copia, abundantia. Idem prope Hebræus: In quiete mea; felicitate; ſalute: tempore, quo nihil experiebar adverſi, ſed omnia proſpere contingebant. *Non movebor*. Ab hac rerum affluentia. *In æternum*. Sic Hebræus dativo: Seculo.

8. *Præſtitiſti*. Non longe aliter Hebræus: Collocaſti; ſtare fecisti. *Decori meo*. Noſtri facillimo tranſitu Reſc in Daleth legerunt הֲדָרִי, decori, majeſtati meæ, quod nunc Hebræis eſt הַרְרִי, monti meo: quamvis mihi potius verbum ſit in infinitivo, ideſt, montis aſcendere meo, ut ita dicam; hoc eſt, montes inſcendendo jugiter validior ſio. Utra lectio verior ſit, alii videant. *Virtutem*. Græcus δύναμιν: quam Virtutem Vulgatus ſæpius transfert. Hebræus: Robur, fortitudinem. *Avertiſti*. Idem Hebræus fere: Abſcondiſti. Græcus addit hic conjunctionem δὲ, quam nihilominus Vaticani codex non habet, Hebræo ſcilicet concordans. *Faciem tuam*. Vox Hebræa eſt pluralis natura: Facies tuas. *A me, &c.* Non habentur in Hebræo. Sunt autem ad majorem declarationem addita.

9. *Deum*. Hebræus idem nomen tetragrammaton repetit: Dominum. *Meum*. Additum ad declarationem. *Deprecabor*. Idem Hebræus: Supplicabo.

10. *Quæ utilitas*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Quid conciſionis? utilitatis, lucri? Vide Theſaurum. *Dum deſcendo*. Hebræus infinitivo: In deſcendere meo. *In corruptionem*. Hebræus: Ad corruptionem; ad foveam. Vox hebræa utrumque ſignificat, ut ſuperius pſal. 16. 10. *Numquid*. Sic Hebræus ſuo modo: Si. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te. *Aut*. Hebræus interrogativum He repetit: Si confitebitur; ſi annunciabit, pulvis, homo mortuus? Quod quam parum referat, quis non videt?

11. *Audivit Dominus, &c.* Noſtri punctis tantum vocalibus immutatis, enunciative reddiderunt: שָׁמַע, וְחָנָּנִי, הָיָה, ut ſit prophetia, quod nunc Hebræi deprecanter legunt: שְׁמַע וְחָנֵּנִי, הֱיֵה, audi; & miſerere; eſto. Sed hæc nullius fere momenti ſunt. *Adjutor meus*. Idem Hebræus: Adjuvans mihi.

12. *In gaudium*. Senſus, non verbi translatio venuſta. Hebræus dativo: Tibiæ. In tibiam, in chorum, in canticum, in lætitiam. *Conſcidiſti*. Idem Hebræus fere: Aperuiſti, ſolviſti. Sic etiam Græcus: διέῤῥηξας, ſcidiſti, diſcerpſiſti ſaccum,

Digitized by Google

cum, cilicium, quo veluti lugens, & pœnitens me indueram. *Circumdediſti*. Idem prope Hebræus: Cinxiſti. Minima ſenſus immutatio. Aperire ſaccum, cingere lætitia, ſunt idiotiſmi elegantes, ſed noti.

13. *Cantet*. Hebræus futuro: Pſallet; voce, & organo. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te. *Gloria*. Status glorioſus, vel anima, quæ hominis gloria eſt. Poſſes etiam ſic interpretari: Ut pſallat tibi gloriam, hujuſmodi vir ſcilicet. *Mea*. Ad declarationem additum. *Non compungar*. Sic interpretantur Noſtri verbum hoc, ut ſuperius etiam vidimus pſal. 4. 5. Mutarunt autem perſonam, quod quam parum referat, quis non videt? Non doleam, non me tuæ laudis pœniteat, non deſiſtam a tua laude. Hebræus futuro: Non ſilebit. Non taceat, gloria ſcilicet; vel hujuſmodi vir non ceſſet a tuis laudibus, quod equidem ſemper facturus ſum. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Dii mei. *In æternum*. Hebræus dativo: Seculo; ſemper. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te ſemper celebrabo.

GRA-

GRADUS QUARTUS.

PSALMUS XXXI. Latinis XXX.

למנצח מזמור לדוד :	1. *Præfecto*, *Pſalmus Davidi*.	1. In finem, pſalmus David, *pro extaſi*.
בך יהוה חסיתי אל אבושה לעולם בצדקתך פלטני :	2. *In te DOMINE confugi, non confundar ſeculo, in juſtitia tua libera me*.	2. In te DOMINE ſperavi, non confundar in æternum, in juſtitia tua libera me.
הטה אלי אזנך מהרה הצילני היה לי לצור מעוז לבית מצודות להושיעני :	3. *Inclina ad me aurem tuam celeriter erue me, eſto mihi petræ roboris, domui munitionum ad ſalvandum me*.	3. Inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me. Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut ſalvum me facias.
כי סלעי ומצודתי אתה ו ולמען שמך תנחני ותנהלני :	4. *Quoniam rupes mea, & arx mea tu, & propter nomen tuum duces me, & deduces me*.	4. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum *es* tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.
תוציאני מרשת זו טמנו לי כי אתה מעוזי :	5. *Educes me de rete hoc, quod abſconderunt mihi, quoniam tu robur meum*.	5. Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi, quoniam tu *es* protector meus.
בידך אפקיד רוחי פדיתה א אותי יהוה אל אמת :	6. *In manum tuam commendabo ſpiritum meum, redemiſti me DOMINE Dii veritatis*.	6. In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me DOMINE Deus veritatis.
שנאתי השמרים הבלי שוא ואני אל יהוה בטחתי :	7. *Odi obſervantes vanitates vani, ego autem ad DOMINUM confiſus ſum*.	7. Odiſti obſervantes vanitates, ſupervacue. Ego autem in DOMINO ſperavi;
אגילה ואשמחה בחסדך א אשר ראית את עניי ידעת ב בצרות נפשי :	8. *Exultabo, & lætabor in pietate tua, quoniam vidiſti afflictionem meam, cognoviſti in tribulationes animæ meæ*.	8. exultabo, & lętabor in miſericordia tua, Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſalvaſti de neceſſitatibus animam meam.
ולא הסגרתני ביד אויב ה העמדת במרחב רגלי :	9. *Nec concluſiſti me in manu inimici, ſtatuiſti in laxo pedes meos*.	9. Nec concluſiſti me in manibus inimici, ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.
חנני יהוה כי צר לי עששה בכעס עיני נפשי ובטני.	10. *Miſerere mei DOMINE, quoniam tribulatio mihi, corroſus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*.	10. Miſerere mei DOMINE, quoniam tribulor, conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus,

11. Quo-

כי כלו ביגון חיי ושנותי
באנחה כשל בעוני כחי ועצמי
עששו :

מכל צררי הייתי חרפה ו
ולשכני מאד ופחד למידעי ראי
בחוץ נדדו ממני :

נשכחתי כמת מלב הייתי
ככלי אבד :

כי שמעתי דבת רבים מגור
מסביב בהוסדם יחד עלי לקחת
נפשי זממו :

ואני עליך בטחתי יהוה א
אמרתי אלהי אתה :

בידך עתותי הצילני מיד א
אויבי ומרדפי :

האירה פניך על עבדך ה
הושיעני בחסדך :

יהוה אל אבושה כי קראתיך
יבשו רשעים ידמו לשאול :

תאלמנה שפתי שקר ה
הדברות על צדיק עתק בגאוה
ובוז :

מה רב טובך אשר צפנת ל
ליראיך פעלת לחסים בך נגד
בני אדם :

11\. *Quoniam defecerunt in mærore vitæ meæ, & anni mei in gemitu, impegit in iniquitate mea vis mea, & oſſa mea corroſa ſunt.*

12\. *Ab omnibus tribulantibus me fui opprobrium, & vicinis meis valde: & timor notis meis, videntes me in vico elongarunt ſe a me.*

13\. *Oblivioni datus ſum tanquam mortuus a corde, fui tanquam vas perditum.*

14\. *Quoniam audivi ſermonem multorum, pavor a circuitu, in conſultando eos ſimul ſuper me ad accipiendum animam meam cogitaverunt.*

15\. *Ego autem ſuper te confiſus ſum DOMINE, dixi, Dii mei tu.*

16\. *In manu tua tempora mea, eripe me de manu inimicorum meorum, & a perſequentibus me.*

17\. *Splendere fac facies tuas ſuper ſervum tuum, ſalvū me fac in pietate tua.*

18\. *DOMINE non confundar, quoniam invocavi te, erubeſcent injuſti, tacebunt inferno.*

19\. *Muta fient labia mendacii, loquentia ſuper juſtum dura in ſuperbia & contemptu.*

20\. *Quam multum bonum tuum, quod abſcondiſti timentibus te, operatus es confugientibus in te oppoſito filiorum hominis.*

11\. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.

12\. Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt a me,
13\. oblivioni datus ſum tanquam mortuus a corde.

Factus ſum tanquam vas perditum.

14\. Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent ſimul adverſum me, accipere animam meam conſiliati ſunt.

15\. Ego autem in te ſperavi DOMINE, dixi, Deus meus *es* tu.
16\. In manibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & a perſequentibus me.

17\. Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in miſericordia tua.

18\. DOMINE non confundar, quoniam invocavi te. Erubeſcant impii, & deducantur in infernum,
19\. muta fiant labia doloſa.

Quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem, in ſuperbia, & *in* abuſione.

20\. Quam magna multitudo dulcedinis tuę, *Domine*, quam abſcondiſti timentibus te.

Perfeciſti eis, qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.

תסתירם בסתר פניך מרכסי איש תצפנם בסכה מריב לשונות:	21. *Abſcondes eos in abſcondito facierum tuarum ab elationibus viri, abſcondes eos in tabernaculo a rixa linguarum.*	21. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo *tuo* a contradictione linguarum.
ברוך יהוה כי הפליא חסדו לי בעיר מצור:	22. *Benedictus DOMINUS, quoniam mirificavit pietatem ſuam mihi in civitate munitionis.*	22. Benedictus DOMINUS, quoniam mirificavit miſericordiam ſuam mihi in civitate munita.
ואני אמרתי בחפזי נגרזתי מנגד עיניך אכן שמעת קול תחנוני בשועי אליך:	23. *Ego autem dixi in feſtinatione mea, abſciſſus ſum ab oppoſito oculorum tuorum, verumtamen audiſti vocem ſupplicationum mearum, in clamando me ad te.*	23. Ego autem dixi in exceſſu *mentis* meæ, projectus ſum a facie oculorum tuorum. Ideo exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.
אהבו את יהוה כל חסידיו אמונים נצר יהוה ומשלם על יתר עשה גאוה:	24. *Diligite DOMINUM omnes pii ejus, veritates ſervans DOMINUS, & retribuens ſuper plus facienti ſuperbiam.*	24. Diligite DOMINUM omnes ſancti ejus, *quoniam* veritatem requirit DOMINUS, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.
חזקו ויאמץ לבבכם כל המיחלים ליהוה:	25. *Confortamini, & confortabitur cor veſtrum, omnes expectantes DOMINO.*	25. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes, qui ſperatis in DOMINO.

ANNOTATIONES.

INſigniores calamitates, quas auxilio cæleſti vitaverat, nunquam gratiis habendis defeſſus, per quam ornata, elegantique oratione deſcribens, pios quoſque ad Deum diligendum invitat. Diſtinctionum, & ſententiarum varietates ex te facile videbis.

1. *In finem.* Hebræus: Præpoſito, de qua vocula dictum eſt ſæpius ſuperius. *David.* Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. *Pro extaſi.* Additum ex verſu 23. argumenti loco.

2. *Speravi.* Hebræus: Confugi. Sic transferre verbum hoc Vulgatum, ſæpius diximus. Vide pſal. 2. 12. *Non confundar.* In Hebræo poteſt eſſe vetantis, & prohibentis, licet futuro proferatur: Ne confundar; erubeſcam, pudeſcam. *In æternum.* Hebræus dativo: Seculo. Addunt hic græci codices impreſſi καὶ ἐξελοῦ με. Quatuor iſti primi verſus conveniunt cum pſalmo 71. paucis immutatis. Ibi vide.

3. *Inclinare aurem*, idiotiſmus eſt notus. *Accelera.* Noſtri fortaſſe punctis vocalibus immutatis legerunt verbaliter מְהֵרָה, quod nunc eſt nomen adverbiale, ut in Theſauro מְהֵרָה, cito, velociter. Idem ſenſus. *Ut eruas me.* Hebræus deprecanter: Erue; libera me. *In Deum protectorem.* Translatio ſenſus. Hebræus dativo, ſuo loquendi tropo: Petræ (quod unum eſt ex divinis nominibus, ut in Theſauro); fortitudinis, roboris; in petram munitam; arcem, qua protegar. *Et.* Non habetur in Hebræo. *In domum.* Hebræus iterum dativo: Domui. *Refugii.* Hebræus: Munitionum;

in domum munitam, quaſi propugnaculum fortiſſimum in loco edito poſitum. Interpretatur autem ſic vocem hanc מְצוּדָה Vulgatus fere ſemper, ut mox etiam habet. *Ut ſalvum me facias*. Idem Hebræus gerundio: Ad ſalvandum me. Nullius fere momenti variationes.

4. *Fortitudo*. Hebræus: Petra, ſilex, rupes mea, per quam ego fortis exiſto. *Refugium*. Hebræus: Munitio, arx, propugnaculum, ut ſuperiori verſiculo. *Eſt*. Additum ex ſermonis conſequentia. *Deduces*, *enutries*. Verba hebræa נחה, & נהל idem fere ſignificant, ut in Theſauro videre potes. At Vulgatus ſecundi ſenſum tranſtulit, ne bis Deduces poneret. Et quidem quos dignatur Deus ducere, ſatis commode portari, ſuſtineri, & enutriri dixeris.

5. *De laqueo*. Idem Hebræus fere: De rete. *Es*. Additum ex ſermonis conſequentia. *Protector*. Hebræus: Robur, fortitudo, qua protegor; Græci codices addunt hic Κύριε, ſed Vaticanus Hebræo, & Vulgato concordat. Abſcondere laqueum, vel rete alicui, & educere de eo, ſunt idiotiſmi noti.

6. *In manus tuas*. Vulgatus legit pluraliter בְּיָדֶךָ, quod nunc eſt ſingulare בְּיָדְךָ, in manum tuam, quamvis hoc nihil referat. *Commendo*. Hebræus futuro: Commendabo. Commendare in manum, in depoſitum tradere, eſt idiotiſmus notus. *Deus*. Hebræus pluraliter: Dii veritatis; verax, fidelis.

7. *Odiſti*. Noſtri detracto Jod legerunt שָׂנֵאתָ per ſecundam perſonam, quod nunc addito illo eſt prima, שָׂנֵאתִי, odio habui, odi. *Supervacue*. Fortaſſis legerunt noſtri הֲבָלִים in ſtatu abſoluto, & ob id adverbialiter ſequens שָׁוְא interpretati ſunt, ut ſæpius ponitur. Supervacue, in caſſum, fruſtra, in vanum. Nunc Hebræis הַבְלֵי eſt in regimine. Vanitates vani, vaniſſimas. Idem fere ſenſus. *In Domino ſperavi*. Hebræus: Ad Dominum; in Domino confiſus ſum. Noſtros ſic transferre verbum hoc, ſæpius diximus.

8. *In miſericordia*. Hebræus: Pietate, quam Vulgatum miſericordiam transferre ſemper, ſæpius diximus. *Reſpexiſti*. Idem prope Hebræus: Vidiſti. *Humilitatem*. Hebræus: Afflictionem. Vox hebræa afflictionem, paupertatem, humilitatem, & hujuſmodi ſignificat. Lege Theſaurum. *Salvaſti &c.* Senſus, non verborum translatio. Hebræus: Cognoviſti (in) tribulationes animæ meæ. Neque enim aliud eſt, Deum cognoſcere (in) tribulationes alicujus, quam illum de neceſſitatibus (ſic interpretati ſunt צָרוֹת, pro vexationibus) ſalvare. Conſule Theſaurum noſtrum.

9. *In manibus*. Hebræus ſingulariter, quod nihil refert: In manu. *Inimici*. Idem Hebræus. Græci codices legunt hic ἐχθρῶν, ſed Vaticanus Hebræo & Vulgato convenit. Non concludere in manu inimici; ſtare facere in lato pedes, ſunt idiotiſmi ſatis noti.

10. *Tribulor*. Idem Hebræus prope, quamvis nomine: Anguſtia, tribulatio mihi. Supple eſt. In anguſtiis redigor, tribulor. *Conturbatus eſt*. Verbum hebræum tineas facere proprie ſignificat; tineare, ſi liceret dicere: quod verbum inſolens vulgatus refugiens, poſuit pro eo, Conturbatus eſt, turbidus factus caligavit, ob humorem exhauſtum, virtute videndi ſublata. Vide ſuperius Pſal. *6*. 8.

11. *Defecit*. Hebræus pluraliter: Defecerunt. *In dolore*. Idem fere Hebræus: In mœrore, triſtitia. *Vita mea*. Vox hebræa eſt pluralis natura: Vitæ meæ. *In gemitibus*. Hebræus ſingulariter: In gemitu; ſuſpirio. Verum hæc levia. *Infirmata eſt*. Sic fere ſemper Vulgatus verbum כָּשַׁל transfert: quod impingere, & debilem, imbecillum evadere ſignificat. *In paupertate*. Noſtri mutatis punctis vocalibus legerunt בְּעָנְיִי in afflictione, humilitate, paupertate, quod nunc Hebræis eſt, בַּעֲוֹנִי, in iniquitate mea, propter meam iniquitatem. *Virtus mea*. Idem Hebræus: Vis, robur, quam virtutem Vulgatus transferre ſolet.

Digitized by Google

Conturbata ſunt. Hebræus idem verbum, quod ſuperiori verſiculo ſignificare tineas facere diximus, habet. Tineaverunt; nempe vorata, exhauſta, depaſta ſunt oſſa mea. Vim infringere in iniquitate, & oſſa tineas facere, ſunt idiotiſmi pulcherrimi, valetudinem malam corporis denotantes; quemadmodum & animi paſſiones alii duo, vitam deficere in mœrore, & annos in gemitu, deſignant.

12. *Super omnes inimicos meos &c.* Mem ſervile plura ſignificat, ut in Grammaticis rebus diximus. Ibi vide. Vulgatus hunc ſenſum retinuit, quia conjunctionem Vav, nomini Vicinis meis additam, quam etiam græcus agnoſcit, non legit. Supra; pluſquam; majore opprobrio ſum, quam inimici mei. Nunc Hebræis eſt ſimplex præpoſitio. Ab omnibus: omnium. Et quos Vulgatus inimicos dicit, Hebræus proprie Tribulantes, affligentes habet, quod inimicorum eſt. *Factus ſum*. Sic Hebræus: Fui. Non magni momenti varietates. *Qui videbant me*. Idem Hebræus participio: Videntes me. *Foras*. Non aliter Hebræus: In vico; in vicinia. *Fugerunt*. Idem Hebræus ſere: Elongarunt ſe. Has omnes variationes parum vel nihil referre crederem.

13. *Factus ſum*. Sic Hebræus: Fui. Dari, vel eſſe oblivioni tanquam mortuum ex corde; Eſſe ut vas perditum, ſunt idiotiſmi ſatis ornati, ſed noti.

14. *Vituperationem*. Idem Hebræus fere: Sermonem, locutionem malam, famam non bonam. Vide Theſaurum. *Commorantium in circuitu*. Suſpicor noſtros legiſſe מְגוּרִים סָבִיב, quaſi eſſet pahul, quod appellant Grammatici, verbi גור, quod habitare, & pavere ſignificat. Conſule Theſaurum. Nunc Hebræis eſt nomen מָגוֹר מִסָּבִיב, timor a circuitu: pavor eſt undique. *In eo*. Minus apte additum. *Dum convenirent*. Conſultandi cauſa contra ſalutem meam. Hebræus gerundio: In conſultando eos. Vide ſuperius pſalmum 2. 2. *Adverſum me*. Sic Hebræus ſuo modo: Super me. *Accipere*. Hebræus gerundio: Ad accipiendum. *Conſiliati ſunt*. Hebræus: Cogitaverunt. Minima ſenſus variatio. Accipere animam, eſt interficere.

15. *In te ſperavi*. Hebræus: Super te confiſus ſum. Sæpius jam dictum eſt ſic transferri בטח a Vulgato, quod ex ſpe naſcatur confidentia. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Dii mei. *Es*. Additum ex ſermonis conſequentia.

16. *In manibus tuis*. Hebræus ſingulariter, quod nihil refert: In manu tuà. *Sortes meæ*. Eventus mei, rerum mearum ſtatus. Hebræus: Mea tempora; quod idem ſere eſt. Græci codices impreſſi legunt hic οἱ κλῆροί μου, quamvis nonnulli potius legendum eſſe οἱ καιροί μου putent.

17. *Illuſtra*. Sic Hebræus: Splendere fac. *Faciem tuam*. Vox hebræa eſt pluralis natura: Facies tuas. *In miſericordia*. Ut transferre ſolet Vulgatus. Hebræus: In pietate tua. Splendere facere vultum ſuper aliquem, eſt, eum benigno favore proſequi.

18. *Erubeſcant*. Hebræus futuro: Erubeſcent. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Deducantur*. Senſus, non verbi translatio. Hebræus futuro: Tacebunt, ſilebunt. *In infernum*. Hebræus dativo: Inferno. Taceant, inquit, conſopiantur, in ſilentium redigantur in infernum, vel ſepulchrum, nam utrumque vox hebræa deſignat.

19. *Muta fiant*. Idem Hebræus futuro: Muta fient; obmuteſcent. *Doloſa*. Sic Hebræus ſubſtantivo, ritu linguæ: Mendacii, labia mendacia, falſidica non poſſint loqui. *Quæ loquuntur*. Idem Hebræus participio: Loquentia. *Adverſus*. Idem Hebræus ſuo modo: Super juſtum *Iniquitatem*. Senſus, non verbi translatio. Hebræus poetice ſatis ornate: Durum, forte, craſſiori ſpiritu. Vulgo, parlar groſſo, far la voce groſſa per diſprezzo. *In abuſione*. Active. Præ faſtu, quo juſtis abutuntur, & opprimunt. Hebræus clarius, ſine præpoſitione, ſubintelligenda nihilominus, dicit: Et contemptu. Græcus etiam καὶ ἐξουδε-

νώσει

νῶτει, & contemptu, deſpectione, habet.

20. *Magna multitudo*. Duplex vocis interpretatio. Hebræa dictio, magnum, multum, copioſum, & hujuſmodi ſignificat. *Dulcedinis tuæ*. Hebræus nominativo: Quam multum bonum tuum; magna, multa, copioſa bonitas, dulcedo tua. *Domine*. Ad declarationem additum. Abſcondere aliquid alicui, eſt reponere, adſervare. Vide Theſaurum. *Perfeciſti*. Pro ſimplici poſitum: Feciſti; apparaſti, operatus es. *Qui ſperant in te*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Confugientibus in te. *In conſpectu*. Idem Hebræus ſuo modo: Oppoſito, coram. *Hominum*. Hebræus ſingulariter collective: Hominis; Adam.

21. *Faciei tuæ*. Vox hebræa eſt pluralis natura: Facierum tuarum. *A conturbatione*. Hebræus pluraliter idem fere: Ab elationibus, a vexationibus, quibus conturbantur. Vide Theſaurum. *Hominum*. Hebræus ſingulariter collective: Viri. *Proteges*. Senſus, non verbi translatio. Hebræus aliud verbum ſynonymum abſcondendi ponit: Abſcondes eos in tabernaculo, caſula. *Tuo*. Additum ad declarationem. *A contradictione*. Jurgio, contentione, & rixa, a linguis loquacibus excitata. Abſcondere in abſcondito faciei, & in tabernaculo, ſunt elegantes idiotiſmi, nec penitus obſcuri, pro, Omnibus modis, quos ſecuriſſimos eſſe cupis, diligenter cuſtodire.

22. *Miſericordiam*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Pietatem. *Munita*. Hebræus idem ſubſtantivo: Munitiones. Mirificare pietatem, eſt mira pietate uti.

23. *In exceſſu meo*. Pavore, conſternatione: cum ſævus hoſtis cervicibus inſtans, jam pede pedem premeret. *Mentis*. Ad declarationem additum. Hebræus fere idem: In feſtinare meo, feſtinatione, præcipitatione, trepidatione mea. *Projectus ſum*. Hebræus idem prope: Abſciſſus ſum. Reciſa vero projiciuntur. *Ideo*. Videntur noſtri legiſſe facillimo vocis tranſitu לָכֵן, quod nunc Hebræis eſt אָכֵן, verumtamen, profecto. Vide Theſaurum. Non magni momenti varietas. *Exaudiſti*. Pro ſimplici Audiſti poſitum. *Orationis meæ*. Hebræus idem fere, ſed pluraliter: Supplicationum, deprecationum mearum. *Dum clamarem*. Hebræus gerundio: In clamando, vociferando me ad te.

24. *Sancti*. Hebræus: Pii, quos ſanctos Vulgatus appellat, ut ſæpins vidimus. *Quoniam*. Additum ad declarationem. *Veritatem*. Hebræus pluraliter: Veritates. Metonymia. Ideſt, fideles, veridicos, conſtantes. Nomen abſtractum pro concreto, ut loquuntur logici. *Requiret*. Tuendi gratia. Hebræus in præſenti participio: Servans, cuſtodiens. Supple eſt: tuetur. Sic & ſequens. *Retribuet*. Hebræus præſenti explicat participio, quod non multum referre crederem: Retribuens. *Abundanter*. Cumulate. Hebræus ad verbum: Super plus, ſuper ſuperabundantia. Vulgo Soprapiu. *Facientibus*. Hebræus idem, quamvis ſingulariter: facienti; cuilibet ſcilicet. Facere ſuperbiam, eſt ſuperbe agere. Poſſes etiam interpretari ſic: Faciens, qui facit ſuperbiam. Ut perſtringat Saulem, & alios, qui plus juſto ſe conentur ulciſci.

25. *Viriliter agite*. Ex Græco *ἀνδρίζεσθε*. Idem prope Hebræus: Roboramini; fortes exiſtite; ne animis deficite. *Confortetur*. Sic Hebræus futuro: Confortabitur; forte, robuſtum evadat cor veſtrum. *Qui ſperatis*. Hebræus idem fere participio: Expectantes animo, & corpore, nempe ſpei, fiduciæque pleni. *In Domino*. Idem Hebræus dativo: Domino.

PSAL-

PSALMUS XXXII. Latinis XXXI.

לדוד משכיל אשרי נשוי פ
פשע כסוי חטאה:

אשרי אדם לא יחשב יהוה
לו עון ואין ברוחו רמיה:

כי החרשתי בלו עצמי ב
בשאגתי כל היום:

כי יומם ולילה תכבד עלי
ידך נהפך לשדי בחרבוני קיץ
סלה:

חטאתי אודיעך ועוני לא כ
כסיתי אמרתי אודה עלי פשעי
ליהוה ואתה נשאת עון חטאתי
סלה:

על זאת יתפלל כל חסיד
אליך לעת מצארק לשטף מים
רבים אליו לא יגיעו:

אתה סתר לי מצר תצרני רני
פלט תסובבני סלה:

אשכילך ואורך בדרך זו תלך
איעצה עליך עיני:

אל תהיו כסוס כפרד אין
הבין במתג ורסן עדיו לבלום
בל קרוב אליך:

1. *Davidi intellectus.*
Beatus levatus prævaricationis, tectus peccati.

2. *Beatus homo, non imputabit ei DOMINUS iniquitatem, nec in ſpiritu ejus dolus.*

3. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, in rugitu meo tota die.*

4. *Quoniam die ac nocte gravabitur ſuper me manus tua, converſus eſt viror meus in ſiccitates æſtatis. Sélah.*

5. *Peccatum meum ſcire te faciam, & iniquitatem meam non obtexi, dixi, confitebor ſuper prævaricationibus meis DOMINO, & tu levaſti iniquitatem peccati mei. Sélah.*

6. *Super hoc orabit omnis pius ad te tempori inveniendi; tantum inundationi aquarum multarum ad eum non pertingent.*

7. *Tu abſconſio mibi a tribulatione, ſervabis me, ovationibus evaſionis circumdabis me. Sélah.*

8. *Intelligere te faciam, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, conſulans ſuper te oculo meo.*

9. *Non eritis ſicut equus, ſicut mulus, non intelligere, in camo, & fræno os ejus ad obturandum, non approximare ad te.*

1. Ipſi David intellectus.
Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, *&* quorum tecta ſunt peccata.

2. Beatus vir, cui non imputavit DOMINUS peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus.

3. Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

4. Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua, converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

5. Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi.
Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam DOMINO, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

6. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.
Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

7. Tu *es* refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea erue *me* a circumdantibus me.

8. Intellectum tibi dabo, & inſtruam te, in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.

9. Nolite fieri ſicut equus & mulus, *quibus* non eſt intellectus.
In camo, & fræno maxillas eorum conſtringe, *qui* non approximant ad te.

Digitized by Google

רבים מכאובים לרשע ו והבוטח ביהוה חסד יסובבנו:	10. *Multi dolores injuſto, & confidentem in DOMINO pietas circumdabit (eum).*	10. Multa flagella peccatoris, ſperantes autem in DOMINO miſericordia circumdabit.
שמחו ביהוה וגילו צדיקים והרנינו כל ישרי לב:	11. *Lætamini in DOMINO, & exultate juſti, & ovate omnes recti cordis.*	11. Lætamini in DOMINO, & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde.

ANNOTATIONES.

PEccatores ad pœnitentiam, & ad delictorum ſuorum confeſſionem, exemplo ſuo, & Sanctorum omnium, etiam, atque etiam rogat, obſecrat, & hortatur; proximum a juſtioribus locum his in cæleſti beatitudine promittens. Diſtinctiones ſententiarum varias ex temetipſo recognoſcas velim.

1. *Ipſi David intellectus*. Græcus habet ψαλμὸς τῷ δαβὶδ συνέσεως. Intellectus, eſt genitivi caſus. Hebræis autem eſt nominativus, & Pſalmus omittitur. Intellectus Davidi. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. Varia eſt autem omnium ſententia, quid מַשְׂכִּיל proprie ſignificet. Conſule Theſaurum noſtrum. *Beati &c.* Vulgatus numerum mutavit, quod nihil refert. Hebræus, ſuo loquendi tropo: Beatus levatus &c. *Iniquitates*. Hebræus ſingulariter: Prævaricationis. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Quorum tecta ſunt*. Hebræus iterum ſingulari participio: Tectus. *Peccata*. Hebræus: Peccati. Nullius momenti varietates. Deum levare, condonare, & tegere peccatum alicui, idem ſunt. Tegere, abſcondere peccatum dixit, quaſi obliterare, delere, ne poſthac divinæ majeſtatis oculis appareat. Hominem vero tegere peccatum, eſt, nolle confiteri, & malum eſt, ut inferius verſ. 5. Hactenus de pœnitente dicitur. Sequitur de juſto.

2. *Vir*. Hebræus: Homo: quod parum, vel nihil refert. *Cui non imputavit Dominus peccatum*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo, ſed futuro: Non cogitabit, imputabit ei Dominus iniquitatem. De cujus iniquitate nulla eſt apud Deum cogitatio, quippe qui nullum admiſerit crimen, nullam habeat in ſpiritu fraudem, ſed integer, ſceleriſque purus jugiter permaneat. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *In ſpiritu*. Græci codices impreſſi habent ἐν τῷ ςόματι αὐτοῦ, in ore ejus. Quidam tamen legunt ἐν τῷ πνεύματι, quod hebræo, & Vulgato concordat.

3. *Inveteraverunt*. Verbum hebræum ſignificat veteraſcere, contabeſcere, attritum evadere, quod vulgo logorarſi dicitur. Poetice ſatis eleganter oſſibus datur tabes, ſenium, ariditas. *Dum clamarem*. Non longe aliter Hebræus, ſed nomine: In rugitu meo. Et ſic tacendi, clamandique contrarietas tollitur, vel apertius explicatur. Dolore, inquit, tabeſco, ipſaque oſſa veteraſcunt, dum gemo jugiter, & imo de peccatore ſuſpiria duco, quod olim tacuerim, quod hactenus tacens, & non agnoſcens peccata mea permanſerim.

4. *Gravata eſt*. Verbum hebræum eſt futurum, quod tamen per alia tempora transferri poteſt, ut in rebus grammaticis dictum eſt: Gravabitur. *Converſus ſum &c.* Suſpicor Noſtros legiſſe נֶהְפַּךְ לְשַׁדִּי בְּחַרְבוֹנֵי קָיִץ, non admodum difficili vocum tranſitu; ideſt, Converſum eſt (imperſonaliter, quod clarius Converſus ſum, reddiderunt) ærumnæ, vaſtitati meæ (exiſtimarunt ſiquidem lamed eſſe ſervile, & שַׁד vaſtationem, ærumnam interpretati ſunt): hoc eſt, in ærumnis volutor, vel per hanc animi vexationem tandem reſipui: In transfixione mea (nam חַרְבוֹן deduxerunt a חֶרֶב, gladio) ſpina; dum transfigor ſpina; dum configitur mihi

hi ſpina; dum ærumnæ, vel peccati aculeus me pungit, & configit. Nunc Hebræis lamed eſt radicale, & לְשַׁד virorem, חַרְבֹנִים vero, & in regimine בְּחַרְבֹנֵי ſiccitates ſignificat, leguntque קַיִץ cum jod, & æſtatem interpretantur. Conſule Theſaurum. Utra lectio potior ſit, alii viderint. Manum gravari ſuper aliquem, & virorem ejus converti in ſiccitates æſtatis, ſunt idiotiſmi pulcherrimi, nec obſcuri penitus. De Sèlah, quod ter legitur in hoc pſalmo, nempe hic, verſiculo 5. & 6. dictum eſt ſuperius.

5. *Delictum.* Non aliter Hebræus: Peccatum meum. *Cognitum tibi feci.* Verbum hebræum eſt futurum, ſed transfertur etiam in alia tempora, ut ſæpius diximus: Ut ſcias, faciam: manifeſtabo. *Injuſtitiam.* Hebræus: Iniquitatem. *Abſcondi.* Idem Hebræus: Texi; obtexi, ne videretur. *Super me.* Noſtri legerunt עָלַי, ſuper, contra, adverſum me, quod nunc Hebræis eſt עֲלֵי, in regimine. Idem tamen ſenſus. *Injuſtitiam meam.* Hebræus pluraliter: Prævaricationibus meis. *Remiſiſti.* Sic Hebræus ſuo tropo: Levaſti. *Impietatem.* Hebræus: Iniquitatem. *Peccati mei.* Sic Hebræus. Græci tamen codices impreſſi legunt: τῆς καρδίας μου, cordis mei. Sed hæc omnia minima. Confiteri ſuper prævaricationibus, & Levare iniquitatem, ſunt idiotiſmi noti.

6. *Pro hac.* Impietate ſcilicet, vel impietatis remiſſione. Hebræa vox eſt quidem feminina, ſed uſurpatur pro neutro genere, quo carent Hebræi, ut in grammaticis docetur. Super hanc rem; ob hanc cauſſam; propter hoc, vel ſuper hoc, quod dicturus ſum. Hoc nempe modo orabit &c. *Sanctus.* Sic interpretari Noſtros, centies diximus. Hebræus: Pius. *In tempore opportuno.* Pulchre id quidem, pro eo quod Hebræus habet, ſuo loquendi tropo: Tempori inveniendi vel Deum gratum, vel cor aptum ad orandum ſcilicet. *Verumtamen.* Dictio רַק eſt diminutiva, Tantùm, ſignificans, quamvis Vulgatus eam fere ſemper Verumtamen transferat. Conſule Theſaurum. *In diluvio.* Idem Hebræus fere, dativo: Inundationi, inundationis tempore. Diluvium quidem, nempe מַבּוּל a cælo fit, & inundatio a fluviis; ſed hoc parum, vel nihil refert. *Approximabunt.* Hebræus idem fere: Pertingent, attingent. Utinam, ait, quiſquis benignitatem tuam expertus eſt, tempore ad orandum congruo, talibus te precetur. Cum calamitates inundaverint; cum diluvium vexationum ingruerit, Pater Sancte, Davidem ſaltem non attingat, non opprimatur his fluctibus, te rogamus, & obſecramus. Aliorum etiam interpretationes vide.

7. *Es.* Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Refugium meum.* Senſus, non verborum translatio. Hebræus: Abſconſio, latibulum mihi. *Quæ circumdedit me.* Suſpicor, Noſtros putaſſe verbum hoc a radice צרר derivare, quod affligere, obſidere, circumdare ſignificat: ſed obſtant regulæ grammaticales, ut taceam, quod tunc verbum eſſet fœminini generis, & צַר, tribulatio, vel infeſtator, eſt maſculinum. Radix Hebræis omnibus eſt נצר, quæ ſervare, cuſtodire exponitur; & fortaſſis interpretes hinc circumdare per translationem dixere, quod ſervanda, ne lædantur, circumdari debeant, quamvis ſemper reſtet prior generis verbi difficultas. Hebræis eſt ſecunda perſona: Servabis me. *Exultatio mea.* Vulgatus legit רָנִּי, quod nunc Hebræis eſt plurale in regimine רָנֵּי, ovationibus, acclamationibus. *Erue.* Verbum hebræum eſt imperativus, & infinitivus, qui nominis etiam vices ſupplet. Vulgato eſt imperativus, & ob id *me* ad declarationem addidit. Hebræis autem eſt infinitivus, vel nomen rectum, ſic: Ovationibus evadendi, vel evaſionis, ideſt, quibus gaudere ſolent e manibus hoſtium elapſi, circumdabis me. Idiotiſmus pulcherrimus, nec valde obſcurus, ut in Theſauro diximus. *A circumdantibus me.* Suſpicor, alium textum habuiſ-

Digitized by Google

habuiſſe Noſtros, nempe legiſſe מְסוֹבְבֵי vel quid ſimile, & ob id diverſam reddidere ſententiam. Nunc Hebræis eſt futurum: Circumdabis me.

8. *Intellectum tibi dabo*. Sic Hebræus: Intelligere te faciam. *Firmabo &c.* Senſus translatio. Hebręus: Conſulam ſuper te oculo meo. Conſulere oculo ſuper aliquem, idiotiſmo non inornato, eſt, Oculos firmare ſuper eum, ad obſervandum, & innuendum, ne quid agat perperam.

9. *Nolite fieri*. Sic Hebræus futuro: Ne eritis; ne ſitis. *Et mulus*. Hebræus adverbium ſimilitudinis repetit: Sicut mulus. *Quibus*. Additum ad declarationem. *Non eſt intellectus*. Hebræus infinitivo, qui tam ad equum, & mulum, quam ad homines referri poteſt: Non intelligere. Quæ bruta ſunt intellectu carentia; vel non intelligendo vos, dum vos non intelligitis. *Maxillas eorum*. Hebræus: Os ejus; cujuslibet eorum. *Conſtringe*. Forſitan legerant Noſtri בְּלוֹם in imperativo, quod nunc Hebræis eſt infinitivus לִבְלוֹם, ad obturandum, frenandum, conſtringendum. *Qui non approximant*. Hebręus infinitivo, ſenſu duplici: Non approximare ad te. Ut appropies ad te refugientes videlicet, cum Noſtris; vel, Ne approximent ad te lædendum. Sed hæc parum referunt.

10. *Multa flagella peccatoris*. Hebręus idem fere: Multi dolores injuſto. Supple, ſunt. *Sperantes miſericordia*. Sic Vulgatum transferre dictiones בטח, & חסד, ſæpius diximus. Hebræus ſingulariter Confidentem habet: idem Græcus, τὸν δὲ ἐλπίζοντα, quod nihil refert. Hebræus addit pronomen Eum, ritu linguæ, quod latine vacat: Et confidentem in Domino pietas circumdabit eum. Idiotiſmus non obſcurus.

11. *Gloriamini*. Senſus translatio, non vocis. Hebræus: Ovate; voce, plauſu triumphate: Gloriamini, quod peccatorum ſarcinas portare vobis unquam non contigerit, per gratiam, amicitiamque Dei, quæ perpetua eſt ei vobiſcum, ut jure vos deceat triumphare, gloriarique, bonorum veſtrorum conſcientiam exprimentes. *Corde*. Hebræus idem genitivo: Cordis.

PSALMUS XXXIII. Latinis XXXII.

רננו צדיקים ביהוה לישרים נאוה תהלה:	1. *Ovate juſti in DOMINO, rectis decet collaudatio.*	1. *In finem Pſalmus David.* Exultate juſti in DOMINO, rectos decet collaudatio.
הודו ליהוה בכנור בנבל עשור זמרו לו:	2. *Confitemini DOMINO in cithara in nablo, decachordo pſallite illi.*	2. Confitemini DOMINO in cithara, in pſalterio decem chordarum pſallite illi.
שירו לו שיר חדש היטיבו נגן בתרועה:	3. *Cantate ei canticum novum, bene facite modulari in vociferatione.*	3. Cantate ei canticum novum, bene pſallite *ei* in vociferatione.
כי ישר דבר יהוה וכל מעשהו באמונה:	4. *Quia rectum verbum DOMINI, & omne opus ejus in fide.*	4. Quia rectum *eſt* verbum DOMINI, & omnia opera ejus in fide.

אהב צדקה ומשפט חסד י
יהוה מלאה הארץ:

5. Diligit juſtitiam, & judicium, pietate DOMINI plena eſt terra.

5. Diligit miſericordiam, & judicium, miſericordia DOMINI plena eſt terra.

בדבר יהוה שמים נעשו ו
וברוח פיו כל צבאם:

6. In verbo DOMINI cæli facti ſunt, & in ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum.

6. Verbo DOMINI cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.

כנס כנד מי הים נתן ב
באוצרות תהומות:

7. Congregans ſicut cumulum aquas maris, dans in theſauris abyſſos.

7. Congregans ſicut in utre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos.

ייראו מיהוה כל הארץ ממנו
יגורו כל ישבי תבל:

8. Timebunt a DOMINO omnis terra, ab eo pavebunt omnes habitatores orbis.

8. Timeat DOMINUM omnis terra, ab eo *autem* commoveantur omnes inhabitantes orbem.

כי הוא אמר ויהי הוא צוה
ויעמד:

9. Quoniam ipſe dixit, & fuit, ipſe mandavit, & ſtetit.

9. Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.

יהוה הפיר עצת גוים הניא
מחשבות עמים:

10. DOMINUS diſſipavit conſilium gentium, infregit cogitationes populorum.

10. DOMINUS diſſipat conſilia gentium, reprobat *autem* cogitationes populorum, *& reprobat conſilia principum.*

עצת יהוה לעולם תעמד מ
מחשבות לבו לדר ודר:

11. Conſilium DOMINI ſeculo ſtabit, cogitationes cordis ejus ætati & ætati.

11. Conſilium *autem* DOMINI in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione, & generationem.

אשרי הגוי אשר יהוה אלהיו
העם בחר לנחלה לו:

12. Beata gens, cujus DOMINUS Dii ejus, populus, elegit hæreditati ſibi.

12. Beata gens, cujus *eſt* DOMINUS Deus ejus, populus, *quem* elegit in hæreditatem ſibi.

משמים הביט יהוה ראה א
את כל בני האדם:

13. De cælo reſpexit DOMINUS, vidit omnes filios hominum.

13. De cælo reſpexit DOMINUS, vidit omnes filios hominum.

ממכון שבתו השגיח אל
כל ישבי הארץ:

14. De habitaculo ſedere ſui proſpexit ad omnes habitatores terræ.

14. De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram.

היוצר יחד לבם המבין אל
כל מעשיהם:

15. Fingens ſimul cor eorum, intelligens ad omnia opera eorum.

15. Qui finxit ſingillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

אין המלך נושע ברב חיל
גבור לא ינצל ברב כח:

16. Non rex ſalvus in multitudine roboris, gigas non ſalvabitur in multitudine fortitudinis.

16. Non ſalvatur rex per multam virtutem, & gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis *ſuæ*.

שקר הסוס לתשועה וברב
חילו לא ימלט:

17. Mendacium equus ſaluti, & in multitudine roboris ſui non ſalvabit.

17. Fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur.

הנה עין יהוה אל יראיו למיחלים לחסדו :	18. *Ecce oculus DOMINI ad metuentes eum, exſpectantibus pietati ejus.*	18. Ecce oculi DOMINI ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus.
להציל ממות נפשם ו ולחיותם ברעב :	19. *Ad eruendum a morte animam eorum, & ad vivificandum eos in fame.*	19. Ut eruat a morte animas eorum, & alat eos in fame.
נפשנו הכתה ליהוה עזרנו ומגננו הוא :	20. *Anima noſtra exſpectavit DOMINO, auxilium noſtrum, & clypeus noſter ipſe.*	20. Anima noſtra ſuſtinet DOMINUM, *quoniam* adjutor, & protector noſter eſt.
כי בו ישמח לבנו כי בשם קדשו בתחנו :	21. *Quia in eo lætabitur cor noſtrum, quia in nomine ſanctitatis ejus confiſi ſumus.*	21. Quia in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto ejus ſperavimus.
יהי חסדך יהוה עלינו כאשר יחלנו לך :	22. *Erit pietas tua, DOMINE, ſuper* עלינו*, quemadmodum exſpectavimus tibi.*	22. Fiat miſericordia tua DOMINE ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.

ANNOTATIONES.

AD celebrandum Deum, ex rerum divinarum conſideratione; ex illius Majeſtate, piiſque defendendis benignitate, & providentia, juſtos invitat.

1. *In finem &c.* Caret nunc Hebræis inſcriptione Pſalmus, quod teſtatur & Græcus codex, qui habet ψαλμος τω δαβιδ ανεπίγραφος παρ ἑβραίοις. *Exultate.* Hebræus idem prope: Ovate. Voce, & geſtu exultate. *Rectos.* Hebræus dativo, uſu linguæ: Rectis. *Collaudatio.* Supple, Domini.

2. *In pſalterio.* Hebræus in nablo. Harmonicorum inſtrumentorum nomina nunc fere incognita ſunt Hebræis. Vide Theſaurum. *Decem chordarum.* Noſtri putarunt, dictionem a præcedenti regi, quod non eſt penitus abſurdum; quamvis nunc Hebræi ſeparatim legant, in Nablo, decachordo, ut ſit aliud inſtrumentum עָשׂוֹר dictum, quaſi decenarium, in quo decem voces concinant. Verum hæc levia.

3. *Bene pſallite.* Non aliter Hebræus ſuo loquendi tropo: Bene facite, aptate pſallere, modulari. *Ei.* Non habetur in Hebræo. Huic concordat Vaticanus codex, licet in impreſſis legatur αὐτῷ.

4. *Eſt.* Ex ſermonis conſequentia ſubintelligendum. *Omnia opera.* Hebræus ſingulariter, quod nihil refert: Omne opus. *In fide.* Fidelia, ſincera, vel ſtabilia. Conſule Theſaurum.

5. *Miſericordiam.* Hebræus: Juſtitiam. Vulgatus vel alium textum habuit, vel juſtitiam Dei idem cum miſericordia eſſe credidit, vel tandem cum Græco paſſive ſumpſit. Is enim habet ἐλεημοσύνην, quæ nihil aliud, quam juſtitia eſt, & ſic eam Hebræi vocant hactenus, quod notes. Græcus addit hic ὁ κύριος, ſed Vaticanus Hebræo, Vulgatoque concordat. *Miſericordia.* Hebræus: Pietate. Hanc transferri ſic a Vulgato, ſæpius diximus.

6. *Verbo.* Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ. *Firmati ſunt.* Idem fere Hebræus: Facti ſunt. *Spiritu.* Iterum hic addit præpoſitionem In Hebræus. *Virtus eorum.* Vis, robur, potentia, exercitus. Græcus δυναμις αὐτῶν, mi-

militia, copia eorum. Hebræus etiam: Exercitus, militia eorum. Stellarum choros videlicet & reliquum cæli ornatum. Conſule Theſaurum.

7. *Sicut in utre.* Suſpicor Noſtros legiſſe כנד, facillima certi in holem mutatione, putaſſeque idem eſſe ſine Aleph, quod נאד cum Aleph, ideſt, tanquam utre, vel utrem, ut Græcus, & ex Noſtris quidam legunt. Nunc Hebræi legunt כנד, tanquam cumulum, acervum. Neutra lectio diſplicet, minimique momenti varietatem eſſe crederem.

8. *Timeat Dominum.* Hebræus habet verbum plurale futuri temporis, & præpoſitionem addit, quod nihil refert: Timebunt a Domino omnis terra. Metonymice. Mortales omnes. *Autem.* Non eſt in Hebræo. *Commoveantur.* Ob metum ſcilicet, hunc paveant, & reformident. Hebræus futuro: Pavebunt. Minima varietas. *Orbem.* Hebræus genitivo: Orbis.

9. *Facta ſunt.* Idem Hebræus ſingulariter, quod nihil refert: Et fuit; factum eſt. *Creata ſunt.* Senſus translatio, non verbi. Hebræus: Et ſtetit; conſtitit; orbis, & omnia creata ſcilicet.

10. *Diſſipat.* Hebræus præterito: Diſſipavit; diſſolvit. *Conſilia.* Hebræus ſingulariter: Conſilium. *Reprobat.* Non longe aliter Hebræus, ſed præterito, quod parum, vel nihil refert: Infregit, irritas reddidit, reprobavit. *Autem. Et reprobat conſilia principum.* Omnia hæc non habentur in Hebræo. Diſſolvere conſilium, & Infringere cogitationes, ſunt idiotiſmi non obſcuri.

11. *Autem.* Non habetur in Hebræo. *In æternum.* Hebræus dativo: Seculo. *Manet.* Hebræus futuro: Manebit, quod nihil refert. Manebit; ſtabit. *In generatione, & generationem.* Sic Hebræus dativo: Ætati & ætati; per ſingulas ætates. Conſilia ſtare, & Cogitationes eſſe, duo alii ſunt idiotiſmi prædictis oppoſiti, quos notes.

12. *Eſt.* Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Deus.* Hebræus pluraliter: Dii ejus. *Quem.* Iterum ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *In hæreditatem.* Sic Hebræus dativo: Hæreditati.

13. *Hominum.* Hebræus ſingulariter, collective: Adam, Hominis.

14. *De præparato.* Idem Hebræus fere: De habitaculo. מכון locum aptum, præparatum ſignificat. *Habitaculo ſuo.* Hebræus infinitivo: Sedere ſui; habitationis, manſionis ſuæ. Nullius momenti varietas. *Reſpexit ſuper omnes.* Non longe ſecus Hebræus: Proſpexit; providentiam habuit ad omnes. *Qui habitant terram.* Sic Hebræus: Habitatores terræ.

15. *Qui finxit.* Hebræus præſenti participio, quod fortaſſe nonnihil refert: Fingens, formans. *Singillatim.* Græcus κατὰ μόνας ſingulariter. Singuli cujuſque, ſingulo cuique cor fabrefecit, vel ſolus, ſine alterius opera animos finxit, & procreavit. Hebræus: Simul, una; quaſi dicat, Omnium. Eſt autem locus alibi dilucidandus. *Corda.* Hebræus ſingulariter: Cor. *Qui intelligit &c.* Hebræus addens præpoſitionem Ad, de more linguæ, quod nihil refert, iterum participio profert: Intelligens ad omnia opera eorum.

16. *Non ſalvatur rex.* Sic Hebræus participio: Non rex ſalvus. Supple, eſt. *Per multam virtutem.* Idem Hebræus ſuo modo: In multitudine virtutis. Vox hebræa multa ſignificat: Robur, vim, exercitum, &c. Conſule Theſaurum. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Gigas.* Fortis, potens. *Virtutis.* Hebræus: Roboris, fortitudinis, virium. Hebraice diverſa ſunt vocabula חיל, & כח, quæ virtutis nomine Vulgatus tranſtulit. Vide Theſaurum. *Suæ.* Ad declarationem additum.

17. *Fallax.* Idem Hebræus ſuo tropo: Mendacium. *Ad ſalutem.* Sic Hebræus dativo: Saluti; auxilio. *In abundantia.* Non aliter Hebræus: In multitudine. *Virtutis.* Hebræus: Roboris. Eadem vox, quam in ſuperiori habes verſiculo. *Salvabitur.* Noſtri punctis

inmu-

Digitized by Google

immutatis legerunt paſſive יְֻשַּׁלַּט, quod nunc Hebræis activum eſt יְמַלֵּט, ſalvabit; eruet, equus ſcilicet. Non magni ponderis varietas.

18. *Oculi*. Hebræus ſingulariter, quod fortaſſe nonnihil refert: Oculus. *Super*. Idem Hebræus: Ad metuentes ſe. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In eis, qui ſperant*. Non aliter Hebræus participio, & dativo: Exſpectantibus; Animo, & corpore. *Super miſericordia ejus*. Hebræus dativo: Pietati. Quam Vulgatus ſemper miſericordiam transfert.

19. *Ut eruat*. Sic Hebræus gerundio: Ad eruendum. *Animas*. Hebræus ſingulariter, collective, quod nihil refert: Animam cujuſque. *Alat eos*. Translatio ſenſus. Hebræus iterum gerundio: Et ad vivere faciendum, vivificandum; ut vivere faciat eos penuriæ tempore, ne fame pereant.

20. *Suſtinet*. Idem Hebræus præterito: Exſpectavit; inhiavit. Græcus hic addit conjunctionem δὲ, quam Vaticanus Hebræo concordans omittit. *Quoniam*. Ad exſpectationis cauſam declarandam additum. *Adjutor*. Quaſi legerint Noſtri punctis immutatis עֹזְרֵנוּ, quod nunc Hebræis eſt nomen abſtractum עֶזְרֵנוּ, Auxilium noſtrum. *Protector*. Translatio ſenſus. Hebræus: Clypeus noſter, quo protegimur. *Eſt*. Idem Hebræus pronomine: Ipſe. Nullius momenti varietates.

21. *Et*. Dictionem cauſativam repetit Hebræus, quod nihil refert: Quia. *Sancto*. Sic Hebræus ſubſtantivo, ritu linguæ: Sanctitatis ejus. *Speravimus*. Hebræus: Confiſi ſumus. Quod verbum Vulgatus ſemper ſic transferre ſolet.

22. *Fiat*. Hebræus idem futuro: Erit. *Miſericordia*. Hebræus: Pietas, ut ſæpius diximus. *Speravimus*. Hebræus: Exſpectavimus, ut ſuperius verſ. 18. *In te*. Hebræus dativo: Tibi. Vaticani codex Hebræo, & Vulgato concordans eumdem verborum ordinem ſervat, ſed impreſſi legunt inverſo ordine, γένοιτο κύριε, &c.

PSALMUS XXXIV. Latin. XXXIII.

לדוד בשנותו את טעמו לפני אבימלך ויגרשהו וילך:	1. *Davidi, in immutando illo guſtum ſuum faciebus Abimelech, & expulit eum, & abiit.*	1. David, cum immutavit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum, & abiit.
אברכה את יהוה בכל עת תמיד תהלתו בפי:	2. *Benedicam DOMINO in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.*	2. Benedicam DOMINUM in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.
ביהוה תתהלל נפשי ישמעו ענוים וישמחו:	3. *In DOMINO laudabitur anima mea, audient manſueti, & lætabuntur.*	3. In DOMINO laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur.
גדלו ליהוה אתי ונרוממה שמו יחדו:	4. *Magnificate DOMINO mecum, & exaltabimus nomen ejus ſimul.*	4. Magnificate DOMINUM mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.
דרשתי את יהוה וענני ומכל מגורותי הצילני:	5. *Exquiſivi DOMINUM, & reſpondit me (mihi), & ex omnibus pavoribus meis eripuit me.*	5. Exquiſivi DOMINUM, & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

6. Ac-

הביטו אליו ונהרו ופניהם אל יחפרו :	6. *Aſpexerunt ad eum, & confluxerunt, & facies eorum non confundentur.*	6. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.
זה עני קרא ויהוה שמע ו וסכל צרותיו הושיעו :	7. *Iſte afflictus clamavit, & DOMINUS audivit, & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum.*	7. Iſte pauper clamavit, & DOMINUS exaudivit *eum*, & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum.
חנה מלאך יהוה סביב ל ליראיו ויחלצם :	8. *Caſtrametans Angelus DOMINI circum timentibus eum, & eripuit eos.*	8. Immittet Angelus DOMINI in circuitu timentium eum, & eripiet eos.
טעמו וראו בי טוב יהוה אשרי הגבר יחסה בו :	9. *Guſtate, & videte, quoniam bonus DOMINUS, beatus vir, confugiet in eum.*	9. Guſtate, & videte, quoniam ſuavis *eſt* DOMINUS, beatus vir, qui ſperat in eo.
יראו את יהוה קדשיו כי אין מחסור ליראיו :	10. *Timete DOMINUM ſancti ejus, quoniam non defectus timentibus eum.*	10. Timete DOMINUM *omnes* ſancti ejus, quoniam non *eſt* inopia timentibus eum.
כפירים רשו ורעבו ודרשי יהוה לא יחסרו כל טוב :	11. *Leones depauperati ſunt, & eſurierunt, & inquirentes DOMINI non deficient omni bono.*	11. Divites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem DOMINUM non minuentur omni bono.
לכו בנים שמעו לי יראת יהוה אלמדכם :	12. *Ite filii, audite mihi, timorem DOMINI docebo vos.*	12. Venite filii, audite me, timorem DOMINI docebo vos.
מי האיש החפץ חיים אהב ימים לראות טוב :	13. *Quis vir volens vitas? diligens dies ad videndum bonum?*	13. Quis *eſt* homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?
נצר לשונך סרע ושפתיך מרבר מרמה :	14. *Cuſtodi linguam tuam a malo, & labia tua a loquendo dolum.*	14. Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua, ne loquantur dolum.
סור מרע ועשה טוב בקש שלום ורדפהו :	15. *Recede a malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam.*	15. Diverte a malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam.
עיני יהוה אל צדיקים ואזניו אל שועתם :	16. *Oculi DOMINI ad juſtos, & aures ejus ad vociferationem eorum.*	16. Oculi DOMINI ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.
פני יהוה בעושי רע להכרית מארץ זכרם :	17. *Facies DOMINI in factores mali, & ad exſcindendum de terra memoriam eorum.*	17. Vultus *autem* DOMINI ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.
צעקו ויהוה שמע וטבל צרותם הצילם :	18. *Clamaverunt, & DOMINUS audivit, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*	18. Clamaverunt *juſti*, & DOMINUS exaudivit *eos*, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.
קרוב יהוה לנשברי לב ואת דכאי רוח יושיע :	19. *Proximus DOMINUS fractis cordis, & contritos ſpiritus ſalvabit.*	19. Juxta *eſt* DOMINUS his, qui tribulati *ſunt* corde, & humiles ſpiritu ſalvabit.

20.

רבות רעות צדיק ומכלם יצילנו יהוה :	20. *Multa mala juſti, & de omnibus his liberabit eum DOMINUS.*	20. Multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus his liberabit eos DOMINUS:
שמר כל עצמתיו אחת מהנה לא נשברה :	21. *Cuſtodiens omnia oſſa eorum, unum ex illis non confractum.*	21. Cuſtodit *Dominus* omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.
תמותת רשע רעה ושנאי צדיק יאשמו :	22. *Mori faciet injuſtum malum, & oſores juſti delinquent.*	21. Mors peccatorum peſſima, & qui oderunt juſtum, delinquent.
פדה יהוה נפש עבדיו ולא יאשמו כל החוסים בו :	23. *Redimens DOMINUS animam ſervorum ſuorum, & non delinquent omnes confugientes in eum.*	23. Redimet DOMINUS animas ſervorum ſuorum, & non delinquent omnes, qui ſperant in eo.

ANNOTATIONES.

CLementiam divinam mortalium auxiliatricem, preces eorum minime aſpernantem decantat, ſceleratis, & flagitioſis exitus triſtes ſortientibus. Pſalmus eſt artificioſè contextus unoquoque verſu a litera Alphabeti ordine incipiente, excepto Vav, quod deficit, cujus loco ſuffectum eſt in fine pſalmi phe, quod ſine myſterio factum non crederem. Ad hunc ſiquidem modum et pſalmum 25. terminavit. Ibi vide.

1. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. Græcus habet hic ψαλμὸς τῷ δαβίδ. *Cum immutavit*. Idem Hebræus gerundio, ſuo loquendi modo: In mutando illo. *Vultum ſuum*. Non abſurda ſenſus, & non vocis translatio. In vultu ſunt ſigna mentis. Si mens deſipit, ſi ſapit, vultus teſtis. Hebræus: Guſtum ſuum; ſaporem ſuum. Simulavit ſiquidem manibus, & ore ſtultitiam. Hiſtoria nota eſt ex libris Regum. *Coram*. Sic Hebræus ſuo modo: Faciebus; ante. *Abimelech*. Cognomen Regum Gath. Vide Theſaurum. *Dimiſit*. Hebræus: Expulit; ejecit. Parvi momenti variatio. *Abiit*. Pro ſimplici poſitum: Ivit. Inde ſcilicet diſceſſit.

2. *In omni tempore*. Non ſolum proſpero, ſed etiam adverſo.

3. *Laudabitur*. Gloriabitur. Eſt enim verbum reciprocum. *Audiant, Lætentur*. Verba hebræa ſunt propriè futura, quæ transferri poſſunt etiam aliis temporibus, ut in rebus grammaticis dictum eſt: Audient, Lætabuntur.

4. *Dominum*. Idem Hebræus dativo: Domino. *Exaltemus*. Hebræus futuro, ut in ſuperiori verſiculo: Exaltabimus. *In idipſum*. Hebræus: Simul, una.

5. *Exaudivit*. Hebræus: Reſpondit. Quod exauditionis ſignum eſt. *Tribulationibus*. Senſus translatio. Sic Græcus: τῶν θλίψεων. Hebræus: Pavoribus, anxietatibus. Vide 1. Sam 21. 12. Radix hebræa Incolere, & Pavere ſignificat. Hinc Vaticani codex pro θλίψεων, habet τῶν παροικιῶν μου.

6. *Accedite*. Senſus translatio, non verbi. Hebræus præterito: Aſpexerunt. Accedendi gratia. Noſtri vero, mutatis punctis vocalibus, legerunt in imperativo הַבִּיטוּ, aſpicite; ut accedatis. *Et illuminamini*. Etiam hoc, immutatis punctis, legerunt in imperativo וּנְהָרוּ, pro futuro: Et illuminabimini. Hebræus וְנָהָרוּ, Et confluxerunt. Radix hebræa duas habet ſignificationes, fluxionis videlicet,

&lu-

& lucis. Conſule Theſaurum. *Et facies veſtræ.* Mutatis ſuperioribus verbis, neceſſario legerunt Noſtri וּפְנֵיכֶם, quod nunc Hebræis eſt וּפְנֵיהֶם, & facies eorum. *Non confundentur.* Verbum hebræum quidem eſt futurum, ſed ob dictionem אַל negativam, & deprecativam ſimul, transferri poteſt: Ne confundantur; erubeſcant; pudeſcant. Sed hæc omnia nullius fere momenti varietates ſunt.

7. *Pauper.* Hebræus: Afflictus. Radix hebræa Afflictum, miſerum, pauperem, humilem, & hujuſmodi ſignificat. *Exaudivit.* Pro ſimplici poſitum: Audivit. *Eum.* Ad declarationem additum.

8. *Immittet.* Vulgatus fortaſſis alium textum habuit, niſi malles cum Genebrardo, Eclipſim hic eſſe; Auxilium, & præſidium tuum videlicet. Græcus: παρεμβαλεῖ, Caſtrametabitur, caſtra ponet. Hebræus præſenti participio: Aſſidens, caſtra ponens, ut muniat, & acie cingat. Militaris metaphora. *In circuitu.* Hebræus idem ſine prępoſitione: Circum. *Timentium.* Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Timentibus.

9. *Suavis.* Idem prope Hebræus: Bonus. *Qui ſperat.* Hebræus futuro, ſine relativo, quod tamen intelligitur, more linguæ: Confugiet in eum. Vulgatum ſic transferre verbum hoc, ſæpius diximus.

10. *Omnes.* Non habetur in Hebræo: quod nihil refert. *Eſt.* Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Non inopia.* Idem prope Hebræus: Non defectus; nihil deeſt.

11. *Divites.* Senſus translatio. Hebræus: Leones. Vel ſimpliciter, vel per metaphoram, Potentes hujus ſeculi. *Eguerunt.* Idem Hebræus fere: Depauperati ſunt; pauperes effecti ſunt. *Dominum.* Hebræus genitivo: Domini. *Non minuentur.* Non aliter Hebræus, quamvis paullo clarius: Non deficient; Nullum bonum deerit; nulla rerum copia deficiet.

12. *Venite.* Sic Hebræus ſuo modo: Ite. *Me.* Hebręus de more linguæ dativum habet. Et quidem cum dativo verbum hoc non ſimpliciter audire, ſed Obaudire, parere, obtemperare ſignificat. Conſule Theſaurum.

13. *Eſt.* Ex conſequentia ſermonis ſubintellectum. *Homo.* Hebræus: Vir. Quod nihil referre crederem. *Qui vult.* Sic Hebræus participio: Volens, appetens. *Vitam.* Vox hebræa eſt pluralis natura: Vitas. *Diligit.* Hebræus iterum participio: Diligens. *Videre.* Idem Hebræus gerundio: Ad videndum. *Bonos.* Hebræus ſingulariter: Bonum. Eſt autem idem, ſi dicas amare dies, ut videas bonum; & amare dies videre bonos, ut arbitror.

14. *Prohibe.* Senſus translatio. Hebręus: Cuſtodi. Fugiendo malum quodlibet, & proſequendo bonum, timor Domini diſcitur, & acquiritur. *Ne loquantur.* Sic Hebræus ſuo loquendi modo: A loquendo fraudem; ne loquaris dolum.

15. *Diverte.* Diſcede, recede a malo, &c. Accedere a malo, Facere bonum, Quærere, & proſequi pacem, ſunt idiotiſmi noti.

16. *Super.* Hebræus eodem ſenſu: Ad juſtos ſunt oculi, gratia, favor Domini. *In preces.* Hebræus: Ad vociferationem, quam precando fundunt. Nullius momenti varietas. Binos etiam hos idiotiſmos obſerva; nempe oculos eſſe ad aliquem, & aures ad vociferationem ejus.

17. *Autem.* Non habetur in Hebræo. *Super facientes mala.* Hebræus idem: In factores mali. Contra facientes mala ſunt facies, ira, indignatio Dei. Vide Theſaurum. *Ut perdat.* Sic Hebræus gerundio: Ad exſcindendum; perdendum.

18. *Juſti.* Non habetur in Hebræo; ſubintelligendum nihilominus. *Exaudivit.* Pro ſimplici poſitum: Audivit. *Eos.* Additum ad declarationem.

19. *Juxta.* Idem Hebræus nomine: Proximus, vicinus. *Eſt.* Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *His, qui tribulato ſunt corde.* Hebræus participio: Contractis, contritis cordis, corde.

de. *Humiles ſpiritu*. Hebræus: Confractos, contritos ſpiritus; ſpiritu. Nullius fere momenti varietates.

20. *Multæ tribulationes*. Hebræus: Multa mala. Vulgatus fortaſſe legit צָרוֹת pro רָעוֹת: quamvis nullius momenti ſit varietas. *Juſtorum*. Hebræus ſingulariter, collective; quod nihil refert: Juſti. Sic & pronomen *Eos* in Hebræo eſt ſingulare: Eum.

21. *Cuſtodit*. Idem Hebræus participio: Cuſtodiens. *Dominus*. Non habetur in Hebræo; ſubintelligendum nihilominus. *Conteretur*. Hebræus præſenti participio: Contritum, confractum. Supple, eſt. Sed hæc levia.

22. *Mors peccatorum peſſima*. Arbitror, Noſtros, punctis vocalibus immutatis, legiſſe תְּמוּתַת, mors, quod nunc Hebræis verbum eſt, תְּמוֹתֵת, interficiet, mori faciet injuſtum, malum ipſum, malitia. Non magni tamen momenti eſt varietas. *Et qui oderunt juſtum*. Idem Hebræus participio: Et odientes, oſores juſti. *Delinquent*. Culpabuntur. Idem Hebræus. Conſule Theſaurum in radice אשם.

23. *Redimet*. Hebræus præſenti participio: Redimens, continue. *Anima*. Hebræus ſingulariter; quod nihil refert: Animam. *Delinquent*. Culpabiles fient; deſolabuntur. Idem verbum, quod in ſuperiori verſiculo, *Qui ſperant in eo*. Hebræus participio: Confugientes in eum. Verbum hoc ſic a Vulgato transferri, ſæpius dictum eſt.

PSALMUS XXXV. Latin. XXXIV.

לדוד ריבה יהוה את יריבי לחם את לחמי:	1. *Davidi.* *Litiga, DOMINE, cum litigantibus meis, pugna impugnantes me.*	1. *Pſalmus huic* David. Judica DOMINE nocentes me, expugna impugnantes me.
החזק מגן וצנה וקומה ב כעזרתי:	2. *Apprehende clypeum, & haſtam, & exſurge in adjutorium meum.*	2. Apprehende arma, & ſcutum, & exſurge in adjutorium mihi.
והרק חנית וסגור לקראת רדפי אמר לנפשי ישעתך אני:	3. *Et evagina lanceam, & conclude obviam perſequentium me, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.*	3. Effunde frameam, & conclude adverſus eos, qui perſequuntur me, dic animę meę, ſalus tua ego *ſum*.
יבשו ויכלמו מבקשי נפשי יסגו אחור ויחפרו חשבי ר. רעתי:	4. *Confundentur, & ignominia afficientur quærentes animæ meæ, recedent retrorſum, & confundentur, cogitantes mali mei.*	4. Confundantur, & revereantur quærentes animam meam. Avertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala.
יהיו כמוץ לפני רוח ו ומלאך יהוה דחה:	5. *Erunt tanquam acus faciebus venti, & Angelus DOMINI impellens.*	5. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, & Angelus DOMINI coarctans eos.
יהי דרכם חשך וחלקלקות ומלאך יהוה רדפם:	6. *Erit via illorum obſcuritas, & lubricitates, & Angelus DOMINI perſequens eos.*	6. Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus DOMINI perſequens eos.

7. Quo-

כי חנם טמנו לי שחת ר
רשתם חנם חפרו לנפשי :

7. *Quoniam gratis abſconderunt mihi foveam, rete ſuum, gratis foderunt animæ meæ.*

7. Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui, ſupervacue exprobraverunt animam meam.

תבואהו שואה לא ידע ו
ורשתו אשר טמן תלכדו ב
בשואה יפל בה :

8. *Veniet eum* (*ei*) *calamitas, non ſciet, & rete ſuum, quod abſcondit, apprehendet eum, in calamitatem cadet in eam.*

8. Veniat illi laqueus, *quem* ignorat, & captio, quam abſcondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipſum.

ונפשי תגיל ביהוה תשיש
בישועתו :

9. *Et anima mea exultabit in DOMINO, gaudebit in ſalute ejus.*

9. Anima autem mea exultabit in DOMINO, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

כל עצמתי תאמרנה יהוה מי
כמוך מציל עני מחזק ממנו
ועני ואביון מגזלו :

10. *Omnia oſſa mea dicent, DOMINE quis ſicut tu? eripiens afflictum a forti ab eo, & afflictum, & pauperem a diripiente eum?*

10. Omnia oſſa mea dicent, DOMINE quis ſimilis tibi?

Eripiens inopem de *manu* fortiorum ejus, egenum, & pauperem a diripientibus eum.

יקומון עדי חמס אשר לא
ידעתי ישאלוני :

11. *Surgent teſtes injuriæ, quæ non novi, interrogabant me.*

11. Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.

ישלמוני רעה תחת טובה
שכול לנפשי :

12. *Retribuent me* (*mihi*) *malum ſub bono, orbitatem animæ meæ.*

12. Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.

ואני בחלותם לבושי שק
עניתי בצום נפשי ותפלתי ב
על חיקי תשוב :

13. *Et ego in infirmari eorum, veſtimentum meum ſaccus, affixi in jejunio animam meam, & oratio mea ſuper ſinu meo redibit.*

13. Ego autem, cum *mihi* moleſti eſſent, induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo convertetur.

כרע כאח לי התהלכתי כ
כאבל אם קדר שחותי :

14. *Quaſi proximus, quaſi frater mihi inceſſi, quaſi lugens matris atratus depreſſus ſum.*

14. Quaſi proximum, quaſi fratrem meum, *ſic* complacebam, quaſi lugens, & contriſtatus, *ſic* humiliabar.

ובצלעו שמחו ונאספו נ
באספו עלי נכים ולא ידעתי
קרעו ולא דמו :

15. *Et in claudicatione mea lætati ſunt, & convenerunt, congregati ſunt ſuper me verberones, & non cognovi, proſciderunt, nec quieverunt.*

15. Et adverſum me lætati ſunt, & convenerunt, congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi.

Diſſipati ſunt, nec compuncti, 16. tentaverunt, ſubſannaverunt *me* ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.

בחנפי לעגי מעוג חרק ע
עלי שנימו :

16. *In hypocritis ſubſannantium ſubcinericii, frendere ſuper me dentibus ſuis.*

ארני כמה תראה השיבה נ נפשי משאיהם מבפירים י יחידתי :	17. *Domine quantum videbis ? redire fac animam meam a deſolantibus eorum , a leonibus unicam meam .*	17. Domine , quando reſpicies ? reſtitue animam meam a malignitate eorum , a leonibus uuicam meam .
אודך בקהל רב בעם עצום אהללך :	18. *Confitebor te in eccleſia multa , in populo forti laudabo te .*	18. Confitebor tibi in ecclefia magna , in populo gravi laudabo te .
אל ישמחו לי איבי שקר שנאי חנם יקרצו עין :	19. *Non gaudebunt mihi hoſtes mei falſo , oſores mei gratis annuent oculo .*	19. Non ſupergaudeant mihi , qui adverſantur mihi inique , qui oderunt me gratis , & annuunt oculis .
כי לא שלום ידברו ועל רגעי ארץ דברי מרמות י יחשבון :	20. *Quoniam non pacem loquentur , & ſuper ſciſſuris terræ verba fraudum cogitabunt .*	20. Quoniam mihi *quidem* pacifice loquebantur , & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant .
וירחיבו עלי פיהם אמרו ה האח האח ראתה עינינו :	21. *Et dilataverunt ſuper me os ſuum , dixerunt euge , euge , vidit oculus noſter .*	21. Et dilataverunt ſuper me os ſuum , dixerunt euge , euge , viderunt oculi noſtri .
ראיתה יהוה אל תחרש אדני אל תרחק ממני :	22. *Vidiſti DOMINE , ne ſurdeſces , Domine , ne elongaberis a me .*	22. Vidiſti DOMINE , ne ſileas Domine , ne diſcedas a me .
העירה והקיצה למשפטי א אלהי וארני לריבי :	23. *Expergiſcere , & excitare judicio meo , Dii mei , & Dominus meus cauſæ meæ .*	23. Exſurge , & intende judicio meo , Deus meus , & Dominus meus in cauſſam meam .
שפטני כצרקך יהוה אלהי ואל ישמחו לי :	24. *Judica me ſecundum juſtitiam tuam DOMINE Dii mei , & non gaudebunt mihi .*	24. Judica me ſecundum juſtitiam tuam DOMINE Deus meus , & non ſupergaudeant mihi .
אל יאמרו בלבם האח נפשנו אל יאמרו בלענוהו :	25. *Non dicent in corde ſuo , euge anima noſtra , non dicent , devoravimus eum .*	25. Non dicant in cordibus ſuis , euge *euge* animæ noſtræ , nec dicant , devorabimus eum .
יבשו ויחפרו יחרו שמחי רעתי ילבשו בשת ובלמה ה המגדילים עלי :	26. *Erubeſcent , & confundentur ſimul gratulantes mali mei , induentur confuſione , & ignominia magnificantes ſuper me .*	26. Erubeſcant , & revereantur ſimul , qui gratulantur malis meis . Induantur confuſione , & reverentia , qui maligna loquuntur ſuper me .
ירנו וישמחו חפצי צרקי ו ויאמרו תמיד יגדל יהוה החפץ שלום עברו :	27. *Ovabunt , & lætabuntur volentes juſtitiæ meæ , & dicent ſemper , magnificabitur DOMINUS volens pacem ſervi ſui .*	27. Exultent , & lætentur , qui volunt juſtitiam meam , & dicant ſemper , magnificetur DOMINUS , qui volunt pacem ſervi ejus .
ולשוני תהגה צרקך כל היום תהלתך :	28. *Et lingua mea meditabitur juſtitiam tuam , tota die laudem tuam .*	28. Et lingua mea meditabitur juſtitiam tuam , tota die laudem tuam .

ANNOTATIONES.

CAlamitoſos homines, quos fata urgent, multis incommodis prementibus docet, ut oculos, animumque ad cælum vertentes, veritatemque exploratam habentes, & ubi verum ſit auxilium, ſentientes, ſalutem ſibi, & hoſtibus excidium precentur. Sententiarum, & diſtinctionum varietates ex te ipſo attendas velim.

1. *Pſalmus huic*. Non habetur in Hebræo; ſubintelligendum nihilominus. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. *Judica Domine nocentes me*. Hebræus idem: Litiga litigantes meos. Contende; cauſſam age contra adverſarios meos, qui contendunt mecum. *Me*. Syntaxis græca, pro Mihi. *Expugna*. Pro ſimplici poſitum: Pugna; dimica.

2. *Arma, & ſcutum*. Hebræus: Scutum, & haſtam. Militares metaphoræ. *Mihi*. Idem Hebræus: Meum. Varietates minimæ.

3. *Effunde frameam*. Hebræus idem fere, ſed addit conjunctionem Et: Et evagina, educ, ſtringe, & vibra lanceam. *Et conclude*. Claude, occlude portas, vel viam. *Adverſus*. Sic Hebræus ſuo modo: Obviam. Dativo caſu. *Eos qui perſequuntur me*. Hebræus participio, & genitivo: Perſequentium me. *Sum*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum.

4. *Confundantur*. Hebræus futuro: Erubeſcent, pudore afficientur. Sæpius diximus, futura verborum hebræorum aliis temporibus transferri poſſe. Sic etiam in ſequentibus. *Revereantur*. Ignominia, dedecore afficientur. *Animam meam*. Hebræus genitivo: Animæ meæ. *Avertantur retrorſum, & confundantur*. Idem Hebræus: Cedent retro, & confundentur. *Mihi mala*. Hebræus ſingulariter, & genitivo, quod nihil refert: Mali mei.

5. *Fiant*. Hebræus idem futuro: Erunt. *Pulvis*. Hebræus: Acus. Vide pſalmum 1. 4. *Ante faciem*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Faciebus venti. Hoc eſt, ante ventum. Conſule Theſaurum. *Coarctans*. Idem Hebræus: Impellens, propellens. *Eos*. Ad declarationem additum.

6. *Fiat*. Hebræus iterum futuro: Erit. *Tenebræ*. Hebræus ſingulariter: Obſcuritas. *Lubricum*. Hebræus idem, ſed pluraliter: Lubricitates. Locus, quo pedes defluunt, qualis glacies, aut petra limpida. Eſſe tamquam acum ante ventum, & viam eſſe lubricitates, Angelumque Domini propellere, & perſequi, ſunt idiotiſmi pulcherrimi, ſed non obſcuri.

7. *Gratis*. Fruſtra; ſine cauſſa; nullis injuriis laceſſiti. *Interitum laquei ſui*. Vox hebraica שַׁחַת eſt quidem interitus, corruptio, ſed eſt item foſſa, vorago, qua quis labitur, interit: Laqueum pernicioſum, mortem afferentem: vel, interitum laqueoſum, laqueis plenum: vel, corruptionem rete ſuo: vel tandem, Foveam, vel ſovea, rete ſuum. Eodem quidem omnia pertinentia ſunt. *Supervacue*. Eadem vox, ut ſupra. Gratis; fruſtra; cum nullam injuriam primus illis intulerim. *Exprobraverunt*. Noſtri, litteris tranſpoſitis, legerunt חֵרְפוּ, quod nunc Hebræis eſt חָפְרוּ, foderunt. Iterat idem. *Animam meam*. Hebræus dativo: Animæ meæ. Metonymia. Mihi, in meam perniciem. Abſcondere foveam, rete, & Fodere alicui, ſunt idiotiſmi noti.

8. *Veniat*. Hebræus futuro: Veniet. *Illi*. Hebræus accuſativo, ſyntaxi propria: Eum. *Laqueus*. Senſus, non vocis translatio. Hebræus: Calamitas, deſolatio. *Quem*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Ignorat*. Hebræus futuro, quod parum refert: Non ſciet, ignorabit. *Captio*. Idem Hebræus; ſed pronomen relativum addit: Rete ſuum; decipula ejus. *Apprehendat*. Sic transferri poteſt futurum hebræum, ut ſæpius diximus: Apprehendet. *Et*. Non habe-

habetur in Hebræo. *In laqueum*. Iterum ſenſus translatio. Hebræus: In calamitatem, in deſolationem, ut ſuperius. Quamvis, ſi conjectare licet, ſuſpicor mendum, Aleph pro Heth ineſſe in hebraica lectione, legendumque in his locis שׁוּחָה, ideſt, ſovea. Veniat illi ſovea, & in ipſam cadat. *Cadat*. Hebræus futuro: Cadet. *In ipſum*. Syntaxis hebræa. Latine: Et in ipſum laqueum cadat.

9. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Delectabitur*. Oblectabitur; gaudium, voluptatem capiet. Hebræus: Gaudebit. *Super ſalutari ſuo*. Sic transfert fere ſemper Vulgatus dictionem hanc. Hebræus idem prope: In ſalute, liberatione, auxilio, defenſione ipſius.

10. *Dicent*. Proſopopœia. *Domine*. Græcus duplicat: Κυριε κύριε. *Quis ſimilis tibi?* Idem Hebræus: Quis ſicut tu? *Inopem*. Afflictum, humilem, inopem vox hebraica deſignat. *Manu*. Ad declarationem additum. *Fortiorum ejus*. Constructio græca. Hebræus ſingulariter, ſuo loquendi modo: A forti a ſe; præ ſe; a fortiore ſe. *Egenum*. Eadem vox, ut ſuperius. Hebræus addit conjunctionem: Et afflictum. *A diripientibus*. Hebræus ſingulariter: A diripiente. Nullius momenti variationes.

11. *Surgentes*. Hebræus futuro: Surgent. Græci codices impreſſi addunt hic μοι, ſed Vaticanus codex Hebræo, & Vulgato concordat. *Iniqui*. Hebræus idem nomine ſubſtantivo: Injuriæ, injuſtitiæ; injurii. *Ignorabam*. Idem Hebræus præterito: Non novi. *Interrogabant*. Hebræus iterum futuro: Interrogabunt. Futura verba, prout ſæpius diximus, aliis temporibus deſerviunt. Sic in ſequentibus.

12. *Retribuebant*. Retribuent, rependent. Vide Theſaurum. *Mihi*. Hebræus accuſativo, ſyntaxi propria: Me. *Mala pro bonis*. Hebræus ſingulariter, quod nihil refert: Malum ſub, pro bono. *Sterilitatem*. Idem Hebræus: Orbitatem, privationem retribuebant animæ meæ. Per zeugma, & metonymice. Retribuere malum ſub bono, & orbitatem alicui, ſunt idiotiſmi pulcherrimi; ut in Theſauro.

13. *Cum moleſti eſſent*. Noſtri, mutatis punctis vocalibus, legerunt בְּחַלּוֹתָם ex ſecunda conjugatione pihel activa; ideſt, in ægrotare facere eorum; quum ægrotare facerent, ægritudinem afferrent; moleſti eſſent. Et ob id de ſuo *Mihi* ad declarationem addiderunt. Nunc Hebræis verbum in prima conjugatione Cal eſt בַּחְלוֹתָם, in infirmari eorum; quum ægrotarent. Hinc duo diverſi fiunt ſenſus, ut videre potes. *Induebar cilicio*. Vulgatus fortaſſe legit, non admodum difficili vocis tranſitu לָבַשְׁתִּי, indui; quod nunc Hebræis eodem ſenſu nomen eſt לְבוּשִׁי, veſtimentum meum (ſupple, erat) ſaccus, cilicium. *Humiliabam*. Præteritum recte ſic transferri poteſt. Hebræus: Afflixi, humiliavi. *Animam meam*. Metonymice. Me ipſum. *In ſinu*. Idem Hebræus: Super ſinu. *Convertetur*. Redibit ad me. Hæc omnia, oratio, jejunium, & afflictio ad me, & in meum ſinum recident.

14. *Proximum. fratrem*. Constructio Græca, pro quaſi proximo, & quaſi fratri. *Complacebam*. Senſus, non verbi translatio. Ei, non ſecus, quam amicus amico, frater fratri, mitem, & placidum me præbebam. Hebræus: Quaſi amicus, quaſi frater mihi (ſupple, eſſent) inceſſi, ambulavi. Triſtis videlicet ob illorum ægritudinem. *Noſtrum*. Hebræus ſingulariter: Mihi; meum. *Sic*. Bis ad declarationem additum. *Lugens*. Hebræus addit Matris; quod gravius ob eam, quam propter patrem ſoleant nati ingemiſcere. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Contriſtatus*. Senſus translatio. Hebræus: Atratus, pullatus. Quod vel color, ſplendorque mœſtos fugiat; vel ob veſtem pullam, quam lugentes ſumunt. *Humiliabam*. Idem Hebræus fere, præterito: Humiliatus, depreſſus, incurvatus ſui. Non maximi momenti varietates.

15. *Adverſum me*. Senſus translatio: Meo damno; meis incommodis. Hebræus clarius: In claudicatione mea; infirmi-

firmitate mea lætabantur. Aliquem claudicare, idiotiſmus eſt pulcherrimus. Conſule Theſaurum. *Flagella.* Vel flagellatores, percuſſores. Vox hebræa utrumque ſignificare poteſt. *Diſſipati ſunt.* Verbum קֹרְעוּ Noſtris eſt ex ſecunda conjugatione paſſiva pohal: Coreù, Diſſipati ſunt; disjecti; proſciſſi inter ſe, in varios maledicendi modos, vel ſententiis diſcordes. Nunc Hebræis eſt ex Cal, Careù, Proſciderunt; os fortaſſis, (ut ſit hyperbole) ob maximum deſiderium obloquendi contra me. Vel; me ipſum, ſi ſpectes eorum deſideria. *Nec compuncti.* Sic interpretari Vulgatum verbum hoc, ſæpius diximus: Non doluerunt; non eos pœnituit; non deſtiterunt a maledictis. Hebræus: Non ſiluerunt, non ceſſarunt. Minimi momenti varietas.

16. *Tentaverunt me.* Suſpicor, Noſtros, non penitus difficili vocis tranſitu, legiſſe בְּחָנוּנִי, Tentaverunt, probaverunt me; quod nunc Hebræis eſt בְּחַנְפֵי, inter hypocritas, ſimulatores: niſi malles, eos ſenſum reſpexiſſe tantummodo; nam tentatio proprie cum ſimulatione fit. *Subſannaverunt.* Etiam hic, facili mutatione Jod in Vav, legerunt לָעֲגוּ, quaſi verbum eſſet, & *me* de ſuo ad declarationem addiderunt. Niſi malles, eos potius legiſſe cum affixo לֹעֲגַי, ſubſannatores mei; quod nunc Hebręis eſt in regimine לַעֲגֵי, ſubſannatores. *Subſannatione.* Hebræus genitivo: Subcinericii. Dictio hebræa eſt æquivoca. Conſule Theſaurum. *Frenduerunt.* Hebræis eſt infinitivus, qui diverſimode transferri poteſt: Frendere; frendendo. Hypocritę ſubſannantium ſubcinericii, ſunt, qui piorum pœnitentias, & afflictiones derident.

17. *Quando reſpicies.* Non longe aliter Hebræus: Quantum (ſupple, temporis) videbis? Idiotiſmus. Ideſt, quanto tempore iſta feres? *Reſtitue.* Idem Hebræus: Redire fac. *A malignitate.* Senſus translatio. Hebræus: A deſolantibus: vel, a deſolationibus, calamitatibus, quæ mihi malignitate eorum proveniunt. *Unicam.* Animam. Sic ſuperius pſal. 22. 21.

18. *Magna.* Idem Hebræus: Multa; copioſa; frequenti concione. *Gravi.* Hebræus: Forti, robuſto. Eſt autem hebraiſmus, pro, frequenti, & multo. Vide Theſaurum.

19. *Non ſupergaudeant mihi.* Hebræus futuro: Non gaudebunt mihi; ſuper me; de me. *Qui adverſantur mihi.* Idem Hebræus: Hoſtes, inimici mei. *Inique.* Hebræus: Falſo. *Qui oderunt me.* Hebræus præſenti: Oſores mei. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Annuunt oculis.* Hebræus futuro verbo, & nomine ſingulari profert; quod parum referre crederem: Annuent oculo.

20. *Mihi.* Noſtri legerunt לִי, mihi, facillimo vocis tranſitu; quod nunc Hebræis eſt לֹא, non. *Quidem.* Additum ab interprete; quod parum, vel nihil refert. *Pacifice.* Idem Hebræus, quamvis nomine: Pacem. *Loquebantur.* Sæpius diximus, futura aliis etiam temporibus transferri poſſe: Loquentur. *In iracundia.* Cenſeo, & hic mendum ineſſe in ſcriptura. Noſtri videntur legiſſe, & ſuper רִגְזֵי, iracundiis; vel certe רֹגֶז, ſuper iracundia, furore terræ: ideſt; quando homines ſunt in tumultibus; bellis; jurgiis. Hanc eamdem dictionem ſimiliter eos legiſſe, & interpretatos fuiſſe, ſæpius pſalmo 30. 6. vidimus. Confer locos. Nunc Hebræis eſt, ſuper רִגְעֵי, ſciſſuris, rimis terræ; ut terram proſcindant: homines ſcilicet vexent, & lacerent. Aliorum etiam expoſitiones vide, & conſule Theſaurum. Græci codices impreſſi legunt hic: Καὶ ἐπ' ὀργὴν δόλους διελογίζοντο. ſed Vaticanus Vulgato concordans habet: Καὶ ἐπ' ὀργῇ τῆς γῆς δόλος διελογίζοντο. *Loquentes.* Mutato Hirec in Holem, Noſtri legerunt דֹּבְרֵי, loquentes fraudium; fraudes; dolos, quod nunc Hebræis eſt דִּבְרֵי, Verba fraudium; fraudulenta, doloſa. *Cogitabant.* Hebræus futuro: Cogitabunt.

21. *Viderunt oculi noſtri.* Hebreus ſingulariter, quod parum refert: Vidit oculus noſter, quod optavimus. Dilatare ſuper aliquem os; dicere euge euge;

ocu-

Oculos videre, ſunt idiotiſmi pulcherrimi, ſed non obſcuri.

22. *Ne ſileas*. Idem Hebræus futuro: Ne ſurdeſces, ne ſurdum te præbeas, ſicque diſſimulans non concurras opem ferens. *Ne diſcedas*. Hebræus futuro: Ne elongaberis; propinquus aſſiſtas. Nullius momenti varietas.

23. *Exſurge, & intende*. Non longe ſecus habet Hebræus: Expergiſcere, & excitare, ne diſſimules. Sunt duo ſynonyma. Græcus habet hic ἐξεγέρθητι κύριε, quam vocem nec Hebræus, nec Vulgatus agnoſcit. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Dii mei. Expergiſci, & excitari judicio, & cauſæ alicujus, eſt idiotiſmus pulcherrimus. Ut eam ſcilicet defendas, & protegas.

24. *Judica me*. Græcus iterum hic addit Κύριε, ſed Vaticani codex Hebræo, & Vulgato concordat. *Deus meus*. Hebræus pluraliter: Dii mei. *Supergaudeant*. Hebræus ſimplici, & futuro: Non gaudebunt mihi; de me.

25. *Dicant*. Hebræus futuro: Dicent. *In cordibus*. Hebræus ſingulariter, quod nihil refert: In corde ſuo. Dicere in corde, eſt idiotiſmus notus, pro cogitare. *Euge*. Secundum non habetur in Hebræo. *Animæ noſtræ*. Dativi caſus: Lætitia, alacritas maxima eſt animæ noſtræ. Hebræis eſt exhortantis oratio: Euge anima noſtra. Non magni momenti varietas. *Nec dicant*. Hebræus negativam ſolam habet particulam: Ne dicent. *Devorabimus*. Hebræus idem, ſed præterito: Devoravimus, deglutivimus; præripiunt animo prædam; deliberant jam de mea calamitate.

26. *Erubeſcant, & revereantur. Induantur*. Hebræus futuro: Erubeſcent, confundentur; pudore, ignominia induentur. *Qui gratulantur malis meis*. Hebræus participio, & ſingulariter: Gratulantes mali mei. Sed hoc parum, vel nihil refert. *Reverentia*. Dedecore, ignominia. *Qui maligna loquuntur*. Suſpicor, mendum ineſſe in ſcriptura, & legendum eſſe ad Græcam μεγαλοῤῥημονοῦντες, magna loquentes, ideſt ſuperba, minitando, graviterque fremendo. Hebræus itidem participio: Magnificantes ſuper me; Qui grandeſcunt, magnificant, intumeſcunt; attollunt ſeſe; majores fiunt. Vide etiam pſalmum 38. 17.

27. *Exultent, & lætentur*. Idem Hebræus futuro: Ovabunt; jubilabunt; lætabunturque. *Qui volunt juſtitiam meam*. Hebræus participio: Volentes juſtitiæ meæ. Qui cupiunt videre æquitatem meam; jus meum; innocentiam meam. *Dicant. Magnificetur*. Sic Hebræus futuro: Dicent, magnificabitur. *Qui volunt*. Fortaſſis & hic legerunt Noſtri חפצי, pluraliter, quemadmodum & ſuperius, Qui volunt juſtitiam meam: ſed nunc Hebræis eſt ſingulare, & ad Deum refertur: Volens; Qui vult pacem, ſalutem, conſervationem ſervi ſui. *Ejus*. Hebræus: Sui. Pronomina hebræa diverſimode transferri poſſunt, ut in grammaticis rebus dictum eſt.

28. *Meditabitur*. Loquetur. Pro intelligentia verbi hujus, conſule Theſaurum.

PSAL-

PSALMUS XXXVI. Latin. XXXV.

למנצח לעבד יהוה לדוד:	1. *Præfecto, ſervo DOMINI, Davidi.*	1. In finem, ſervo DOMINI, *ipſi* David.
נאם פשע לרשע בקרב לבי אין פחד אלהים לנגד עיניו:	2. *Dictum prævaricationis injuſto, in medio cordis mei, non timor Deorum oppoſito oculorum ejus.*	2. Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo, non *eſt* timor Dei ante oculos ejus.
כי החליק אליו בעיניו למצא עונו לשנא:	3. *Quoniam blanditus eſt ſibi in oculis ſuis, ad inveniendum iniquitatem ſuam, ad odiendum.*	3. Quoniam doloſe egit in conſpectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.
דברי פיו און ומרמה חדל להשכיל להיטיב:	4. *Verba oris ejus iniquitas & dolus, ceſſavit ad intelligendum, ad benagendum.*	4. Verba oris ejus iniquitas, & dolus, noluit intelligere, ut bene ageret.
און יחשב על משכבו יתיצב על דרך לא טוב רע לא ימאס:	5. *Iniquitatem cogitabit ſuper cubili ſuo, aſtabit ſuper via non bona, malum non reprobabit.*	5. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit *omni* viæ non bonæ, malitiam *autem* non odivit.
יהוה בהשמים חסדך אמונתך עד שחקים:	6. *DOMINE in cælis pietas tua, veritas tua uſque ad æthera.*	6. DOMINE in cælo miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes.
צדקתך בהררי אל משפטיך תהום רבה אדם ובהמה תושיע יהוה:	7. *Juſtitia tua ſicut montes Dei, judicia tua abyſſus multa, hominem, & jumentum ſalvabis DOMINE.*	7. Juſtitia tua ſicut montes Dei, judicia tua abyſſus multa. Homines, & jumenta ſalvabis DOMINE,
מה יקר חסדך אלהים ובני אדם בצל כנפיך יחסיון:	8. *Quam pretioſa pietas tua Dii, & filii hominis in umbram alarum tuarum confugient.*	8. quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt.
ירוין מדשן ביתך ונחל עדניך תשקם:	9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos.*	9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.
כי עמך מקור חיים באורך נראה אור:	10. *Quoniam tecum fons vitarum, in lumine tuo videbimus lumen.*	10. Quoniam apud te *eſt* fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.
משוך חסדך לידעיך וצדקתך לישרי לב:	11. *Protrahe pietatem tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam rectis cordis.*	11. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam his, qui recto *ſunt* corde.
אל תבואני רגל גאוה ויד רשעים אל תנדני:	12. *Non veniet me (mihi) pes ſuperbiæ, & manus injuſtorum non movebit me.*	12. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me.

13. Ibi

שם נפלו פעלי און דחו ולא יכלו קום:	13. *Ibi ceciderunt operantes iniquitatis, impulſi ſunt, nec potuerunt ſurgere.*	13. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.

ANNOTATIONES.

Quis finis, præmiumque pietatis, & impietatis ſit, Dei patientiam interim, & in omnia benignitatem extollens, eleganter, & oratione poetica per quam ornata deſcribit. Non multum variat in ſententiarum diſtinctionibus ab Hebræo Vulgatus, ut videre potes.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto. De qua dictione ſuperius dictum eſt. *Servo*. Lamed ſervit dandi, & gignendi caſui, ut in Grammatica dictum eſt: Servi Domini. Idem ſenſus. Græcus τῷ παιδί. Vaticanus autem τῷ δούλῳ. Vox hebræa ſervum, famulum, cultorem, & hujuſmodi ſignificat. Vide Theſaurum. *Ipſi*. Ad exprimendum dativi caſum, ad litum. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra.

2. *Dixit*. Hebræis eſt pahul, vel nomen, quod nihil refert: Dictum. *Injuſtus &c.* Arbitror, Noſtros nonnullis immutatis, & præcipue punctis vocalibus, ſic totum verſiculum legiſſe: נְאֻם פֶּשַׁע לָרָשָׁע אוֹ לְרֶשַׁע בְּקֶרֶב לִבּוֹ, dicit prævaricator, injuſtus impietati, vel ad impie agendum in medio cordis ſui, in ſemetipſo. Nunc Hebræus ſatis eleganter poetice dat locutionem prævaricationi, legens: Dictum prævaricationis injuſto; ad injuſtum, in medio cordis mei. Supple, eſt. Ideſt, ſcio, quid prævaricatio dictet injuſto, quippe qui recogitem, timorem Dei non eſſe ante oculos ejus. Utra lectio potior ſit, alii dijudicent, cum neutra mihi ſatis in omnibus adhuc faciat propter nonnullas difficultates. Verum de hoc alibi. *Eſt*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia. *Ante oculos ejus*. Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Oppoſito oculorum ejus. Divinam negantibus providentiam timor Dei nullus eſt.

3. *Doloſe egit*. Hebræus idem fere: Blanditus, adulatus eſt. Blandis, adulationibus egit, impius ipſe videlicet, ut aliis placet; vel certe, ut mihi videtur, prævaricatio ipſa, impietas. Addit autem Hebræus pronomen Ad eum, vel ad ſe (nam pronomina diverſimode poſſunt accipi, ut in grammaticis rebus dictum eſt), ſibi: quod referre non parum crederem. *In conſpectu ejus*. Idem Hebræus: In oculis ejus; Dei. Vel certe; ſuis. *Ut inveniatur iniquitas ejus*. Non ſecus Hebræus gerundio activo: Ad inveniendum; ut inveniat vel ipſemet, vel quivis alius, iniquitatem ejus, vel ſuam. *Ad odium*. Hebræus gerundio profert, quod idem eſt: Ad odiendum; odio habendum. Ut Deus, vel ipſemet iniquitatem hanc odio habeat, & faſtidiat. Vel certe, ut inveniat iniquitatem ipſam, ad odiendum Deum, dum negat illius providentiam in homines. Sententia hebræa verbis quidem eſt clara, ſed intelligentia ſatis obſcura, de qua fuſius alibi pertractabimus.

4. *Noluit*. Hebræus: Ceſſavit; abſtinuit. Nullius fere momenti varietas. *Intelligere*. Idem Hebræus gerundio: Ad intelligendum. *Ut bene ageret*. Hebræus per appoſitionem ſimpliciter legit: Ceſſavit ad intelligendum; ad bene agendum: quod notandum eſt.

5. *Meditatus eſt*. Idem Hebræus, ſed futuro: Cogitabit. *In*. Hebræus: Super: quod idem eſt. *Aſtitit*. Hebræus iterum futuro: Aſtabit; ſe collocabit. *Omni*. Non habetur in Hebræo; quod parum, vel nihil refert: quamvis ego ſuſpicer, Noſtros tranſitu vocis non difficillimo legiſſe כל, quod nunc Hebræis eſt על, ſuper. *Viæ non bonæ*. Idem Hebræ-

S bræ-

bræus ablativo: Super via non bona. Collocare ſe ſuper via non bona, eſt omnia ſcelerum, & libidinum genera perſequi. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Malitiam non odivit*. Hebræus futuro: Malum, malitiam non reprobabit; non ſunt ei inviſa malefacta. Minima varietas.

6. *Miſericordia tua*. Sępius diximus Vulgatum ſic transferre vocem Hebraicam חֶסֶד, quę pietatem, beneficium, benignitatem ſignificat. *In cælo*. Vox hebręa eſt pluralis natura: In cęlis; uſque in cęlum. Hęc, ait, benignitas, eo uſque larga, copioſaque eſt, ut in cælum uſque perveniat. Verba ſunt Vatis. Mihi tamen injuſti potius verba ſunt illa, quę Davides a principio dixerat, pręvaricationem injuſto ſuggerere, quippe qui credat, Deum hęc inferiora non curare, cujuſque benignitas tantum in cęlo ſe extendat, & nequaquam in hęc inferiora influat. *Et*. Non habetur in Hebręo. *Uſque ad nubes*. Vel uſque ad ęthera. Vox Hebręa quid ſignificet proprie, non ſatis certum eſt. Conſule Theſaurum. Veritas, ait, fides, ſtabilitas, conſtantia tua in conſervandis creaturis tanta eſt, tam larga, profuſaque, ut uſque ad nubes, ad ęthera procedat. Vel certe, ut mihi videtur: Veritas tua tantum ad nubes ipſas, ad ęthera exporrigitur, inferiora non curans.

7. *Sicut montes Dei*. Juſtitia tua, ait, tanta eſt, tam vaſta, longe, lateque eminens, ut montes editiſſimos ęquet; inſtar etiam abyſſi: ad abyſſum uſque procedit magnitudo judiciorum tuorum. Vel ſecundum aliam intelligentiam: Sicut montes Dei, proceriſſimi, (nomen Dei inſervit exaggerationibus, ut in Theſauro) alta eſt juſtitia tua; incomprehenſibilis: inſtar etiam abyſſi judicia tua ſunt impenetrabilia: nihil ad nos juſtitia, vel judicia tua pertinent. *Homines, & jumenta*. Hebręus ſingulariter, ſed collective, quod idem eſt: Hominem, & jumentum; brutum, ait, ſalvabis; conſervabis; ales; nutries. Vel uno & eodem modo ſalvas omnes; curam babes de animantibus tam ratione pręditis, quam rationis expertibus, per ſecundas videlicet cauſas, non per te ipſum, cum providentia tua extra cęlorum limites ſe non extendat, quorum influentiis hęc inferiora tradidiſti. Summa. Eadem ratione, & via curas bomines, qua & bruta. Sed horum providentiam particularem te non habere certum eſt: ergo nec Virorum. Hactenus injuſtorum ſententia, quę Dei providentiam in homines negare conatur. Hanc Vates in ſequentibus refellit.

8. *Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam*. Senſum, non verbum tranſtulit Vulgatus. De חֶסֶד autem, quam miſericordiam transfert, ſæpius dictum eſt. Hebræus: Quanta, quam pretioſa pietas tua; quam excellenti præditus es benignitate, qua hominum genus eximia caritate complecteris, nos amplectens, fovens præter opinionem injuſtorum, qui providentiam tuam e terris adimunt. Nos vero contra tuam benignitatis magnitudinem admirati, exclamamus, non eſſe inanem ſpem noſtram; nos ſperare ſalutem ejus, qui velit, & poſſit nos ſervare. *Hominum*. Hebræus ſingulariter, collective: Homines; Adam. *In tegmine*. Senſus translatio. Hebræus: In umbram. Qua tegimur, & protegimur. *Sperabunt*. Hebræus: Confugient. Spe repleti videlicet. Sic transferre Vulgatum verbum hoc, ſæpius diximus.

9. *Voluptatis tuæ*. Hebræus pluraliter, quod non multum referre crederem: Deliciarum tuarum. Inebriari, ſaturari de pinguedine domus, & potari fluminibus deliciarum, ſunt idiotiſmi pulcherrimi, & metaphoræ perquam elegantes de deliciis, & voluptatibus cæleſtibus, de fonte vitæ, & de lumine, ut mox babes, tantum hominibus ex benignitate Dei aſſequentibus, quantum optare vix licuiſſet.

10. *Apud te*. Sic Hebræus: Tecum. *Eſt*. Subintellectum ex termonis conſequentia. *Vitæ*. Vox hebræa eſt pluralis natura: Vitarum. *Et*. Non habetur in hebræo.

11. *Prætende miſericordiam*. Sic He-

Hebræus: Trahe; protrahe; extende pietatem tuam, non uſque ad cælos tantum, ut impiorum eſt opinio, ſed uſque ad eos, qui te norunt, tuam benignitatem. *His qui recto ſunt corde*. Idem Hebræus dativo: Rectis cordis; corde.

12. *Veniat*. Hebræus futuro: Veniet. *Mihi*. Hebræus accuſativo, ſyntaxi propria: Me. *Peccatoris*. Hebræus pluraliter, quod parum vel nihil referre crederem: Injuſtorum, impiorum. *Moveat*. Hebræus iterum futuro: Movebit; agitabit me. Pedem ſuperbiæ venire alicui, & Manum injuſtorum dimovere eum, ſunt idiotiſmi pulcherrimi, pro In pravas opiniones trahere, & a recta ſententia dimovere.

13. *Ibi*. In hanc pravam opinionem cadit quiſquis de Deo, ejuſque providentia non recte ſentit. Genebrardus: In eo ſeculo, vel In gehenna exponit; quod eſt coactius. *Qui operantur iniquitatem*. Sic Hebræus participio: Operantes iniquitatis. *Expulſi*. Hebræus: Impulſi ſunt; a pravis opinionibus agitati. *Stare*. Conſiſtere. Hebræus: Surgere. Non valent has iniquas de Deo opiniones expellere. Minima varietas.

PSALMUS XXXVII. Lat. XXXVI.

לדוד אל תתחר במרעים אל תקנא בעשי עולה׃	1. *Davidi.* *Ne iraſcèris in maleficos, ne zelabis in facientes iniquitatis.* א	1. *Pſalmus ipſi* David. Noli æmulari in malignantibus, *neque* zelaveris facientes iniquitatem.
כי כחציר מהרה ימלו וכירק דשא יבלון׃	2. *Quoniam tanquam gramen velociter ſuccidentur, & quemadmodum olus herbæ decident.*	2. Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & tanquam olera herbarum *cito* decident.
בטח ביהוה ועשה טוב שכן ארץ ורעה אמונה׃	3. *Confide in DOMINO, & fac bonum, inhabita terram, & paſcere fidem.* ב	3. Spera in DOMINO, & fac bonitatem, *&* inhabita terram, & paſceris in divitiis ejus.
והתענג על יהוה ויתן לך משאלות לבך׃	4. *Et delectare ſuper DOMINO, & dabit tibi petitiones cordis tui.*	4. Delectare in DOMINO, & dabit tibi petitiones cordis tui.
גול על יהוה דרכך ובטח עליו והוא יעשה׃	5. *Revolve ſuper DOMINUM viam tuam, & confide ſuper eo, & ipſe faciet.* ג	5. Revela DOMINO viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.
והוציא כאור צדקך ומשפטיך כצהרים׃	6. *Et educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicia tua tanquam meridiem.*	6. Et educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum tanquā meridiem.
דום ליהוה והתחולל לו אל תתחר במצליח דרכו באיש עשה מזמות׃	7. *Sile DOMINO, & affligere ei, ne iraſcèris in proſperante via ſua, in viro faciente ſcelerum.* ד	7. Subditus eſto DOMINO, & ora eum. Noli æmulari in eo, qui proſperatur *in* via ſua, in homine faciente injuſtitias.
הרף מאף ועזב חמה אל תתחר אך להרע׃	8. *Remitte ab ira, & derelinque furorem, ne iraſcèris tantùm ad male agendum.* ה	8. Deſine ab ira, & derelinque furorem, noli æmulari, ut maligneris.

כי מרעים יכרתון וקוי יהוה
המה יירשו ארץ :

9. Quoniam malefici exſcindentur, ſuſtinentes autem DOMINI ipſi hæreditabunt terram.

9. Quoniam, qui malignantur, exterminabuntur, ſuſtinentes autem DOMINUM, ipſi hæreditabunt terram.

ועוד מעט ואין רשע ו
והתבוננת על מקומו ואיננו :

ו *10. Et adhuc parum, & non injuſtus, & conſiderabis ſuper loco ejus, & non ipſe.*

10. Et adhuc puſillum, & non *erit* peccator, & quæres locum ejus, & non invenies.

וענוים יירשו ארץ והתענגו
על רב שלום :

11. Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur ſuper multitudine pacis.

11. Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

זמם רשע לצדיק וחרק עליו
שניו :

ז *12. Cogitans injuſtus juſto, & ſtridens ſuper eum dentibus ſuis.*

12. Obſervabit peccator juſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.

אדני ישחק לו כי ראה כי
יבוא יומו :

13. Dominus irridebit ei, quoniam vidit, quod veniet dies ejus.

13. Dominus *a tem* irridebit eum, quoniam proſpicit, quod veniet dies ejus.

חרב פתחו רשעים ודרכו ק
קשתם להפיל עני ואביון ל
לטבות ישרי דרך :

ח *14. Gladium aperuerunt injuſti, & calcarunt arcum ſuum, ad dejiciendum afflictum, & pauperem, ad mactandum rectos cordis.*

14. Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum ſuum.

Ut dejiciant pauperem, & inopem, ut trucident rectos corde.

חרבם תבא בלבם וקשתותם
תשברנה :

15. Gladius eorum veniet in cor eorum, & arcus eorum confringentur.

15. Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum contringatur.

טוב מעט לצדיק מהמון ר
רשעים רבים :

ט *16. Bonum modicum juſto, a copia injuſtorum multorum.*

16. Melius *eſt* modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas.

כי זרועות רשעים תשברנה
וסומך צדיקים יהוה :

17. Quoniam brachia injuſtorum confringentur, & ſubſtentans juſtos DOMINUS.

17. Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem juſtos DOMINUS.

יודע יהוה ימי תמימים ו
ונחלתם לעולם תהיה :

י *18. Noſcens DOMINUS dies perfectorum, & hæreditas eorum ſeculo erit.*

18. Novit DOMINUS dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit.

לא יבשו בעת רעה ובימי
רעבון ישבעו :

19. Non confundentur in tempore mali, & in diebus famis ſaturabuntur.

19. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur,

כי רשעים יאבדו ואיבי יהוה
כיקר כרים כלו בעשן כלו :

20. Quoniam injuſti peribunt, & inimici DOMINI tanquam pretioſitas agnorum defecerunt in fumo, defecerunt.

כ 20.quia peccatores peribũt.

Inimici vero DOMINI mox ut honorificati fuerint, & exaltati, quemadmodum fumus deficient.

ל 21.Mu-

לוה רשע ולא ישלם וצדיק
חונן ונותן׃

ל 21. *Mutuum accipiens injuſtus, & non ſolvet, juſtus autem miſerens, & dans.*

21. Mutuabitur peccator, & non ſolvet, juſtus autem miſeretur, & retribuet.

כי מברכיו יירשו ארץ ו
ומקלליו יכרתו׃

22. *Quia benedicti ejus hæreditabunt terram, maledicti autem ejus exſcindentur.*

22. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei diſperibunt.

מיהוה מצעדי גבר כוננו ו
ודרכו יחפץ׃

מ 23. *A DOMINO greſſus viri aptati ſunt, & viam ejus volet.*

23. Apud DOMINUM greſſus hominis dirigetur, & viam ejus volet.

כי יפל לא יוטל כי יהוה ס
סומך ידו׃

24. *Cum ceciderit, non projicietur, quia DOMINUS ſuſtinens manu ſua.*

24. Cum ceciderit, non collidetur, quia DOMINUS ſupponit manum ſuam.

נער הייתי גם זקנתי ולא
ראיתי צדיק נעזב וזרעו מבקש
לחם׃

נ 25. *Juvenis fui, etiam ſenui, & non vidi juſtum derelictum, & ſemen ejus quærens panem.*

25. Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.

כל היום חונן ומלוה וזרעו
לברכה׃

26. *Tota die miſerens, & mutuo dans, & ſemen ejus benedictioni.*

26. Tota die miſeretur, & commodat, & ſemen illius in benedictione *erit*.

סור מרע ועשה טוב ושכן
לעולם׃

ס 27. *Recede a malo, & fac bonum, & inhabita ſeculo.*

27. Declina a malo, & fac bonum, & inhabita in ſeculum *ſeculi*.

כי יהוה אהב משפט ולא
יעזב את חסידיו לעולם נשמרו
וזרע רשעים נכרת׃

28. *Quia DOMINUS amans judicium, & non derelinquet pios ſuos, ſeculo conſervati ſunt, & ſemen injuſtorum exciſum.*

28. Quia DOMINUS amat judicium, & non derelinquet ſanctos ſuos, in ęternum conſervabuntur, *injuſti punientur*, & ſemen impiorum peribit.

צדיקים יירשו ארץ וישכנו
לעד עליה׃

צ 29. *Juſti hæreditabunt terram, & inhabitabunt æterno ſuper eam.*

29. Juſti *autem* hęreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam.

פי צדיק יהגה חכמה ו
ולשונו תדבר משפט׃

פ 30. *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.*

30. Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.

תורת אלהיו בלבו לא תמעד
אשריו׃

31. *Lex Deorum ejus in corde ipſius, non vacillabit greſſus ejus.*

31. Lex Dei ejus in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus ejus.

צופה רשע לצדיק ומבקש
להמיתו׃

צ 32. *Speculans injuſtus juſto, & quærens ad occidendum eum.*

32. Conſiderat peccator juſtum, & quęrit mortificare eum.

יהוה לא יעזבנו בידו ולא
ירשיענו בהשפטו׃

33. *DOMINUS non derelinquet eum in manu ejus, nec damnabit eum in judicati illius.*

33. DOMINUS *autem* non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum, cum judicabitur illi.

ק 36. Ex-

קוה אל יהוה ושמר דרכו וירוממך לרשת ארץ בהכרת רשעים תראה :	34. *Exſpecta ad DOMINUM, & cuſtodi viam ejus, & exaltabit te ad hæreditandum terram, in exſcindi injuſtos videbis.*	ק	34. Exſpecta DOMINUM, & cuſtodi viam ejus, & exaltabit te, ut hęreditate capias terram, cum perierint peccatores videbis.
ראיתי רשע עריץ ומתערה כאורח רענן :	35. *Vidi injuſtum potentem, & ſe effundentem ſicut indigenam floridum.*	ר	35. Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani.
ויעבר והנה איננו ואבקשהו ולא נמצא :	36. *Et tranſivit, & ecce non ipſe, & quæſivi eum, & non eſt inventus.*		36. Et tranſivi, & ecce non erat, & quęſivi eum, & non eſt inventus *locus ejus*.
שמר תם וראה ישר כי א אחרית לאיש שלום :	37. *Cuſtodi integritatem, & vide rectum, quia extremum viro pacis.*	ש	37. Cuſtodi innocētiam, & vide æquitatem, quoniam *ſunt* reliquiæ homini pacifico.
ופשעים נשמדו יחדו אחרית רשעים נכרתה :	38. *Et prævaricatores exterminati ſunt ſimul, ultimum injuſtorum exſcinditur.*		38. Injuſti autem diſperibunt ſimul, reliquiæ impiorum interibunt.
ותשועת צדיקים מיהוה מ מעוזם בעת צרה :	39. *Salus autem juſtorum a DOMINO, robur eorum in tempore tribulationis.*	ת	39. Salus autem juſtorum a DOMINO, & protector eorum in tempore tribulationis.
ויעזרם יהוה ויפלטם יפלטם מרשעים ויושיעם כי חסו בו :	40. *Et adjuvit eos DOMINUS, & liberavit eos, eruet eos ab injuſtis, & ſalvabit eos, quia confugerunt in eum.*		40. Et adjuvabit eos DOMINUS, & liberabit eos, & eruet eos a peccatoribus, & ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo.

ANNOTATIONES.

BOnorum, & malorum fines explicans, hortatur fideles ad pietatem, & patientiam, proponitque ſalutarem, & plenam veritatis philoſophiam, dignam, quam nulli homines ignorent, in promptuque habeant. Pſalmus eſt artificioſe contextus, alternos verſus habens ſcriptos ordine alphabeti, exceptis Daleth, Caph, & Coph, qui nullum verſum habent ſubſcriptum. Samech vero duos verſus habet ſub ſe, quamvis ſuſpicer, ſecundum ad Ain, quod deficit ab ordine, ſed contractum in primo, ut ſuo dicemus loco, pertinere. Thav inſuper habet Vav præpoſitum: quæ omnia non ſine myſterio facta fuiſſe crederem. Sententiarum diſtinctiones varias ex te ipſo recognoſcas velim.

1. *Pſalmus ipſi*. Non habetur in Hebræo; quod nihil refert. *David*. Dativi, vel genitivi caſus, ut ſupra. In Vulgatis Græcis eſt *ψαλμός τῷ Δαβίδ*, ſed in Vaticano tantum legitur *τῷ δαβίδ*, quod Hebræo concordat. *Noli æmulari*. Non longe ſecus Hebræus futuro: Ne iraſceris, ne ſuccenſeas, ut perdas, vel ut imiteris malos, quod utantur proſpero ſucceſſu. *In malignantibus*. Idem Hebræus: In maleficos; quæ mala ſunt perpetrantes. *Neque zelaveris*. Hebræus

tune

Digitized by Google

ſine conjunctione: Ne zelabis. *Facientes iniquitatem*. Hebræus addit præpoſitionem: In facientes, factores iniquitatis. Indignatio, æmulatio, & zelus ſunt odii, vel amoris ſigna.

2. *Fœnum*. A fine. Idem Hebræus: Gramen. *Areſcent*. Senſus translatio. Hebręus: Succidentur. Succiſa ſane areſcāt, neceſſum eſt. *Olera herbarum*. Hebræus ſingulariter; quod nihil refert: Olus herbæ. *Cito*. Non habetur in Hebræo, ſed ex priori membro ſententiæ ſumptum eſt.

3. *Spera*. Hebræus: Confide. Et qui confidit, ſperat. *Bonitatem*. Idem Hebræus: Bonum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Et paſcêris in divitiis ejus*. Senſus translatio. Hebræus imperativo pro futuro, ſicut & ſuperius: Inhabita, paſcere; Inhabitabis, paſceris fidem; ſtabilitatem: ſolide, & vere: paſcua tua ſecura erunt; erit tibi terra pariens omnia læta, ſecunda, ſtabiliaque. Suſpicor nihilominus, Noſtros facillimo tranſitu litterarum Aleph in He legiſſe הֲמוֹנָה, quæ vox habetur etiam verſu 16., ideſt, copiam, ubertatem, divitias ejus terræ, pro eo quod nunc Hebræis eſt אֱמוּנָה, fidem, ſtabilitatem. Vox inſuper hebræa רְעֵה, habet etiam alios ſenſus, ut in Theſauro dictum eſt.

4. *Delectare*. Hebręus addit conjunctionem Et, quod nihil referre crederem. *In*. Hebræus: Super: quod idem eſt. *Et dabit*. Sic etiam Vaticanus codex habet δώσει σοί In impreſſis vero legitur δώῃ σοί. Dare petitiones cordis, eſt idiotiſmus notus.

5. *Revela Domino*. Forſitan legerunt Noſtri גַּל, Detege, revela, quod nunc, mutato patah in holem, Hebræis eſt גּוֹל, Volve ſuper Dominum. Idem tamen fere ſenſus. Revolvere viam tuam ſuper Dominum, eſt idiotiſmus pulcherrimus, pro Omnes curas vitæ in eum projicere. *Spera in eo*. Hebræus: Confide ſuper eo. Vide ſuperius verſiculum 3.

6. *Judicium tuum*. Legerunt Noſtri מִשְׁפָּטְךָ, ſingulariter, quod nunc Hebræis eſt plurale מִשְׁפָּטֶיךָ, judicia tua. Educere juſtitiam quaſi lumen, & judicia quaſi meridiem, eſt idiotiſmus elegans, non obſcurus. Vide Theſaurum.

7. *Subditus eſto*. Senſus translatio. Hebræus: Tace Domino; ſile; ſer patienter adverſa tacitus, ne qua vox pietate, ac virtute indigna ex te contra Deum audiatur. *Ora eum*. Iterum ſenſus translatio. Niſi malles Noſtros, non penitus difficili vocis tranſitu, legiſſe וְהִתְפַּלֵּל לוֹ pro eo, quod nunc Hebræis eſt וְהִתְחוֹלֵל לוֹ & crucia te ei; affligere; dolorem tibi inferas; tuos gemitus, tua ſuſpiria ſolus Deus audiat; eo preces omnes dirigas, auxilium ejus rogans, qui tempeſtate ſubmota, tenebroſiſque nubibus disjectis, ſerenitatem reddat. *Noli æmulari*. Hebræus ut ſuperius: Ne iraſceris. *In eo qui proſperatur*. Idem Hebræus participio: In proſperante. *In via*. In Hebræo non habetur præpoſitio In; quod nihil refert. *In homine*. Hebræus: In viro. Minima varietas. *Injuſtitias*. Hebræus idem prope genitivo: Scelerum, cogitationum perverſarum. Vaticanus etiam codex habet, ἐν ἀνθρώπῳ ποιοῦντι παρανομίας; ſed in impreſſis legitur παρανομίαν ſingulariter.

8. *Deſine*. Sic Hebræus: Remitte ab ira. *Noli æmulari*. Hebræus ut ſuperius: Ne iraſceris. *Ut maligneris*. Hebræus addens particulam diminutivam, quam valde referre crederem, gerundio profert: Tantum ad male agendum.

9. *Qui malignantur*. Idem Hebræus participio: Malefici; male agentes. *Exterminabuntur*. Non aliter Hebręus: Exſcindentur, ſuccindentur, funditus evertentur. *Dominum*. Hebręus genitivo: Domini.

10. *Puſillum*. Sic Hebręus: Parum; modicum temporis. *Erit*. Subintellectum ex ſermonis conſequentia, ritu linguę. *Peccator*. Sic transferre ſępius vocem רָשָׁע Noſtros, annotavimus. Hebręus: Injuſtus. *Quæres locum ejus*. He-

Hebrǫus ſuo tropo, ſed eodem ſenſu: Intelliges; conſiderabis ſuper loco ejus. *Et non invenies*. Hebrǫus: Et non ipſe. Injuſtus ſcilicet, vel locus ejus. Minima varietas.

11. *In*. Hebrǫus eodem ſenſu habet: Super multitudine.

12. *Obſervabit peccator juſtum*. Hebrǫus prǫſenti tempore ait: Cogitans (quo verbo deſignatur cogitatio improba, malefica, pernicioſa, ut in Theſauro) injuſtus juſto; de juſto. Cogitant injuſti, obſervantque juſtos, quibus inſidiis eos aggrediantur, vitam, & opes eripiant. Nullius fere momenti varietas. *Stridebit*. Hebrǫus iterum prǫſenti: Stridens; frendens adverſus juſtum dentibus ſuis.

13. *Autem*. Non habetur in Hebrǫo. *Eum*. Hebrǫus dativo, ſyntaxi propria: Ei. *Proſpicit*. Idem Hebrǫus, ſed prǫterito: Vidit; proſpexit. Diem alicujus venire, eſt idiotiſmus non ignotus, ut in Theſauro.

14. *Evaginaverunt*. Sic Hebrǫus ſuo tropo, Aperuerunt. *Peccatores*. Ut transferunt Noſtri. Hebrǫus: Injuſti. *Intenderunt*. Idem Hebrǫus ſuo loquendi tropo, conjunctionem Et addens: Et calcarunt arcum. Vide Theſaurum. *Ut dejiciant*. Sic Hebræus gerundio: Ad dejiciendum; ad faciendum cadere. *Pauperem*. Vox hebrǫa pauperem, afflictum, miſerum, & hujuſmodi ſignificat. *Ut trucident*. Hebræus iterum gerundio: Ad mactandum. *Corde*. Sic Hebræus genitivo: Cordis. Aperire gladium, & Calcare arcum, ſunt idiotiſmi noti.

15. *Intret*. Idem Hebræus futuro: Veniet. *In corda*. Hebrǫus ſingulariter, quod nihil refert: In cor. *Confringatur*. Hebrǫus pluraliter, & futuro, nam & arcus plurale eſt: Confringentur.

16. *Melius*. Hebrǫus idem, ſed poſitivo nomine, quod comparativis careat: Bonum. *Eſt*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Super divitias*. Idem Hebrǫus ſuo loquendi modo: A copia; prǫ copia; prǫ ubertate (ſic deſcribunt comparativa) quam diviti;. *Peccatorum multas*. Vulgatus addit Multas divitiis, quod non valde refert. Hebrǫus: Injuſtorum multorum.

17. *Peccatorum*. Ut transferunt Noſtri. Hebrǫus: Injuſtorum. *Confirmat*. Corroborat, ſuſtinet, & fulcit, ut Hebrǫus habet. Brachia conteri, eſt idiotiſmus notus.

18. *Novit*. Hebrǫus idem participio: Noſcens; proſpiciens, curans, providens, favore proſequens. Vide pſalmum 1. 6. *Immaculatorum*. Perfectorum, integrorum. *In æternum*. Sic Hebrǫus dativo: Seculo. Cognoſcere dies alicujus, idiotiſmus, ut in Theſauro.

19. *Malo*. Hebrǫus idem, quamvis regatur a tempore: Mali.

20. *Peccatores*. Hebrǫus: Injuſti. *Mox ut honorificati fuerint, & exaltati*. Suſpicor Noſtros, mutato Jod in Vav, legiſſe כִּיקֹר כָּרוֹם, & putaſſe has dictiones eſſe verba infinitivi temporis, ideſt, Sicut pretio haberi, ſicut exaltari, quǫ Vulgatus in latinum apte vertit: Mox ut in pretio fuerint habiti, honorificati, exaltati. Nunc Hebrǫis ſunt nomina כִּיקַר כָּרִים, ſicut pretioſitas agnorum (ideſt opimum, pinguedo, quǫ in ſacrificiis incendi ſolet) in cineres, ſumumque vadit, ſic celeriter conſumentur injuſti, & in nihilum abibunt. *Deficientes quemadmodum fumus deficient*. Legerunt etiam hic facili tranſitu Beth in Caph כֶּעָשָׁן, quod Hebrǫis nunc verbum ipſum repetentibus, quo celeritas conſumptionis deſignatur, eſt בֶּעָשָׁן. Et ſic habet tota ſententia: Defecerunt in fumo, defecerunt; una cum fumo deficiunt. Non tamen maximi momenti varietates eſſe crederem.

21. *Mutuabitur peccator*. Hebrǫus idem, quamvis prǫſenti tempore: Mutuum accipiens, fœnerans, injuſtus. *Miſeretur, & retribuet*. Hebrǫus iterum participio: Miſerens, & dans, tribuens. Latini codices variant: quidam legunt: Mutuabitur; quidam Mutuatio; quidam Retribuet, vel tribuet; & quidam Tribuit. Nullius momenti variationes.

22. *Benedicentes ei &c.* Noſtri punctis

ctis vocalibus immutatis legerunt active מְבָרְכָיו וּמְקַלְלָיו, quod nunc Hebræi legunt paſſive מְבֹרָכָיו וּמְקֻלָּלָיו, Benedicti, & maledicti ejus. Dei, vel juſti ſcilicet. *Diſperibunt*. Idem Hebræus: Exſcindentur, ſuccidentur.

23. *Apud Dominum*. Clarius ex Græco: παρὰ κυρίου. Idem Hebræus: A Domino. *Greſſus*. Eſt pluralis numeri in Hebræo. *Hominis*. Hebræus: Viri. Quod fortaſſe nonnihil refert. *Dirigetur*. Hebræus præterito, pluraliter profert: Directi; aptati, firmati ſunt. *Volet*. Græci codices impreſſi addunt σφόδρα, ſed Vaticanus Hebræo, & Vulgato concordat. Greſſus aptari, & Viam velle alicujus, ſunt idiotiſmi ſatis noti.

24. *Non collidetur*. Hebræus idem fere: Non projicietur; non impelletur, ut penitus cadat, & collidatur. *Supponit manum ſuam*. Idem Hebræus: Suſtinens, fulciens manu ſua. In vulgatis Græcis habetur: κύριος ἀντιστηρίζει χεῖρα αὐτοῦ, ſed in Vaticano legitur αὐτῷ, Hebræo, & Vulgato conſentientibus.

25. *Junior fui, &c.* Idem Hebręus: Juvenis; puer fui, etiam conſenui; exegi multos vitę annos; multa vidiſſe potui: nunquam tamen vidi juſtum derelictum. *Nec ſemen, &c.* Hebręus legit affirmative: Et ſemen ejus quęrens panem. Quaſi dicat: Nec juſtum, nec filios ejus etiam quęrentes oſtiatim panem, vidi derelictos. Poteſt nihilominus ex uſu linguę negativa particula per zeugma repeti etiam hic, quemadmodum Vulgatus fecit, & neuter ſenſus aſpernandus eſt.

26. *Miſeretur*. Sic Hebręus participio: Miſerens. *Commodat*. Idem Hebręus: Mutuo dans. Gręcus addit hic ὁ δίκαιος, ſed Vaticani codex Hebręo, & Vulgato concordat. *In benedictione*. Sic Hebręus dativo, ſuo loquendi modo: Benedictioni. *Erit*. Non habetur in Hebręo, ſed uſu linguę ſubintelligitur Eſt, vel Erit.

27. *Declina*. Non longe ſecus Hebræus: Recede; diverte. *Seculi*. Ad majorem declarationem additum. *In ſeculum*. Hebręus dativo, ſuo modo: Seculo. In ſeculum inhabita. Imperativus pro futuro.

28. *Amat*. Hebręus participio: Amans, diligens. *Sanctos*. Sic interpretatur Vulgatus vocem hebraicam, ut ſępius diximus: Pios. *In æternum*. Hebręus dativo: Seculo; ęterno. *Conſervabuntur*. Hebręus pręterito profert: Conſervati ſunt. *Injuſti punientur*. Non habetur in Hebręo, ſed fortaſſis additum fuit a Noſtris ex antiquorum traditione. Et quidem arbitror, Davidem dedita opera, ob aliquod myſterium videlicet, ſuppreſſiſſe dimidium verſum, qui inciperet ab Ain; & poſtremam ejus partem vel ipſummet Davidem, eadem myſterii cauſa, vel alios myſteriorum Davidicorum ignaros conjunxiſſe; ne dicam cum aliquibus, verſum a Judęis detractum fuiſſe, cum nulla detractionis hujus exſtet cauſa. Sunt etiam multa in Bibliis Hebraicis, quę ſcribuntur, & non leguntur, ſicut e contra nonnulla ſunt, quę etſi non deſcribantur, ſubintelliguntur nihilominus. Genebrardus putat, Davidem pętermiſiſſe dimidium hunc verſum per ὑφὴ λιτων, quod nollet contaminare ſuum ordinem litterarium, quod quam leve ſit, quis non videt? Noſtrorum ſententia ſic fortaſſe poſſet efferri Hebraice עַוָּלִים נֶעֱנָשׁוּ, Injuſti puniti ſunt; puniuntur. *Impiorum peribit*. Hebręus pręſenti, vel pręterito profert: Injuſtorum ſemen exſcinditur, vel exciſum eſt. Minima varietas.

29. *Autem*. Non habetur in Hebręo. *In ſeculum ſeculi*. Idem Hebręus: Æterno; in ęternum.

30. Os meditari ſapientiam, Linguam loqui judicium, ſunt idiotiſmi noti.

31. *Dei*. Hebręus pluraliter: Deorum. *Et*. Non habetur in Hebręo. *Non ſupplantabuntur greſſus ejus*. Supplantari Noſtris eſt, plantis ſubjici, & ſubſterni, ideſt ſuperari, vinci. Hebręus verbo ſingulari, & nomine plurali, de more linguę, dicit: Non vacillabit greſſus; pedes ejus: ideſt nullus pedum illius va-

vacillabit; luxabitur; non obliquus, laplabundus incedet. Non magni momenti varietas.

32. *Conſiderat peccator juſtum*. Idem prope Hebræus: Speculans, obſervans injuſtus juſtum. Oculos habet ſemper in eum intentos, ſi quid ad perniciem ejus forte idoneum reperiat. *Quærit*. Sic Hebræus participio: Quærens. *Mortificare*. Interficere; morti addicere. Idem Hebræus gerundio: Ad occidendum; ut mori faciat.

33. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *In manibus*. Hebræus ſingulariter, quod nihil refert: In manu. *Cum judicabitur illi*. Vulgatus relativum, quod ad juſtum hebraica lectio refert, ad injuſtum retulit. Niſi malles eum ſyntaxim hebraicam retinuiſſe: Illi; ab illo impio. Vel certe: Cum judicabitur, impersonaliter; quando judicium inferetur illi juſto. Hebræus infinitivo: In judicari ipſius, juſti: cum judicatur; a quovis judice. Nullius momenti variationes.

34. *Exſpecta Dominum*. Hebræus addit præpoſitionem Ad, de more linguæ. *Ut hereditate capias*. Sic Hebræus gerundio: Ad hereditandum, poſſidendum. *Cum perierint peccatores*. Idem prope Hebræus infinitivo: In excindi injuſtos; cum excindentur, ſuccidentur, exterminabuntur injuſti. Exſpectare ad aliquem, cuſtodire viam ejus, exaltare ad hereditandum, & videre in excindi alicujus, ſunt idiotiſmi noti, ſed elegantes.

35. *Impium*. Hebræus: Injuſtum. *Superexaltatum*. Idem fere Hebræus: Fortem, potentem divitiis, opibus, potentia: *Et elevatum*. Non longe aliter Hebræus: Se effundentem, dilatantem, elevantem. *Sicut cedros*. Noſtri facillimo vocis tranſitu videntur legiſſe כְּאֶרֶז, ſicut cedrum, vel כַּאֲרָזִי, ſicut cedros, quod nunc Hebræis eſt כְּאֶזְרָח, tanquam indigenam: quamvis non deſint, qui cedrum, vel laurum interpretentur. Conſule Theſaurum. *Libani*. Legerunt לְבָנוֹן Noſtri, vel certe notiorem metaphoram uſurparunt, quod in monte libano cedri ingentes creſcant. Hebræus: Viridem, virentem indigenam, multa propagine, ingenti familia, multa proſapia.

36. *Tranſivi*. Fortaſſe legerunt Noſtri וָאֶעֱבוֹר, quod nunc Hebræis eſt tertia perſona. וַיַּעֲבוֹר, Et tranſivit, præteriit, velut aura receſſit injuſtus ille. Sed hoc parum, vel nihil referre crederem. *Non erat*. Idem Hebræus pronomine, de more linguæ: Non ipſe. *Locus ejus*. Ad declarationem additum. Hebræus habet tantum: Non eſt inventus. Supple, injuſtus, vel locus ejus.

37. *Innocentiam*. Idem Hebræus: Integritatem, ſimplicitatem, perfectionem. Nomina hebræa ſunt adjectiva, & ſubſtantiva, ſicque transferri etiam poſſet: Obſerva integer, perfecte, & vide æque, recte. *Sunt*. Ex ſermonis conſequentia ſubintellectum. *Reliquiæ*. Idem fere Hebræus ſingulariter: Ultimum, extremum. Poſteritas, & facultates deſignantur. Conſule Theſaurum. *Homini pacifico*. Non ſecus Hebræus: Viro pacis, qui ſectatur pacem.

38. *Injuſti*. Hebræus: Prævaricatores; & ob id injuſti. *Diſperibunt*. Idem Hebræus: Devaſtabuntur, exterminabuntur. *Reliquiæ*. Hebræus ſingulariter: Ultimum, extremum. Poſteritas videlicet, ut ſupra. *Interibunt*. Hebræus præſenti tempore: Excinditur, ſuccidıtur. Nullius momenti varietates.

39. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Protector*. Hebræus: Robur, fortitudo eorum, qua proteguntur: quod parum, vel nihil refert.

40. *Adjuvabit*. Legerunt Noſtri וְיַעְזְרֵם, quod nunc eſt verſum in præteritum וַיַּעְזְרֵם, Et adjuvit. *Liberabit*. Sic etiam hic legerunt וִיפַלְּטֵם, quod Hebræus nunc præterito legit וַיְפַלְּטֵם, Et liberavit eos. *Et*. Non habetur in Hebræo. *A peccatoribus*. Hebræus: Ab injuſtis. *Speraverunt in eo*. Hebræus: Confugerunt in eum. Sic transferre voces רָשָׁע, & חָסָה Vulgatum, ſæpius diximus. Conſule Theſaurum.

PSAL-

PSALMUS XXXVIII. Lat. XXXVII.

מזמור לדוד להזכיר :	1. *Pſalmus Davidi ad rememorandum.*	1. Pſalmus David in rememoratione *die Sabbathi.*
יהוה אל בקצפך תוכיחני ובחמתך תיסרני :	2. *DOMINE ne in furore tuo argues me, & in excandeſcentia tua corripies me.*	2. DOMINE ne in furore tuo arguas me, *neque* in ira tua corripias me.
כי חצך נחתו בי ותנחת ע עלי ידך :	3. *Quoniam ſagittæ tuæ deſcenderunt in me, & deſcendit ſuper me manus tua.*	3. Quoniam ſagittę tuę infixę ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.
אין מתם בבשרי מפני זעמך אין שלום בעצמי מפני חטאתי:	4. *Non integritas in carne mea a faciebus furoris tui, non pax in oſſibus meis a faciebus peccati mei.*	4. Non *eſt* ſanitas in carne mea a facie irę tuę; non *eſt* pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum.
כי עונתי עברו ראשי כמשא כבד יכבדו ממני :	5. *Quoniam iniquitates meæ tranſierunt caput meum, ſicut onus grave gravabuntur a me.*	5. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.
הבאישו נמקו חבורתי מפני אולתי :	6. *Putruerunt, tabie affectæ ſunt cicatrices meæ a faciebus inſipientiæ meæ.*	6. Putruerunt, & corruptę ſunt cicatrices meę, a facie inſipientię meę.
נעויתי שחותי עד מאד כל היום קדר הלכתי :	7. *Curvatus ſum, depreſſus ſum uſque valde, tota die atratus ambulavi.*	7. Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar.
כי כסלי מלאו נקלה ואין מתם בבשרי :	8. *Quoniam ilia mea impleta ſunt putredine, & non integritas in carne mea.*	8. Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non *eſt* ſanitas in carne mea.
נפוגתי ונדכיתי עד מאד שאגתי מנהמת לבי :	9. *Debilitatus ſum, & contritus ſum uſque valde, rugivi a fremitu cordis mei.*	9. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.
ארני נגדך כל תאותי ואנחתי ממך לא נסתרה :	10. *Domine coram te omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus.*	10. Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus.
לבי סחרחר עזבני כחי ואור עיני גם הם אין אתי :	11. *Cor meum gyravit, dereliquit me vis mea, & lumen oculorum meorum, etiam ipſi non mecum.*	11. Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non *eſt* mecum.
אהבי ורעי מנגד נגעי יעמדו וקרבי מרחק עמדו :	12. *Amici mei, & proximi mei ex oppoſito plagæ meæ ſtabunt, & cognati mei de longe ſteterunt.*	12. Amici mei, & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt. Et qui juxta me erant, de

וינקשו מבקשי נפשי ודרשי רעתי דברו הוות ומרמות כל היום יהגו :	13. *Et laqueos tetenderunt quærentes animæ meæ, & inquirentes mali mei locuti ſunt infortunia, & dolos tota die meditabuntur.*	de longe ſteterunt, 13. & vim faciebant, qui quærebant animam meam, Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.
ואני כחרש לא אשמע וכאלם לא יפתח פיו :	14. *Ego autem tanquam ſurdus non audiam, & ſicut mutus non aperiet os ſuum.*	14. Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.
ואהי כאיש אשר לא שמע ואין בפיו תוכחות :	15. *Et fui ſicut vir, qui non audiens, & non in ore ejus redargutiones.*	15. Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non *habens* in ore ſuo redargutiones.
כי לך יהוה הוחלתי אתה תענה אדני אלהי :	16. *Quoniam tibi DOMINE expectavi, tu reſpondebis Domine Dii mei.*	16. Quoniam in te DOMINE ſperavi, tu exaudies *me* Domine Deus meus.
כי אמרתי פן ישמחו לי במוט רגלי עלי הגדילו :	17. *Quia dixi, nequando gaudebunt mihi, in moveri pedem meum ſuper me magnificarunt.*	17. Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi *inimici mei*, & dum commoventur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt.
כי אני לצלע נכון ומכאובי נגדי תמיד :	18. *Quoniam ego claudicationi paratus, & dolor meus coram me ſemper.*	18. Quoniam ego in flagella paratus *ſum*, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.
כי עוני אגיד אדאג מחטאתי :	19. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, ſollicitus ero de peccato meo.*	19. Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.
ואיבי חיים עצמו ורבו שנאי שקר :	20. *Inimici autem mei vivi confirmati ſunt, & multiplicati ſunt odientes me falſo.*	20. Inimici autem mei vivunt, & confirmati ſunt *ſuper me*, & multiplicati ſunt, qui oderunt me inique.
ומשלמי רעה תחת טובה ישטנוני תחת רדפי טוב .	21. *Et qui retribuunt malum pro bono, adverſabuntur mihi, quoniam ſequebar bonitatem.*	21. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.
אל תעזבני יהוה אלהי אל תרחק ממני :	22. *Ne derelinquas me DOMINE Deus meus, ne elongeris a me.*	22. Ne derelinquas me DOMINE Deus meus, ne diſceſſeris a me.
חושה לעזרתי אדני תשועתי :	23. *Propera in adjutorium meum, Domine ſalus mea.*	23. Intende in adjutorium meum, Domine *Deus* ſalutis meæ.

ANNO-

ANNOTATIONES.

QUemlibet ægritudine vexatum ob peccata, neglectum ab amicis, ab inimicis exagitatum, eleganti, & poetica oratione docet, ut bas preces habeat in promptu, oretque ſupplex Deum exorabilem, ut ſe juvet, ſanetque. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In rememoratione*. Idem Hebræus: Ad recordandum, ad commemorandum ea, quæ propter peccata nobis eveniunt. *Die Sabbathi*. Non babetur in Hebræo, ſed fortaſſis additum ad declarationem, quod die Dominica recordari, & in memoriam revocare debeamus, quę mala geſſimus in ea hebdomada, veniamque de illis petere.

2. *Neque*. Hebręus non habet particulam negativam, quod notandum eſt, quamvis ex uſu linguę poſſit intelligi. *Ira tua*. Idem fere Hebręus: Excandeſcentia. *Corripias*. Non longe aliter Hebręus: Corrigas, verbo, vel reipſa; caſtiges. Vide Theſaurum.

3. *Infixæ ſunt mihi*. Senſus translatio. Hebręus: Deſcenderunt, demiſſæ ſunt in me. *Confirmaſti*. Suſpicor, Vulgatum legiſſe facili tranſitu Thav in He, ותניחת, & requieſcere feciſti, & latine confirmaſti. Nunc Hebręis eſt idem verbum cum ſuperiori, quamvis hoc ſit ex conjugatione Cal, illud autem ex Niphal, vel Pihel: Deſcendit. Idem tamen ſenſus. Sagittas, & manum Dei vocat plagas divinitus deſtinatas, vulnera cęlitus illata, nempe morbum, ęgritudines, miſeriam, vexationes, & cruces.

4. *Sanitas*. Idem fere Hebręus: Integritas. *A facie*. Loco præpoſitionis, Propter, frequens eſt in lingua hebræa. Conſule Theſaurum. *Iræ tuæ*. Hebræus neſcio quid gravius: Furoris tui. Sed hoc parum referre crederem. *Pax*. Hebraiſmus: Perfectio, valetudo, ſalus. *Peccatorum meorum*. Hebræus ſingulariter: Peccati mei; quod nihil referre puto.

5. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Super me*. Hebræus: Præ me; ne ferre queam. Minima varietas.

6. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Corruptæ ſunt*. Non ſecus Hebræus: Tabie, ſanie confecta ſunt ulcera propter inſipientiam meam, qui ſapere debuiſſem, & citius ea curare.

7. *Miſer factus ſum*. Senſus translatio. Hebræus: Incurvatus ſum. Corporis depreſſio propter morbum, miſeriam deſignat humanam. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Curvatus ſum*. Idem Hebræus: Depreſſus. Sunt fere ſynonyma hæc duo verba, quamvis nonnibil inter ſe differant. Vulgo eſſer torto, eſſer chino. Vide Theſaurum. *Uſque in finem*. Hebræus fere idem: Uſque valde; vehementer, maxime. *Contriſtatus*. Senſus translatio. Vide ſuperius pſalmum 35. 14. *Ingrediebar*. Non aliter Hebræus: Ambulavi, perrexi. Eſt autem hyperbole magnitudinem doloris exprimens, corporis depreſſione, & mœrore animi.

8. *Lumbi*. Hebræus: Ilia. Nullius momenti variatio. *Illuſionibus*. Metonymia. Hebræus ſingulariter: Deſpectu, ignominia, re contemptibili, ut puta, putredine, abominandaque tabe, propter quam æmulis meis contemptibilis factus, deſpicior, irrideor: ludos, jocoſque ex hac ægritudine ſumunt hoſtes mei, ut non immerito eam illuſionem nuncupare poſſim. *Sanitas*. Non aliter Hebræus: Integritas, perfectio, ut ſupra verſ. 4.

9. *Afflictus ſum*. Hebræus: Relaxatus, debilitatus, & ob id in afflictione poſitus. *Humiliatus ſum*. Hebræus: Contritus, fractus ſum, & hac de cauſa humiliatus. *Nimis*. Idem Hebræus: Uſque valde. Vide verſ. 7.

11. *Conturbatum eſt*. Senſus translatio. Hebræus: Gyravit nunc huc, nunc illuc cor, animus; præ turbatione diſcurrit. *Virtus*. Sic transferre vocem he-

hebręam כֹּחַ Lxxii, ſępius dictum eſt: Vires, robur. *Et ipſum*. Exaggeratio. Etiam lumen ipſum. Hebræus de oculis: Etiam ipſi non ſunt mecum, dicit: & lumen, & oculos præ lacrimis, & ægritudine amiſi. Nullius momenti varietas.

12. *Adverſum me appropinquaverunt*. Suſpicor, lxxii. alium habuiſſe textum, & fortaſſe legerunt כִּנְגֶר קָנִיעוּ בִּעֲמָדוּ vel certe נִגְּשׁוּ, e regione acceſſerunt, & ſteterunt: quod nunc Hebræus legit: E regione plagæ meæ ſteterunt. Stant ex adverſo, procul plagas meas aſpicientes, & propius accedere non audentes *Et*. Non habetur in Hebræo. *Qui juxta me erant*. Vox hebræa vicinum tam loco, & tempore, quam ſanguine ſignificat: Vicini, propinqui, cognati mei longius conſiſtunt.

13. *Vim faciebant*. Suſpicor Vulgatum lapſu facillimo legiſſe וַיְבַקְּשׁוּ, & dure, acriter ſe geſſerunt, vim fecerunt; conabantur vitam mihi eripere, quod nunc Hebræus legit וַיְנַקְּשׁוּ, illaqueabant, inſidias, laqueos ponebant. Parvi momenti varietas. *Mala mihi*. Hebræus ſingulariter: Malum meum; quod nihil refert. *Vanitates*. Arbitror Lxxii interpretes alium habuiſſe textum, & fortaſſe legerunt הֲבָוֹת tranſitu vocum facillimo: Nam hodie Hebræus legit הוֹוֹת, infortunia, res pernicioſas, quod vanitate gravius eſt. Vide etiam pſalmum 52. 9.

16. *Speravi*. Hebræus idem fere, ſed de more linguæ: Tibi, te exſpectavi. Exſpectare animo, quid aliud eſt, quam ſperare? *Exaudies*. Hebræus: Reſpondebis, quod exauditionis ſignum eſſe, ſæpius dictum eſt. *Me*. Ad declarationem additum.

17. *Supergaudeant mihi*. Idem Hebræus: Gaudeant, lætentur mihi, triumphent de me. *Inimici mei, &c.* Non habentur in Hebræo; Sunt autem ad declarationem addita. *Commoventur pedes mei*. Hebræus ſingulariter: Commovetur pes meus; quod nihil refert. Pedem moveri, hebraico tropo ruinam, cladem que deſignat. *Magna loquuti ſunt*. Inflatis buccis res ſuas prædicabunt. Idem fere Hebræus: Super me grandeſcunt, magnificant ſe, & ſua. Vide pſalmum 32. 26., & pſalmum 55. 13.

18. *In flagella*. Hebræus non longe ſecus, quamvis ſingulariter: Claudicationi, propter corporis dolores, flagella, plagas, vulnera paratus ſum.

19. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Cogitabo pro*. Non aliter Hebræus: Pavebo, ſollicitus, anxius ero de peccato meo.

20. *Vivunt*. Vox hebraica participium quidem eſt, ſed vices verbi ſupplere notum eſt. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Super me*. Ad declarationem additum: Contra me, vel pluſquam ego ſunt robuſti, potentes numero, viribus, divitiis. *Inique*. Idem Hebræus: Falſo; odia eorum falſa, iniqua, injuſta.

21. *Qui retribuunt*. Hebręus addit conjunctionem Et. *Mala pro bonis*. Hebræus ſingulariter: Malum ſub, loco, pro bono: quod nihil refert. *Detrahebant*. Hebræus: Adverſabantur. Solent ubique lxxii. nomen hujus radicis שׂטן, ideſt adverſarium, interpretari Diabolum, calumniatorem, ipſumque verbum Calumniari. Sic etiam nunc Græcis eſt *ἐνεδιάβαλον*, calumniabantur. *Quoniam ſequebar bonitatem*. Idem Hebræus: Pro eo quod ſequebar bonum.

22. *Diſceſſeris*. Idem Hebræus: Ne elongaveris, ne procul ſtes, abeas.

23. *Intende*. Hebræus: Propera, feſtina, celeriter adſis. Minima variatio. *Deus*. Non habetur in Hebræo, & hinc factum, ut ſequens nomen in genitivo poſitum ſit, quod non eſt penitus abſurdum ſine illo etiam: Domine ſalus mea, vel ſalutis meæ; cui ſalus mea curæ eſt.

PSAL-

PSALMUS XXXIX. Lat. XXXVIII.

למנצח לידיתון מזמור ל
לדוד :

1. *Præfecto Idithuni pſalmus Davidis.*

1. In finem *pro* Idithun canticum David.

אמרתי אשמרה דרכי מחטוא
בלשוני אשמרה לפי מחסום
בעוד רשע לנגדי :

2. *Dixi, cuſtodiam vias meas, ne peccem in lingua mea.*

Cuſtodiam ori meo clauſtrum, dum adhuc injuſtus eſt *e regione mei.*

2. Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

Poſui ori meo cuſtodiam, dum conſiſteret peccator adverſum me.

נאלמתי דומיה החשיתי מ
מטוב וכאבי נעכר :

3. *Obmutui ſilentio, ſilui a bono, & dolor meus exaſperatus eſt.*

3. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui a bonis; & dolor meus renovatus eſt.

חם לבי בקרבי בהגגי תבער
אש דברתי בלשוני :

4. *Concaluit cor meum intra me, in meditatione mea exardeſcet ignis: locutus ſum in lingua mea.*

4. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Locutus ſum in lingua mea.

הודיעני יהוה קצי ומדת
ימי מה היא ארעה מה חרל אני :

5. *Notum fac mihi DOMINE finem meum, & menſura dierum meorum quænam ſit, ſciam, quantum ceſſator ſim ego.*

5. Notum fac mihi DOMINE, finem meum.

Et numerum dierum meorum quis eſt, *ut* ſciam, quid deſit mihi.

הנה טפחות נתתה ימי יחלדי
כאין נגדך אך כל הבל כל אדם
נצב סלה :

6. *Ecce palmales dediſti dies meos, & ætas mea tanquam nihilum ante te, certe univerſa vanitas eſt omnis homo ſtabilis. Sélah.*

6. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.

Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens.

אך בצלם יתהלך איש אך
הבל יהמיון יצבר ולא ירע מי
אספם :

7. *Certe in imagine perambulat vir, revera fruſtra tumultuabuntur, congregabit, & non ſciet, quis congreget ea.*

7. Verumtamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur.

Theſaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.

ועתה מה קויתי אדני ת
תוחלתי לך היא :

8. *Et nunc quid exſpectavi Domine? Expectatio mea tibi eſt.*

8. Et nunc quæ eſt exſpectatio mea; *Nonne* Dominus? *Et* ſubſtantia mea apud te eſt.

מכל פשעי הצילני חרפת
נבל אל תשימני :

9. *Ab omnibus prævaricationibus meis erue me, opprobrium nebuloni ne ponas me.*

9. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium inſipienti dediſti me.

נאלמתי לא אפתח כי פי
אתה עשית :

10. *Obmutui, non aperiam os meum, quoniam tu feciſti.*

10. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.

Amo-

הסר מעלי נגעך מתגרת ידך אני כליתי׃	11. *Amove a me plagam tuam; a jurgio manus tuæ ego defeci.*	11. Amove a me plagas tuas. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus.
בתוכחות על עון יסרת איש ותמס כעש חמודו אך הבל כל אדם סלה׃	12. *In objurgationibus ſuper iniquitate correxiſti virum, & labefactaſti tanquam tinea eximium ejus: certe vanitas omnis homo. Sélah.*	12. Propter iniquitatem corripuiſti hominem. Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus, verumtamen vane conturbatur omnis homo.
שמעה תפלתי יהוה ושועתי האזינה אל דמעתי אל תחרש כי גר אנכי עמך תושב ככל אבותי׃	13. *Audi orationem meam DOMINE, & clamorem meum auribus percipe, ad lacrimas meas ne ſurdeſcas, quoniam advena ego ſum apud te, incola ſicut omnes patres mei.*	13. Exaudi orationem meam DOMINE, & deprecationem meam; auribus percipe lacrimas meas. Ne ſileas, quoniam advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.
השע ממני ואבליגה בטרם אלך ואינני׃	14. *Reſpice a me, & corroborabor, priuſquam abeam, & non ſim.*	14. Remitte mihi, ut refrigerer, priuſquam abeam, & *amplius* non ero.

ANNOTATIONES.

HUmanæ conditionis conſideratione, quam ſatis eleganter poetice deſcribit, in preces verſus, quid orandum ſit pio, & fideli viro, brevibus inſinuat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto; de quo ſæpius dictum eſt. *Pro*. Non habetur in Hebræo, ſed nec in Græco: τῶ ἰδιθὺμ, ipſi Idithuno. *Canticum*. Hebræus: Pſalmus; canticum voce, & organo canendum.

2. *Ut non delinquam*. Idem fere Hebræus: A peccando; ne peccem, temere, & impatienter aliquid effundens. *Poſui*. Hebræus idem verbum Cuſtodiam repetit. *Cuſtodiam*. Senſus translatio. Hebræus: Clauſtrum, (quo bovis os clauditur, vulgo muſarola) frænum; ne loquendo peccem. *Dum conſpiceret*. Idem Hebræus: Dum adhuc. Supple, eſt; aſtat; conſiſtit. *Peccator*. Hebræus: Injuſtus. ſic interpretari רָשָׁע Lxxii., ſæpius dictum eſt. *Adverſum me*. Vox hebræa Coram, & Adverſum, Contra ſignificat. Hic, ratione lamed, in priori ſenſu fortaſſe capienda eſt.

3. *Et*. Duo priora non habentur in Hebræo. *Humiliatus ſum*. Aliter fortaſſe legerunt olim interpretes, quam nunc Hebræus, qui legit דוּמִיָּה, ſilentio obmutui, ideſt, penitus. *Bonis*. Hebræus ſingulariter: A bono; propter bonum; quod nihil refert. *Renovatus eſt*. Optime tranſtulit hebræum נֶעְכַּר, conturbatus. Dolorem conturbari, quemadmodum aqua, & hujuſmodi res turbari ſolent, idiotiſmo ſane pulcherrimo, eſt, Exaſperari, renovari, qui ſopitus antea non ſentiebatur fere.

4. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exardeſcet*. Futurum pro præterito, ſicut uſurpari ſolet: Exardeſcebat, exarſit. Cor calere; ignem ardere in meditatione; loqui in lingua, ſunt omnes tropi hebraici perquam ornati. Conſule Theſaurum.

5. Ne-

Digitized by Google

5. *Numerum*. Senſus translatio. Hebræus idem, ſed poetice: Menſura. *Ut*. Non habetur in Hebræo, ſubintelligendum nihilominus. *Quid deſit mihi*. Idem Hebræus fere, quamvis in prima perſona, & nomine: Quid, quantum ceſſator, deficiens ego ſim. Sic vocatur homo, quod vivere ceſſet quotidie, & ad mortem feſtinet. Niſi malles nomen a חֶלֶד per litterarum tranſpoſitionem derivari.

6. *Menſurabiles*. Senſus translatio. Ideſt, breves; brevi menſura (quæ dicitur טֶפַח, palmus) menſuratos. Hebræus: Palmales. Vide Theſaurum. *Poſuiſti*. Sic transferunt verbum נָתַן ſæpius interpretes, quod idem fere eſt: Dediſti. *Subſtantia mea*. Suſpicor, interpretes vocis tranſitu facillimo legiſſe חֵילִי. Vel certe ſenſus translatio eſt: ideſt, hypoſtaſis meæ vitæ, ſubſiſtentia. Hebræus: Ævum, ætas. *Verumtamen*. Aſſeveranter, non adverſative. Sic enim lxxii. πλὴν particula uſos credendum eſt, ut concordet Hebræo: Sane, certe. Idem habetur ſequenti verſu, & 12. *Vivens*. Senſus translatio. Hebræus: Stabilis, fixus, dum vivit in hoc ſeculo. De Selah, quod bis legitur in hoc pſalmo, dictum eſt ſuperius.

7. *Verumtamen*. Aſſeveranter, ut diximus. Græcus etiam habet μέντοιγε, certe, tamen. *Pertranſit*. Hebræus in futuro, quod etiam loco præſentis uſurpatur: Perambulabit in umbra, vel tanquam imago mobilis, mutabilis. *Sed &*. Hebræus eamdem vocem אַךְ, ut ſuperius, habet: Revera, certe. *Conturbatur*. Idem Hebræus, ſed futuro, & plurali; quod nihil refert: Vane conturbabuntur, tumultuabuntur, variis curis, & maximis diſtrahentur mortales, vanis coacervandarum divitiarum ſtudiis, ubi non ſunt æterna tempora. *Theſaurizat*. Idem Hebræus, ſed futuro: Congregabit, coacervabit, in theſauros rediget. *Et ignorat*. Hebræus iterum in futuro: Non ſciet, ignorabit. *Cui congregabit ea*. Forſitan legerunt interpretes לְמִי, cui; quod nunc eſt ſine dativi litera; quamvis non deſint etiam ex Hebræis, qui illud ſic exponant. Ad verbum ſic habent hebræa: Quis congreget ea. Deus videlicet. Non conſiderant, inquit, homines, divitias, & omnia alia provenire a Deo omnium bonorum datore, ſed arbitrantes propriis viribus ea ſe poſſe acquirere, diebus & noctibus tumultuantur; maximis ſtudiis opes coegerunt mox interituras, poſthabito interim Deo, qui eas largitur, ut vult. Fidelium vero mentes ſecus ſe habent, ut in ſequentibus.

8. *Exſpectatio mea*. Forſitan legerunt interpretes tranſitu facillimo קִוִּיתִי, quod nunc eſt verbum: Exſpectavi. At eadem prorſus ſententia. *Nonne?* Ad declarationem additum. *Dominus*. Idem Hebræus, ſed non interrogative. Supple, eſt, quem exſpectem; vel vocandi caſu, & interrogative: Domine. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Subſtantia mea*. Suſpicor interpretes legiſſe וְחֵילִי. Niſi malles eos ſenſum, non verbum interpretatos eſſe; nam ſubſtantiam, ſubſiſtentiam, firmitatem, ſtabilitatem alicujus eſſe apud alium, eſt Eum exſpectare, ſperare in eum. Hebræus enim habet תּוֹחַלְתִּי, Exſpectatio, ſpes mea. *Apud te*. Non longe ſecus Hebræus: Tibi; de te.

9. *Iniquitatibus*. Hebræus minima varietate, Prævaricationibus, habet. *Inſipienti*. Vox hebræa neſcio quid gravius denotat: Nebuloni. Conſule Theſaurum. *Dediſti me*. Forſitan legebatur olim ſic affirmative, quod nunc Hebræus negative, & futuro profert: Ne pones me. Solent autem interpretes verbum hoc hebræum שִׂים Dandi verbo transferre; ſicut e converſo verbum נָתַן Ponendi verbo transferre, ſæpius, & præſertim ſuperius verſ. 6. vidimus.

10. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Aperui*. Idem Hebræus, ſed futuro: Aperiam. Minima varietas.

11. *Plagas tuas*. Hebræus ſingulariter: Plagam tuam; quod nihil refert. *A fortitudine*. Fortaſſe legerunt interpre-

V tes

tes facili vocum tranſitu מִגְּבוּרַת, quod nunc eſt מִתִּגְרַת, A jurgio,contentione. Senſus tamen idem fere eſt: A contentione manus tuę validæ; Valide percuſſus deficio.

12. *In*. Per increpationes, objurgationes, & minas. *Propter*. Idem ſignificat hebræa præpoſitio עַל, ſuper. *Corripuiſti*. Verbo, & facto correxiſti. Vide pſalmum 38. 2. *Hominem*. Hebræus: Virum. Quod parum referre crederem. *Tabeſcere feciſti*. Hebræus idem fere: Labefactaſti; liqueſeciſti, diſſolviſti, evaneſcere feciſti. *Sicut araneam*. Hebræus: Sicut tineam. Idem ſenſus fere eſt. Araneæ tela facile perit. Tinea ſimiliter expoſita Soli diffluit, & in auras abit. Hebræus nihilominus non paſſive, ſed active hanc vocem exponit: Sicut tinea, inſtar tineæ veſtes abſumentis. *Animam ejus*. Senſus translatio, quamvis hebraica voce plura deſignentur: Eximium ejus; rem cupitam, deſideratam, vel deſiderandam, ut puta corporis habitudinem, colorem, vires, animam ipſam denique: ut interim taceam uxorem, filios, rem, & cætera hujuſmodi. Vide Theſaurum. *Verumtamen*. Ut ſuperius: Certe; revera. *Vane*. Hebræis eſt nomen: Vanitas. Sed interpretes adverbio tranſtulerunt (ſicut alias ſæpius ex nomine fit adverbium, ut in Grammaticis rebus diximus); hinc de ſuo *Conturbatur* addiderunt. De Selah ſuperius diximus.

13. *Exaudi*. Idem Hebræus: Audi. *Deprecationem meam*. Non aliter Hebræus: Vociferationem meam; in deprecando videlicet. *Ne ſileas*. Hebræus: Ne ſurdeſcas; & ob id etiam ſileas. Addit autem de more linguæ præpoſitionem Ad. Noſtri interpretes alias fecere diſtinctiones, ut vides. Sunt tamen nullius fere momenti varietates. *Aavena*. Hoſpes, non perpetuus habitator, alio tendens. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Peregrinus*. Hebræus: Incola; inquilinus, propediem alio diſceſſurus.

14. *Remitte mihi*. Senſus translatio. Hebræus: Reſpice a me alio; ne me iratus aſpicias; remitte, & leniter mecum age; fac te mitiorem in aſpiciendo. *Ut refrigerer*. Non aliter Hebræus fere: Et roborabor; confirmabor, vires priſtinas reſumam. *Amplius*. Non habetur in Hebræo: quod parum, vel nihil refert. *Non ero*. Idem Hebræus: Et non ego. Supple, ſim, vel ero.

PSALMUS XL. Lat. XXXIX.

למנצח לדוד מזמור:	1. *Præfecto Davidi, pſalmus.*	1. In finem, pſalmus ipſi David.
קוה קויתי יהוה ויט אלי וישמע שועתי:	2. *Exſpectans exſpectavi DOMINUM, & inclinavit ſe ad me, & audivit vociferationem meam.*	2. Exſpectans exſpectavi DOMINUM, & intendit mihi. Et exaudivit preces meas,
ויעלני מבור שאון מטיט היון ויקם על סלע רגלי כונן אשרי:	3. *Et educere me fecit de puteo ſonitus, de luto cœni, & ſtatuit jurra petram pedes meos, aptavit greſſus meos.*	3. & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.
ויתן בפי שיר חדש תהלה לאלהינו יראו רבים וייראו ויבטחו ביהוה:	4. *Et dedit in os meum canticum novum, laudem Deo noſtro, videbunt multi, & timebunt, & confident in DOMINO.*	4. Et immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro. Videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in DOMINO.

5. Bea-

אשרי הגבר אשר שם יהוה
סבטחו ולא פנה אל רהבים
ושטי כזב :

רבות עשית אתה יהוה אלהי
נפלאתיך ומחשבתיך אלינו
אין ערוך אליך אגידה ואדברה
עצמו מספר:

זבח ומנחה לא חפצת אזנים
כרית לי עולה וחטאה לא ש
שאלת :

אז אמרתי הנה באתי במגלת
ספר כתוב עלי :

לעשות רצונך אלהי חפצתי
ותורתך בתוך מעי :

בשרתי צדק בקהל רב הנה
שפתי לא אכלא יהוה אתה
ידעת :

צדקתך לא כסיתי בתוך לבי
אמונתך ותשועתך אמרתי לא
כחדתי חסדך ואמתך לקהל רב:

אתה יהוה לא תכלא רחמיך
ממני חסדך ואמתך תמיד י
יצרוני :

כי אפפו עלי רעות עד אין
מספר השיגוני עונותי ולא י
יכלתי לראות עצמו משערות
ראשי ולבי עזבני :

5. *Beatus vir, qui poſuit DOMINUM fiduciam ſuam, & non reſpexit ad robuſtos, & declinantes mendacii.*

6. *Multa feciſti tu DOMINE Deus meus mirabilia tua, & cogitationes tuas ad nos, non* poteſt quivis *ordinare ad te; annunciabo, & loquar, fortiores ſunt a numerando.*

7. *Sacrificium, & oblatione m noluiſti, aures excavaſti mihi, holocauſtum, & peccatum non poſtulaſti.*

8. *Tunc dixi, ecce veni, in volumine libri ſcriptum eſt ſuper me.*

9. *Facere voluntatem tuam Deus meus volui, & lex tua in medio viſcerum meorum.*

10. *Annunciavi juſtitiam in eccleſia multa, ecce labia mea non prohibebo, DOMINE tu ſciſti.*

11. *Juſtitiam tuam non abſcondi in medio cordis mei, veritatem tuam, & ſalutem tuam dixi, non celavi pietatem tuam, & veritatem tua cœtui multo.*

12. *Tu DOMINE ne prohibeas miſerationes tuas a me, pietas tua, & veritas tua ſemper cuſtodient me.*

13. *Quoniam irata ſunt ſuper me mala, donec non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre, roboratæ ſunt præ capillis capitis mei, & cor meum dereliquit me.*

5. Beatus vir, cujus eſt nomen DOMINI ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.

6. Multa feciſti tu DOMINE Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.

Annunciavi, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.

7. Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures *autem* perfeciſti mihi.

Holocauſtum, & *pro* peccato non poſtulaſti, 8. tunc dixi, ecce venio.

In capite libri ſcriptum eſt de me, 9. ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui; & legem tuam in medio cordis mei.

10. Annunciavi juſtitiam *tuam* in eccleſia magna, ecce labia mea non prohibebo, DOMINE tu ſciſti.

11. Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi.

Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam a concilio multo.

12. Tu *autem* DOMINE ne longe facias miſerationes tuas a me, miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.

13. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

14. Com-

רצה יהוה להצילני יהוה לעורתי חושה :	14. *Velis DOMINE eruere me, DOMINE in auxilium meum propera.*	14. Complaceat tibi DOMINE, ut eruas me, DOMINE ad adjuvandum me reſpice.
יבשו ויחפרו יחד מבקשי נפשי לספותה יסגו אחור ויכלמו חפצי רעתי :	15. *Erubeſcent, & confundentur ſimul, qui quærunt animam meam ad perdendum eam, cedent retro, & afficientur ignominia, qui volunt malum meum.*	15. Confundantur, & revereantur ſimul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. Convertantur retrorſum, & revereantur, qui volunt mihi mala.
ישמו על עקב בשתם ה האמרים לי האח האח :	16. *Vaſtabuntur ſuper calcaneo confuſionis ſuæ, qui dicunt mihi, euge, euge.*	16. Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi, euge, euge.
ישישו וישמחו בך כל מ מבקשיך יאמרו תמיד יגדל י יהוה אהבי תשועתך :	17. *Exſultabunt, & lætabuntur in te omnes quærentes te, dicent ſemper, magnificetur DOMINUS, amantes ſalutis tuæ.*	17. Exſultent, & lætentur ſuper te omnes quærentes te, & dicant ſemper, magnificetur DOMINUS, qui diligunt ſalutare tuum.
ואני עני ואביון אדני יחשב לי עורתי ומפלטי אתה אלהי אל תאחר :	18. *Ego autem afflictus ſum, & pauper, Dominus cogitabit mihi, auxilium meum, & liberator meus tu* es *Deus meus, ne tardaveris.*	18. Ego autem mendicus ſum, & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei. Adjutor meus, & protector meus tu es, Deus meus ne tardaveris.

ANNOTATIONES.

Fideles quavis de cauſſa vexatos, ſanctiſſimas, eaſdemque validas preces, necnon gratiarum habendarum rationem ob accepta beneficia, mirabili docet artificio. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, præpoſito, de qua dictione ſuperius etiam dictum eſt. *Pſalmus ipſi David*. Poſſunt quidem hebræa verba ſic transferri: Davidis pſalmus; at lectioni hodiernæ magis congruit, ſi transferas: Davidi, pſalmus.

2. *Intendit mihi*. Senſus translatio. Hebræus: Deflexit ad me, inclinavit ſe ſe, ut intenderet mihi. *Exaudivit*. Idem Hebræus: Audivit, auſcultavit. *Preces meas*. Non multo ſecus Hebræus, quamvis ſingulariter: Vociſerationem meam; in deprecando ſcilicet, non leviter vocavi, ſed contenta voce.

3. *Eduxit me*. Idem Hebræus: Aſcendere me fecit, elevavit. *De lacu*. Λάκκος duplici kappa, puteus eſt, fovea. Idem Hebræus. *Miſeriæ*. Senſus translatio. Hebræus: De puteo ſonitus; de gurgite frementi, aquæ multitudine, copia miſeriarum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *De luto fæcis*. Clarius in Græco ἀπὸ πηλοῦ ἰλύος, ex cœno limoſo; ex cœno, limo. Hebræus item: De luto cœni; de maximo, profundo limo, ut nulla ſpes eſſet ſurgendi. *Supra petram*. Rupem; littus ſolidum; in loco tuto. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Direxit*. Hebræus: Aptavit; firmavit, ſtabilivit, ne laberer; non fuerunt amplius lapſabundi greſſus mei. Minimi momenti varietas.

4. *Immiſit*. Idem Hebræus: Dedit; novam mihi materiam præbuit canendi,

&

& celebrandi ſuam gratiam, & benignitatem. *Carmen*. Laudem (ut habet Hebræus) carmine decantandam. *Sperabunt*. Non aliter Hebræus: Confident. Ex ſpe confidentia naſcitur.

5. *Cujus eſt nomen Domini*. Legerunt interpretes שֵׁם, quod nunc Hebræis eſt verbum שָׂם: Qui poſuit Dominum. Utraque lectio defendi poteſt; & idem fere ſenſus. *Spes ejus*. Hebræus: Fiducia, ex ſpe orta. *In vanitates*. Alium fortaſſe textum habuerunt interpretes, nempe legerunt הֲבָלִים, vocis tranſitu facillimo, vel quid aliud hujuſmodi. Niſi malles eos ſenſum tranſtuliſſe, non verbum; nam Hebræis eſt nunc רְהָבִים: Ad robuſtos, fortes, ſuperbos; ideſt vanos, & inflatos homines. *Inſanias falſas*. Non aliter Hebræus, quamvis nomine adjectivo: Et declinatores mendacii: qui declinant ad mendacium, inſani, declinantes ad viam falſam. Poſſemus nihilominus aſſerere, voculas iſtas eſſe nomina ſubſtantiva, cum multis interpretibus. Idem vero ſenſus. Conſule Theſaurum.

6. *Et cogitationibus tuis, &c.* Senſus noſtrorum interpretum clarus eſt, & verba hebræa illum optime exprimunt; quamvis nunc Hebræis alia ſit verborum conſtructio. Additur enim particula Ad nos, & tota ſententia ſic habet ad verbum: Et cogitationes tuas (nempe feciſti multas) ad nos (erga nos, de nobis): Non eſt ordo, inſtructio ad te: hoc eſt, non poſſumus æquiparare tibi aliquem. Nullius momenti eſt varietas. *Annunciavi, & locutus ſum*. Idem Hebræus, ſed futuro: Annunciabo; Loquar; ut mirabilia, & cogitationes tuas mortalibus exprimam. *Multiplicati ſunt ſuper numerum*. Per neutrum proferendum. Ipſa nimirum mirabilia tua multiplicata ſunt, ut numerari nequeant. Hebræus idem: Fortiora ſunt (mirabilia ſcilicet, cogitationeſque tuæ) a numerando. Idiotiſmus pulcherrimus. Verbum hebræum ſignificat Roborari tam viribus, quam divitiis, & numero, quod eſt multiplicari. Vide Theſaurum.

7. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Perfeciſti*. Senſus translatio. Hebræus: Excavaſti; fodiſti. Excavare aurem, eſt purgatam ad audiendum reddere; quod eſt perficere. Interpretes Græci, per ſynecdochen, aures, ideſt corpus, intellexerunt. Sic Paullus Hebr. 10. *Pro peccato*. Hebræus idem: Peccatum; ſacrificium pro peccato; hoſtiam peccati Moſaicam.

8. *Venio*. Idem Hebræus, ſed majori promptitudine, per præteritum: Veni; Imperata facere non recuſavi. *In capite*. In ſumma ſcripturarum. Hebræus: In volumine libri; Legis videlicet. Nullius fere momenti varietas. *De me*. Idem Hebræus: Super me.

9. *Ut facerem, &c.* Ordo inverſus. Volui facere voluntatem tuam, & legem tuam, &c. Hoc tamen ultimum Hebræi nominativo proferunt: Et lex tua eſt. Quod parum, vel nihil refert. *Cordis mei*. Hebræus: Viſcerum meorum. Nulla ſenſus varietas, ut arbitror.

10. *Tuam*. Non habetur in Hebræo: quod nihil referre crederem. *Magna*. Idem Hebræus: Multa, copioſa, univerſa concione præſente.

11. *In corde meo*. Hebræus: In medio cordis mei. Nulla fere varietas. *Salutare*. Hebræus idem fere: Salutem tuam. Veras, fideles, certas promiſſiones tuas, verum, firmum auxilium tuum. *Abſcondi*. Non aliter fere Hebræus: Non negavi; celavi. *Miſericordiam*. Sæpius diximus, interpretes ſic transferre חֶסֶד, pietatem. *A concilio*. Idem Hebræus, ſed dativo, de more linguæ: Cœtui; Eccleſiæ multæ, copioſiſſimæ.

12. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Longe facias*. Translatio ſenſus. Hebræus: Prohibeas. *Miſericordia tua*. Hebræus: Pietas, ut ſuperius. *Suſcepeṙunt*. Cuſtodiendum videlicet; Adjuvarunt. Hebræus per futurum: Jugiter cuſtodient me, conſervabunt. Nullius momenti varietas.

13. *Circumdederunt*. Hebræus ſuo idiotiſmo habet: Irata ſunt. Vide ſuperius

rius pſalmum 18. 5. & conſule Theſaurum. *Me*. Hebræus addit præpoſitionem: Super. Quod nihil refert. *Quorum non eſt numerus*. Idem Hebræus: Donec non ſit numerus; Sunt innumerabilia. *Ut viderem*. Tantopere ab iniquitatibus meis, quæ me totum replent, & circumdant, premor, tanta eorum copia circumſtat, ut corpus valetudine mala affectum geram, & proſpectus præſertim impediatur. *Multiplicatæ ſunt ſuper*. Hebræus ſuo idiotiſmo: Roboratæ ſunt a, præ. Vide ſuperius ver. *6.*, nam idem verbum eſt. Iniquitatum eſt tantus numerus, ut ne capilli quidem capitis tot ſint. Cor derelinquere aliquem, eſt Deficere, contabeſcere, ſolvi pavore, & doloribus. Verſus ſequentes habentur etiam inferius, ad verbum fere, pſalmo 70. Ibi vide, & confer locos.

14. *Complaceat tibi*. Idem Hebræus, ſed imperativo. Velis, volens eſto. *Ad adjuvandum me*. Hebræus nomine profert: Auxilio meo, in auxilium meum. Quod parum, vel nihil refert. *Reſpice*. Hebræus: Propera, feſtina, accelera. Minimi momenti varietas.

15. *Confundantur, &c.* Verba hebræa ſunt futura, quæ aliis temporibus transferri poſſe, dictum eſt ſuperius: Erubeſcent, & pudefient. *Ut auferant eam*. Idem Hebræus fere: Ad perdendum, conſumendum eam. *Convertantur retrorſum*. Non aliter Hebræus: Cedent retro, terga vertent. *Revereantur*. Sic Hebræus: Afficientur ignominia, pudore. *Mala mihi*. Hebræus ſingulariter: Malum meum: quod nihil refert.

16. *Ferant*. Suſpicor interpretes, facili vocum tranſitu, legiſſe ישׂאו, levabunt, ferent, portabunt: quod nunc eſt, Vaſtabuntur, perdentur. *Confeſtim*. Senſus translatio. Hebræus: Super calcaneo, fine, mercede confuſionis, quæ finis operationum eſt, & ſtatim reddi poſt opera debet. Idiotiſmus. Conſule Theſaurum.

17. *Exſultent, &c.* Futura ſunt in Hebræo, ut ſuperius; ſic etiam in ſequentibus. *Super te*. Hebræus: In te, in tuo favore, & præſidio. Nullius momenti varietas. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Salutare tuum*. Hebræus: Salutem, auxilium tuum. Minima varietas.

18. *Mendicus*. Hebræus idem fere: Afflictus, vexatus ob inopiam, humilis. *Sollicitus eſt mei*. Translatio ſenſus pulcherrima. Hebræus: Cogitabit mihi, de me; cogitationem pro me ſuſcipiet. *Adjutor meus*. Idem Hebræus, quamvis ſubſtantivo nomine: Auxilium, adjutorium meum. *Protector*. Non longe ſecus Hebræus: Liberator; qui protegis, & liberas, eruis. *Ne tardaveris*. Nulla ſit mora in me adjuvando; propere venias in auxilium, aut quid ſimile, per apotiopeſin.

GRA-

GRADUS QUINTUS.

PSALMUS XLI. Latinis XL.

למנצח מזמור לדוד:	1. *Præfecto, pſalmus Davidis.*	1. In finem, pſalmus ipſi David.
אשרי משכיל אל דל ביום רעה ימלטהו יהוה:	2. *Beatus vir, qui intelligit ad ægrotum, in die mali liberabit eum DOMINUS.*	2. Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & *pauperem*, in die mala liberabit eum DOMINUS.
יהוה ישמרהו ויחיהו יאשר בארץ ואל תתנהו בנפש א איביו:	3. *DOMINUS conſervabit eum, & vivificabit eum, beatus erit in terra, & ne tradas eum in animam inimicorum ejus.*	3. DOMINUS conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat *eum* in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.
יהוה יסעדנו על ערש דוי וכל משכבו הפכת בחליו:	4. *DOMINUS fulciet eum ſuper lectum ægritudinis, & univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.*	4. DOMINUS opem ferat illi ſuper lectum doloris *ejus*, univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.
אני אמרתי יהוה חנני רפאה נפשי כי חטאתי לך:	5. *Ego dixi, DOMINE miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi.*	5. Ego dixi, DOMINE miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi.
אויבי יאמרו רע לי מתי י ימות ואבד שמו:	6. *Inimici mei dicent malum mihi, quando morietur, & peribit nomen ejus?*	6. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen ejus?
ואם בא לראות שוא ידבר לבו יקבץ און לו יצא לחוץ ידבר:	7. *Et ſi veniebat ut videret, vanum loquebatur, cor ejus congregabat iniquitatem ſibi, egrediebatur foras, loquebatur.*	7. Et ſi ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem ſibi. Egrediebatur foras, & loquebatur, 8. in idipſum.
יחד עלי יתלחשו כל שנאי עלי יחשבו רעה לי:	8. *Simul adverſum me ſuſurrabant omnes oſores mei, adverſum me cogitabant malum mihi.*	Adverſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, adverſum me cogitabant mala mihi.
דבר בליעל יצוק בו ואשר שכב לא יוסיף לקום:	9. *Verbum Belial fuſum eſt in eo, & qui decubuit, non adjiciet reſurgere.*	9. Verbum iniquum conſtituerunt adverſum me, numquid qui dormit, non adjicit, ut reſurgat?
גם איש שלומי אשר בטחתי בו אוכל לחמי הגדיל עלי ע עקב:	10. *Etiam homo pacis meæ, in quo fidebam, qui edebat panem meum, magnificavit ſuper me calcaneum.*	10. Etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.

11. Tu

Digitized by Google

ואתה יהוה חנני והקימני ואשלמה להם:	11. *Tu autem DOMINE miſerere mei, & erige me, & retribuam eis.*	11. Tu autem DOMINE miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis.
בזאת ידעתי כי חפצת בי כי לא יריע איבי עלי:	12. *In hoc cognovi, quoniam voluiſti in me, quoniam non exſultabit inimicus meus ſuper me.*	12. In hoc cognovi, quoniam voluiſti me, quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.
ואני בתמי תמכת בי ותציבני לפניך לעולם:	13. *Et ego in integritate mea, ſuſtentaſti in me, & collocaſti me in conſpectu tuo in æternum.*	13. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.
ברוך יהוה אלהי ישראל מהעולם ועד העולם אמן ואמן:	14. *Benedictus DOMINUS Deus Iſrael a ſeculo, & uſque in ſeculum. Amen, Amen.*	14. Benedictus DOMINUS Deus Iſrael a ſeculo, & uſque in ſeculum: fiat, fiat.

ANNOTATIONES.

Varios amicorum, & malevolorum viſitantium ægrotos, mores deſcribens, hos damnat, illis autem bona precatur. Interim quid agendum ſit in morbo conſtitutis, carminibus non ſpernendis eleganter decantat. Non multum variat Vulgatus ab Hebræo in ſententiarum diſtinctionibus, ut videre potes.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut alibi ſæpius.

2. *Super*. Hebræus de more linguæ: Ad; quod idem eſt. *Egenum, & pauperem*. Alterum horum redundat, nec habetur in Hebræo, niſi dictio ſola דַּל, quæ tenuem, vel carne (macilentum, macrum); vel viribus (ægrotum, infirmum, imbecillum); vel tandem opibus (ideſt egenum, pauperem) ſignificat. In hoc ultimo ſenſu ab interpretibus noſtris accipitur. Felix ſit, qui miſeretur inopis. Hebræi ægrotum exponunt, ut Pſalmi ſilum expoſcere videtur. Nullius tamen momenti varietatem eſſe crederem, cum una, eademque ſit caritas ſive inopis miſerearis, ſive languentis, ægrotantis. *Mala*. Idem Hebræus, ſed ſubſtantivo: Mali. In die calamitoſa, in tempore, rebuſque iniquis, cum nos premunt anguſtiæ. *Liberabit*. Futura hebræa poſſunt etiam aliis transferri temporibus, ut ſæpius dictum eſt. Hinc Hebræis eſt deprecativa oratio: Liberet; & ſic in ſequentibus.

3. *Conſervet, vivificet*. Sunt futura in Hebræo, ſicut diximus, ſed optime ſic translata. *Et*. Non habetur in Hebræo, quamvis ſuſpicer interpretes facili tranſitu Jod in Vav, & immutatis punctis vocalibus, legiſſe verbum ſequens וְאִשֵּׁר, & beatificet (addentes Eum de ſuo) in terra. Vel certe וְאֻשַּׁר, & beatus ſit, quod ipſi reddiderunt active. Sed hæc minima, & ſenſum nihil variantia. *Non tradat*. Fortaſſis legebatur olim יִתְּנֵהוּ, tertia perſona, quod nunc eſt ſecunda, ut ſit ad Deum apoſtrophe, ſicut & ſequenti verſu: Ne tradas eum in animam, libidinem, deſiderium, votis inimicorum. Idem ſenſus.

4. *Opem ferat*. Non longe aliter Hebræus, ſed futuro, ut ſuperius: Fulciet, ſuſtentando opem feret. *Doloris*. Idem Hebræus: Ægritudinis; quæ dolorem infert. *Univerſum, &c.* Hebræus addit præpoſitionem Et; nam eſt apoſtrophe ex abrupto ad Deum, ut poetis mos eſt: Et lectum ejus univerſum vertis, ſternis, & diligentiſſime componis, ut molliter cubet, & quiete dormiat. Hactenus bona imprecatio.

5. *Sa-*

Digitized by Google

5. *Sana animam meam*. Cauſſa morborum freqnenter peccata ſunt.

6. *Dixerunt*. Idem Hebræus, ſed futuro: Dicent, dicebant. Niſi malles, interpretes noſtros legiſſe אָמְרוּ: quod parum tamen, vel nihil refert. *Malum mibi*. Hebræus ſingulariter: Malum mihi, de me.

7. *Ingrediebatur*. Idem Hebræus: Veniebat. *Vana*. Hebræus ſingulariter: Vanum. Loquebatur aliud ore, quod diceret, me bene habere, & hujuſmodi; aliud pectore, ut in ſequentibus. *Et*. Non habetur in Hebræo.

8. *In idipſum*. Idem Hebræus, ſed clarius: Simul cum aliis, inter ſe ſuſurrabant. Vide Pſalm. 4. 9. Verba in Hebræo ſunt futura, ut ſuperius. *Adverſum me*. Hebræus idem: Super, de me, contra me. *Inimici mei*. Idem Hebræus: Oſores, qui oderunt me. *Mala*. Sic etiam Hebræus, ſed ſingulariter: Malum; quod nihil refert.

9. *Verbum iniquum*. Idem Hebræus: Verbum Belial, inutile, pravum, peſſimum. דָּבָר verbum, & rem ſignificat. Noſtri in primo ſignificatu; Hebræi vero in ſecundo illud accipiunt; quaſi dicas: Morbus peſſimus. *Conſtituerunt adverſum me*. Arbitror interpretes legiſſe ſacili tranſitu יָצוּק בִּי, effundendo in me, effundebant, quod Latinus Conſtituerunt dixit, non maxima ſane varietate. Nunc Hebræis non eſt infinitivus, ſed pahul, & ſic legunt: Verbum Belial effuſum eſt in eo. Morbo peſſimo corripitur. *Numquid, &c.* Interrogative legerunt interpretes, quaſi verba Davidis ſint, qui rationem afferat, cur verbum inimicorum iniquum eſſe dixerit; poteſt nihilominus ipſorum invidorum eſſe ſermo, qui ſolliciti dilectionem præſeferentes ſciſcitabantur inter ſe, an convaleſcet? an ſurget? quamvis revera mortem illius cuperent. Hebræi affirmative legunt: Et qui decubuit, non adjiciet reſurgere: deſperatam illius ſanitatem aſſerentes videlicet. Utraque lectio defendi poteſt. *Dormit*. Verbum hebræum Jacere, Decumbere ſignificat, vel dormiendi, vel ægrotationis cauſſa, vel ob aliud quidvis ſimile. Conſule Theſaurum.

10. *Etenim*. Hebræus conjunctionem adjectivam, Etiam, habet. *Homo pacis*. Amicus, neceſſarius. *Speravi*. Sic transferunt ſæpius interpretes verbum בָּטַח, ut diximus: Fidebam. Ex ſpe oritur fiducia. *Panes meos*. Idem Hebræus, ſed ſingulariter: Panem meum. Commenſalis, ut ajunt, aſſiduus. *Supplantationem*. Me valde ſupplantavit; quaſi calcaneo peſſundedit: nam Hebræus eodem ſenſu habet: Magnificavit ſuper me calcaneum. Vide Theſaurum.

11. *Reſuſcita me*. Ex ſtrato, quo nunc decumbo. Idem Hebræus: Stare fac me, erige.

12. *Voluiſti me*. Benevolentia es proſecutus, quod magis declarat Hebræus de more linguæ præpoſitionem addens: In me. *Gaudebit*. Hebræus: Exſultabit, tripudiabit ſuper, de me. Non magna varietas.

13. *Me autem*. Hebræus nominativo profert: Ego autem; quod parum refert. *Propter innocentiam*. Non ſecus Hebræus, qui tamen pronomen addit: In integritate, ſimplicitate mea. *Suſcepiſti*. Suſtentandum videlicet. Hebræus de more linguæ habet: Subſtentaſti in me. Manu prope cepiſti, ut erectus ſtem. *Confirmaſti*. Firmiter collocaſti, ſtatuiſti. Sed hæ minimæ quidem varietates ſunt.

14. *Fiat, fiat*. Idem Hebræus: Amen, Amen; ideſt firmum, ratum ſit.

Explicit Liber Primus Pſalmorum, & incipit Secundus, juxta Hebræorum diviſionem.

Digitized by Google

PSALMUS XLII. Latinis XLI.

למנצח משכיל לבני קרה:	1. *Præfecto, intellectus filiorum Core.*	1. In finem, intellectus filiis Core.
כאיל תערג על אפיקי מים כן נפשי תערג אליך אלהים:	2. *Quemadmodum cervus mugit ſuper fluenta aquarum, ita anima mea mugit ad te Deus.*	2. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.
צמאה נפשי לאלהים לאל חי מתי אבוא ואראה פני א אלהים:	3. *Sitivit anima mea ad Deum, ad Deum vivum, quando veniam, & apparebo ante Deum?*	3. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quãdo veniam, & apparebo ante faciem Dei?
היתה לי דמעתי לחם יומם ולילה באמר אלי כל היום א איה אלהיך:	4. *Fuit mihi lacrimæ mea panis die ac nocte, dum dicitur mihi tota die, ubi eſt Deus tuus?*	4. Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus?
אלה אזכרה ואשפכה עלי נפשי כי אעבר בסך אדדם עד בית אלהים בקול רנה ותודה המון חוגג:	5. *Hæc recordabor, & effundam ſuper me animam meam, quando tranſibo in tabernaculum, deambulabo cum eis uſque ad domum Dei, in voce exſultationis, & confeſſionis cœtu feſtivo.*	5. Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in l cum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei. In voce exſultationis, & confeſſionis, ſonus epulantis.
מה תשתוחחי נפשי ותהמי עלי הוחלי לאלהים כי עוד אודנו ישועות פניו:	6. *Quid te deflectes anima mea, & tumultuaberis ſuper me? ſpera* in *Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutes vultus ejus.*	6. Quare triſtis es anima mea, & *quare* conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; ſalutare vultus mei, & 7. Deus meus.
אלהי עלי נפשי תשתוחח על כן אזכרך מארץ ירדן ו וחרמונים מהר מצער:	7. *Deus meus ſuper me anima mea ſe deflectet, propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniorum, a monte modico.*	Ad me ipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim a monte modico.
תהום אל תהום קורא לקול צנוריך כל משבריך וגליך עלי עברו:	8. *Abyſſus ad abyſſum clamitat voci fiſtularum tuarum, omnes fluctus tui, & undæ tuæ ſuper me tranſierunt.*	8. Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum. Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.
יומם יצוה יהוה חסדו ו ובלילה שירה עמי תפלה לאל חיי:	9. *In die mandabit DOMINUS pietatem ſuam, & nocte canticum ejus mecum* eſt, *oratio Deo vitæ meæ.*	9. In die mandavit DOMINUS miſericordiam ſuam, & nocte canticum ejus. Apud me oratio Deo vitæ

אמרה לאל סלעי למה ש שכחתני למה קדר אלך בלחץ אויב :	10. *Dicam Deo petræ meæ, quare oblitus es mei? quare atratus incedam in affictione inimici?*	tæ meæ: 10. dicam Deo, ſuſceptor meus es. Quare oblitus es mei? *&* quare contriſtatus incedo, dum affligit *me* inimicus?
ברצח בעצמותי חרפוני צ צוררי באמרם אלי כל היום איה אלהיך :	11. *In occiſione in oſſibus meis exprobraverunt mihi, qui tribulant me, dum dicunt mihi tota die, ubi eſt Deus tuus?*	11. Dum confringuntur oſſa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me *inimici mei*. Dum dicunt mihi per ſingulos dies ubi eſt Deus tuus?
מה תשתוחחי נפשי ומה תהמי עלי הוחילי לאלהים כי עוד אודנו ישועת פני ואלהי :	12. *Quid te deflectes anima mea, & quid tumultuaberis ſuper me? ſpera* in *Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutes vultus mei, & Deus meus.*	12. quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

ANNOTATIONES.

EXſulantes ab Eccleſia fideles varie vexatos deſcribens, & ſpe reſtitutionis futuræ conſolans, in cælum, quæ vere patria dicitur, ſuſpirantes oratione per quam ornata excitat, inſtruit, accendit, & inflammat. Variationes ſententiarum ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, de qua voce ſuperius dictum eſt. *Intellectus*. Hanc vocem explicavi in Theſauro ad verbum מַשְׂכִּיל.

2. *Deſiderat*. Verbum hebræum eſt cervorum proprium, ut equorum rugitus, bovum mugitus, & hujuſmodi. Eſt autem futurum in hebræo, quod aliis temporibus transferri poſſe, ſæpius diximus: Mugiet. Mugire ſolet ſitibundus. *Ad fontes*. Hebræus: Super fluenta, ſuper rapidiſſimos rivos. Nullius momenti varietas. *Deſiderat*. Hebræus idem verbum habet, eleganter ad animam translatum: Mugiet ſitibunda; quod declarat in ſequentibus.

3. *Fontem*. Locus mendoſus, & fortaſſis dedita opera, quod continuatio metaphoræ loco optime congrueret. Dicendum autem eſt, Fortem, ut Græco reſpondeat, qui τὸν ἰσχυρὸν habet. Hebræus: Deum; a fortitudine dictum. *Apparebo*. Idem Hebræus: Videbor. *Ante faciem*. Duplex dictionis translatio. פָּנִים faciem deſignat, & ſæpius adverbialiter uſurpatur: Ante. Conſule Theſaurum.

4. *Fuerunt*. Hebræus ſingulariter: Fuit. *Lacrimæ meæ panes*. Hebræus etiam hæc ſingulariter: Lacrima mea panis; pro pane, & cibo. *Quotidie*. Hebræus: Tota die; quod nonnihil referre crederem.

5. *Recordatus ſum*. Hebræus idem, ſed futuro: Recordabor. *Effudi*. Itidem futurum in Hebræo: Effundam. *In me*. Hebræus: Super me, contra me. Effundere animam, non eſt, Se valde conſolari, ut Genebrardus arbitratur, ſed e converſo Maximopere dolere, & mœſtum eſſe, quod apertius in ſequentibus declarabit. Deceptus autem eſt Genebrardus a ſequenti particula *Quoniam*, quæ cauſſam effuſionis declarare videtur. Verum ſententia, ut arbitror, ſic exponenda eſt. Quoniam mente, & recordatione tranſibo &c. quibus nunc privatus effundo, &c. Vel certe: Quoniam tranſibo,

ibo, olim videlicet, &c. Aſt Hebræis particula כִּי non cauſſativa, ſed adverbium temporis hic eſt: Quando. *Tranſibo*. Futurum hebræum transfertur etiam aliis temporibus, ut ſæpius dictum eſt: Tranſibam. Omnes iſti ſenſus optimi ſunt. *In locum tabernaculi*. Idem Hebræus fere: In tabernaculum, in tentorium; quamvis a nonnullis dubitetur, quid vox hebræa ſignificet, quod ſemel in Bibliis inveniatur. Conſule Theſaurum. *Admirabilis*. Suſpicor, interpretes facili tranſitu Daleth in Reſc legiſſe בסך אדירמשר, quod nunc Hebræis verbum eſt futurum: Deambulabo cum eis; placido itinere pergebam. *Exſultationis, & confeſſionis*. Ovationis, & celebrationis; quòd turba laudes divinas perſonaret. *Sonus epulantis*. Supple: Eſt in voce. Græcus habet ἤχῳ ἑορτάζοντος, ſoni, vel ſono epulantis. Idem Hebræus: Sono feſtivitatem agentis, tripudiantis, victimas epulares offerentis. Aſt המון plura deſignat, ut videre potes in Theſauro, nempe ſonum, copiam, turbam, & hujuſmodi. Hinc Hebræi hodierni ſic interpretantur: Turba feſtivitatem agente; quod idem fere eſt,

6. *Quare*. Hebræus idem fere: Quid. *Triſtis es*. Translatio ſenſus. Hebræus autem poetice: Te deflectis, deſiderii, ſollicitudinis, & anxietatis ergo. *Quare*. Secundo loco non habetur in Hebræo, ſubintelligendum nihilominus. *Conturbas me*. Redditum active, quod nunc Hebræis eſt futurum in neutrali ſignificatione: Conturbaberis, tumultuaberis ſuper me. Idem autem ſenſus. Niſi malles interpretes immutatis punctis vocalibus legiſſe in altera conjugatione נֶהֱמִי, cujus tamen exemplum aliud in Bibliis non invenitur. *Spera in Deo*. Hebræus de more linguæ dativo utitur: Exſpecta (animo, ideſt ſpera) Deo. *Salutare*. Sic interpretari fere ſemper hanc vocem interpretes, ſæpius vidimus. Hebræus plurali numero: Salutes, auxilia. Minima variatio. *Vultus mei, &c.* Interpretes diviſa dictione legerunt פָּנַי, & Vav ſequenti dictioni copularunt ואלהי ſicut etiam mox reperitur verſ. 12. & pſalmo ſequenti verſ. 5. quod nunc Hebræis eſt pronomen relativum: Vultus ejus. Gratiarum actiones ei dicam pro ſalute, & auxilio, quod ex vultu illius mihi jugiter præſto eſt. Idem fere ſenſus.

7. *Ad me ipſum*. Non aliter Hebræus: Super me, in me ipſo. *Conturbata eſt*. Senſus translatio, ſicut ſuperius. Hebræus poetice per futurum: Se deflectet. *De terra, &c.* Genebrardus, dum alios falli putat, fallitur ipſe quam maxime, dicens, De &c. non hic ſignificare locum, ſed cauſſam; ideſt propter terram Jordanis, & reliquorum locorum patriæ. Hebræi vero: Ex hac Jordanis ſolitudine, & Hermoniorum (qui duo montes ſunt, vel fortaſſe plures, in extremis terræ ſanctæ) ex monte Mizar inſuper, in quibus locis exſulo, tui recordatus conturbor. *Modico*. Idem Hebræus: quamvis nonnulli putent eſſe nomen montis, quod nihil refert; nam & ille ſic dicebatur, quod humillimus eſſet.

8. *Abyſſus, &c.* Idem Hebræus, quamvis de more linguæ præpoſitionem addat: Abyſſus ad abyſſum vocat, clamat. Idiotiſmus pulcherrimus, pro Nullus eſt miſeriarum finis; novis malis, quaſi a prioribus evocatis, jugiter ſuccedentibus. *In voce*. Idem Hebræus, ſed dativo, de more linguæ: Voci, ad ſonum, ſonitum. *Cataractarum*. Hebræus: Fiſtularum, canalium, poetice; ideſt nubium, quæ tonitru, & fulmine rumpuntur ſonantes. *Excelſa tua*. Hebræus: Fluctus tui, qui ſe nimis attollunt, elevant. *Fluctus tui*. Hebræus idem: Undæ, procellæ tuæ. In eadem perſeverat metaphora, qua malorum cumulos deſignat innumerabiles.

9. *Mandavit*. Idem Hebræus, ſed futuro: Mandabit, pracipietque pietati ſuæ, ut ad me veniat. *Miſericordiam ſuam*. Sic transferre חסדו Interpretes, jam dictum eſt. Hebræus: Pietatem. *Apud me*. Non aliter Hebræus, ſed conjunctim cum ſuperioribus: Mecum eſt canticum ejus; oratio videlicet, &c.

10. *Suſ-*

10. *Suſceptor meus es*. Qui me adjuvandum ſuſcipis. Hebræus: Petræ, rupi meæ, in qua tuto degere ſolitus ſum. Minimi momenti varietas. *Es*. Non habetur in Hebræo. *Contriſtatus*. Senſus translatio. Hebræus: Atratus, pullatus. Vide pſalmum 35. 14. *Incedo*. Idem Hebræus, ſed futuro: Incedam, pergam. *Me*. Ad declarationem additum. Non habetur in græco. *Dum affligit inimicus*.. Idem Hebræus, ſed nomine: In afflictione, propter afflictionem inimici.

11. *Dum confringuntur oſſa mea*. Non longe aliter Hebræus: In cæſura in oſſibus meis. Idiotiſmus ſatis elegans. Hoſtium probra confractiones oſſium reputo. *Inimici mei*. Ad majorem declarationem additum. *Per ſingulos dies*. Hebræus: Tota die, ut ſuperius.

12. *Quare triſtis es?* Vide ſuperius verſiculum 6. Nam hic ad verbum fere idem verſus repetitur. *Quare conturbas me?* Hebræus: Quid, &c., ut ſuperius. Sic etiam in ſequentibus. In græco non habetur, Adhuc.

PSALMUS XLIII. Latinis XLII.

		Pſalmus David.
שפטני אלהים ודיבה דיבי מנוי לא חסיד מאיש מרמה ועולה תפלטני :	1. *Judica me Deus, & diſcepta cauſſam meam a perſona non pia, a viro fraudis, & perverſitatis erues me.*	1. Judica me Deus, & diſcerne cauſſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo, & doloſo erue me.
כי אתה אלהי מעוזי למה זנחתני למה קדר אתהלך בלחץ אויב :	2. *Quia tu Deus fortitudinis meæ, quare me repuliſti? quare atratus incedam in afflictione inimici?*	2. Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repuliſti? & quare triſtis incedo, dum affligit *me* inimicus?
שלח אורך ואמתך המה י ינחוני יביאוני אל הר קדשך ואל משכנתיך :	3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſæ me deducent, adducent ad montem ſanctitatis tuæ, & ad tabernacula tua.*	3. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſæ me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.
ואבואה אל מזבח אלהים אל אל שמחת גילי ואורך ב בכנור אלהים אלהי :	4. *Et veniam ad altare Dei, ad Deum gaudium exſultationis meæ, & confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus.*	4. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.
מה תשתוחחי נפשי ומה תהמי עלי הוחילי לאלהים כי עוד אודנו ישועות פני ואלהי :	5. *Quid te deflectes anima mea? & quid tumultuaberis ſuper me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutes vultus mei, & Deus meus.*	5. Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus; quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

AN-

ANNOTATIONES.

DEſiderio patriæ captus, Hieroſolymam ab exſilio ad frequentandum templum revocari, oratione valida, & totis nervis contenta ſuppliciter orat. Eiuſdem argumenti pſalmus cum ſuperiori. Diſtinctionum varietates ex re ipſo vide. *Pſalmus David*. Nullus habetur in Hebræo titulus.

1. *Diſcerne*. Hebræus: Diſcepta. Defende me Deus; jus meum dicito, & diſcepta cauſſam meam. Nullius fere momenti varietas. *De gente*. Idem Hebræus; quamvis גּוֹי nonnunquam dicatur ſingulariter, ut hic Hebræis, & alibi, ſæpius tamen collective: ſed hoc nihil refert. *Sancta*. Sic interpretantur lxxii. ſæpius vocem חָסִיד, piam. Vide pſalmum 4. 4. *Ab homine iniquo, & doloſo*. Non longe ſecus Hebræus, de more linguæ ſubſtantivorum genitivis pro adjectivis utens: A Viro fraudis (doloſo), & perverſitatis; perverſo, iniquo. *Erue*. Idem Hebræus, ſed futuro:Ărues, liberabis.

2. *Deus fortitudo mea*. Idem Hebræus, ſed in regimine: Deus fortitudinis meæ. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Triſtis*. Senſus translatio. Hebræus: Atratus, pullatus, ut in ſuperiori pſalmo verſ. 10. Sic etiam quæ ſequuntur. Ibi vide.

3. *Lucem, & veritatem*. Favorem, auxilium, gratiam, & fidem, promiſſionum certitudinem, & effectum expone. *Deduxerunt, & adduxerunt*. Hebræus: Deducent, adducent. Interpretes ad rei certitudinem declarandam præteritis pro futuris uſi ſunt, more prophetico. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In*. Hebræus de more linguæ præpoſitionem Ad habet. *Sanctum*. Hebræus idem, ſed ſubſtantivo nomine: Ad montem ſanctitatis tuæ, & ad &c.

4. *Introibo*. Idem Hebræus: Veniam, accedam. *Qui lætificat*. Fortaſſis legerunt interpretes verbaliter מְשַׂמֵּחַ, lætificantem, vel יְשַׂמֵּחַ, qui lætificabit; vel tandem ſenſum, non verbum tranſtulerunt; nam Hebræis nunc eſt nomen: Gaudium, lætitia. *Juventutem meam*. Hebræus: Exſultationis meæ. Gaudium gaudii mei: ad quem omnem lætitiam, & exſultationem meam refero. Interpretes noſtri Juventutem, ætatis florem, hoc nomine dici voluerunt. Parvi tamen momenti varietatem eſſe crederem. *Confitebor*. Hebræus addit particulam: Et confitebor, celebrabo te.

5. *Quare, &c.* Vide in ſuperiori pſalmo verſ. 12., qui hic ad verbum repetitus eſt.

PSAL-

PSALMUS XLIV. Latinis XLIII.

למנצח לבני קרח משכיל :	1. *Præfecto filiorum Core, intellectus.*	1. In finem, pro filiis Core ad intellectum.
אלהים באזנינו שמענו א אבותינו ספרו לנו פעל פעלת בימיהם בימי קדם :	2. *Deus in auribus noſtris audivimus, patres noſtri narraverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.*	2. Deus auribus noſtris audivimus, patres noſtri annunciaverunt nobis. Opus, quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.
אתה ידך גוים הורשת ותטעם תרע לאמים ותשלחם :	3. *Tu manu tua gentes expuliſti, & plantaſti eas, male habuiſti populos, & emiſiſti eos.*	3. Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos, afflixiſti populos, & expuliſti eos.
כי לא בחרבם ירשו ארץ וזרועם לא הושיעה למו כי ימינך וזרועך ואור פניך כי רציתם :	4. *Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſalvavit eos, quia dextera tua, & brachium tuum, & laus vultus tui, quoniam voluiſti eos.*	4. Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſalvavit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis.
אתה הוא מלכי אלהים צוה ישעות יעקב :	5. *Tu ipſe rex meus Deus manda ſalutes Jacobi.*	5. Tu *es* ipſe rex meus, & Deus *meus*, qui mandas ſalutes Jacob.
בך צרינו ננגח בשמך נבוס קמינו :	6. *In te affligentes nos ventilabimus cornu, in nomine tuo conculcabimus inſurgentes in nos.*	6. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.
כי לא בקשתי אבטח ו וחרבי לא תושיעני :	7. *Non enim in arcu meo fidam, & gladius meus non ſalvabit me.*	7. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſalvabit me.
כי הושעתנו מצרינו ו ומשנאינו הבישות :	8. *Salvaſti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti.*	8. Salvaſti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti.
באלהים הללנו כל היום ו ושמך לעולם נודה סלה :	9. *In Deo laudavimus tota die, & nomini tuo in ſeculum cōfitebimur. Sélah.*	9. In Deo laudabimur tota die, & *in* nomine tuo confitebimur in ſeculum.
אף זנחת ותכלימנו ולא תצא בצבאותינו :	10. *Etiam repuliſti, & ignominia affeciſti nos, & non egredieris in exercitibus noſtris.*	10. Nunc *autem* repuliſti, & confudiſti nos, & non egredieris *Deus* in virtutibus noſtris.
תשיבנו אחור מני צר ו ומשנאינו שסו למו :	11. *Reduces nos retrorſum ab affligente, & qui oderunt nos, diripuerũt ſibi.*	11. Avertiſti nos retrorſum poſt inimicos *noſtros*, & qui oderunt nos, diripiebant ſibi.
תתננו כצאן מאכל ובגוים זריתנו :	12. *Dabis nos tanquam oves cibi, & in gentibus diſperſiſti nos.*	12. Dediſti nos tanquam oves eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos.

13. Ven-

תמכר עמך בלא הון ולא
רבית במחיריהם :

13. *Vendes populum tuum ſine ſubſtantia, & non auxiſti in commutationibus eorum.*

13. Vendidiſti populum tuum ſine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

תשימנו חרפה לשכנינו לעג
וקלס לסביבותינו :

14. *Pones nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem, & ſannam circuitibus noſtris.*

14. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem, & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro.

תשימנו משל בגוים מנוד
ראש בלאמים :

15. *Pones nos proverbium in gentibus, commotionem capitis in populis.*

15. Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.

כל היום כלמתי נגדי ובשת
פני כסתני :

16. *Tota die ignominia mea contra me* eſt, *& confuſio faciei meæ cooperuit me.*

16. Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me.

מקול מחרף ומגדף מפני
אויב ומתנקם :

17. *A voce exprobrantis, & conviciantis, a facie inimici, & ſe ulciſcentis.*

17. A voce exprobrantis, & obloquentis, a facie inimici, & perſequentis.

כל זאת באתנו ולא שכחנוך
ולא שקרנו בבריתך :

18. *Hoc totum venit nobis, nec obliti ſumus te, nec mendacium fecimus in teſtamento tuo.*

18. Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, & inique non egimus in teſtamento tuo.

לא נסוג אחור לבנו ותט
אשרנו מני ארחיך :

19. *Non ceſſit retro cor noſtrum, & declinavit greſſus noſter a viis tuis.*

19. *Et* non receſſit retro cor noſtrum, & declinaſti ſemitas noſtras a via tua.

כי דכיתנו במקום תנים ותכס
עלינו בצלמות :

20. *Quoniam contriviſti nos in loco draconum, & cooperuiſti ſuper nos in umbra mortis.*

20. Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.

אם שכחנו שם אלהינו ו
ונפרש כפינו לאל זר :

21. *Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & expandimus volas noſtras ad Deum alienum.*

21. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & *ſi* expandimus manus noſtras ad Deum alienum.

הלא אלהים יחקר זאת כי הוא
ידע תעלמות לב :

22. *Nonne Deus ſcrutaretur hoc? ipſe enim novit abſcondita cordis.*

22. Nonne Deus requiret iſta? ipſe enim novit abſcondita cordis.

כי עליך הורגנו כל היום
נחשבנו כצאן טבחה :

12. *Quoniam propter te occiſi fuimus tota die, æſtimati ſumus ſicut oves mactationis.*

23. Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.

עורה למה תישן אדני הקיצה
אל תזנח לנצח :

24. *Excitare, quare dormies Domine? expergiſcere, ne repellas in perpetuum.*

24. Exſurge, quare obdormis Domine? exſurge, & ne repellas in finem.

למה פניך תסתיר תשכח ע
ענינו ולחצנו :

25. *Quare faciem tuam abſcondes? oblivifcéris afflictionis noſtræ, & oppreſſionis noſtræ.*

25. Quare faciem tuam avertis? oblivifceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?

26. Quo-

כי שחה לעפר נפשנו דבקה לארץ בטננו:

26. *Quoniam depreſſa eſt ad pulverem anima noſtra, adhæſit terræ venter noſter.*

26. Quoniam humiliata eſt in pulvere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter.

ל קומה עזרתה לנו ופדנו למען חסדך:

27. *Exſurge auxilium nobis, & redime nos propter pietatem tuam.*

27. Exſurge *Domine*, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

ANNOTATIONES.

Ecleſiam exſulantem, impiorum libidini ob Religionem expoſitam, ad obſecrandum Deum, ut tandem ſubveniat, carminibus elegantiarum plenis orationem querulam, & miſerabilem continentibus, excitat, inſtruit, & docet. Varietates diſtinctionum ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, de qua dictione ſuperius dictum eſt. *Pro filiis*. Idem Hebræus, ſed dativo: Filiis; Filiorum. *Ad intellectum*. Hebræus in nominativo caſu: Intellectus; pro qua dictione conſule Theſaurum.

2. *Auribus*. Hebræus de more linguæ præpoſitionem In addit. *Annunciaverunt*. Non longe aliter Hebræus: Narraverunt. *Antiquis*. Hebræus ſubſtantivo: Antiquitatis. Moſis, & aliorum de Ægypto egreſſorum tempore.

3. *Manus tua*. Hebræus addit emphatice pronomen: Tu manu tua. *Diſperdidit*. Hebræus ad Tu relationem habens, ait: Expuliſti, ex hæreditate, poſſeſſione ejeciſti gentes ſeptem, inter quas Chananæi erant præcipui. *Aſſlixiſti*. Hebræus: Male habuiſti, mala contuliſti. *Expuliſti*. Hebræus: Emiſiſti, aliò miſiſti. Nullius fere momenti varietates.

4. *Sed*. Idem fere Hebræus: Quia. *Dextera, & brachium*. Potentia, robur. *Illuminatio*. Non ſecus Hebræus: Lux; favor, quem luce, & ſerenitate vultus tui indicaſti. *Complacuiſti in eis*. Sic Hebræus: Voluiſti eos.

5. *Es, &, meus*. Non habentur in Hebræo nunc; fortaſſis vero legebatur olim וֵאלֹהָי, quod parum refert. *Qui mandas*. Idem Hebræus, ſed imperativo; Manda, jube, præcipe, & mox ſalvabimur. *Jacob*. Genitivi caſus: Manda ſalvari fideles tuos.

6. *Inimicos noſtros*. Hebræus: Affligentes; qui tribulant nos, per te, & tuam opem ventilabimus cornu. Poetice: tractum a bobus, qui cornu feriunt. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Spernemus*. Arbitror, interpretes facili tranſitu legiſſe נָבוּז, quod nunc Hebræis eſt: Conculcabimus, in tua virtute, vel te invocato. Non magni momenti varietas.

7. *Sperabo*. Hebræus: Fidam. Ex confidentia ſpem oriri, ſuperius dictum eſt.

9. *Laudabimur*. Suſpicor interpretes punctis vocalibus immutatis legiſſe הֻלַּלְנוּ, quod per futurum reddiderunt; at Hebræis nunc eſt activum præteritum: Laudavimus Deum, Deo laudes diximus: quod ipſi, de more linguæ, cum præpoſitione efferunt: In Deo. *In*. Secundum non habetur in Hebræo. Nomini tuo confitebimur; nomen tuum prædicabimus. De Selah dictum eſt ſuperius.

10. *Nunc*. Suſpicor aliter legiſſe noſtros interpretes, quam nunc Hebræus, qui particulam אף habet, multarum ſignificationum, ut in Theſauro: Etiam; vel, Ira, furore, naſo repuliſti. Locus alibi declarandus. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Confudiſti*. Idem prope Hebræus: Ignominia affeciſti. *Deus*. Ad declarationem additum. *Virtutibus*. Hebræus: Exercitibus. Vide ſuperius pſalmum 24. 10.

11. *Avertiſti nos*. Idem fere Hebræus, ſed futuro: Reduces, redire facies. *Poſt inimicos*. Hebræus: Ab affligente, ob affligentem. Minima varietas. *Noſtros*. Ad declarationem additum.

12. *Dediſti*. Idem Hebræus, ſed futuro: Dabis. *Oves eſcarum*. Hebræus ſingulariter: Cibi. Oves eſcæ, & devorationi deſtinatæ.

13. *Vendidiſti*. Futurum itidem in Hebræo: Vendes. *Sine pretio*. Idem Hebræus fere: Sine ſubſtantia: Nullo accepto pretio. *Fuit multitudo*. Subſtantiæ; nihilo factus es ditior hac venditione. Idem Hebræus, ſed verbo: Auxiſti, multiplicaſti rem in commutationibus. Negotiantium metaphora. Græcus habet: ἡμῶν.

14. *Poſuiſti*. Hebræus futuro: Pones. *Deriſum*. Idem Hebræus: Sannam; dicterium. *Qui ſunt in circuitu noſtro*. Hebræus continens pro contento ponit, & pluraliter in dativo: Circuitibus noſtris. Idem ſenſus.

15. *Poſuiſti*. Hebræus: Pones, ut ſuperius. *In ſimilitudinem*. Hebræus non habet præpoſitionem: Fabulam, proverbium; proverbiis nobis inſultant, & illudunt. *Gentibus*. Hebræus addit præpoſitionem: In gentibus; inter gentes. *Commotionem capitis*. Geſtum deridentium exprimit.

16. *Verecundia*. Non aliter Hebræus: Ignominia mea verſatur ante oculos meos aſſidue, & vultus pudore velatur.

17. *A voce*. Propter vocem. *Obloquentis*. Convicianitis. *A facie inimici*. Propter hoſtem. *Perſequentis*. Hebræus: Se ulciſcentis; ultionem de nobis ſumentis. Nullius momenti variatio.

18. *Hæc omnia venerunt*, &c. Idem Hebræus, ſed ſingulariter: Totum hoc venit nobis; ſuper nos. *Inique non egimus*. Hebræus: Mendacium non fecimus. Nullius fere momenti varietas. *In teſtamento*. Contra teſtamentum, fœdus tuum.

19. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Receſſit*. Idem Hebræus: Ceſſit, averſus eſt. *Et declinaſti*. Interpretes, punctis vocalibus immutatis, legerunt active נטה, quod nunc Hebræis eſt neutrum: Et declinavit. *Semitas noſtras*. Hebræus: Greſſus noſter. Ex varietate verbi varietas nominis nata eſt. *A via tua*. Idem Hebræus, ſed pluraliter: A viis tuis.

20. *Humiliaſti nos*. Fortaſſe legerunt עִנִּיתָנִי interpretes: nam Hebræus habet nunc neſcio quid gravius: Contriviſti, contudiſti. *Afflictionis*. Translatio ſenſus. Hebræus hyperbole utitur: Draconum. Ubi mortis præſens eſt periculum. *Cooperuit*. Noſtris eſt tertia perſona fœminina, quia non legerunt præpoſitionem, quæ nomini צַלְמָוֶת nunc additur. Hebræis eſt ad Deum continuatio: Cooperuiſti ſuper nos in umbra mortis; ideſt, maxima calamitate, & ſervitute acerbiſſima.

21. *Si*. Secundum non habetur in Hebræo, ſubintelligendum nihilominus. *Manus*. Idem Hebræus: Volas, palmas.

22. *Requiret*. Puniet, ulciſcetur. Non longe aliter Hebræus: Scrutabitur; puniendum diſcutiet.

23. *Mortificamur*. Hebræus præterito: Cæſi, trucidati ſumus. *Oves occiſionis*. Idem Hebræus: Mactationis; cædi deſtinatæ.

24. *Exurge*. Hebræus: Excitare; excitatus ſurge. *Obdormis*. Idem Hebræus, ſed futuro: Dormies? Videtur quidem dormire Deus in malis noſtris, ut in preces ferventius vertamur. *Exurge*. Aliud verbum ſuperiori ſynonymum habetur in Hebræo: Expergiſcere. *Et*. Non habetur in Hebræo: *In finem*. Uſque ad finem; in perpetuum, cum nullus æternitatis finis ſit.

25. *Avertis*. Hebræus per futurum: Abſcondes, celabis. Minima varietas. *Inopiæ noſtræ*. Vox hebræa ſignificat afflictionem, humilitatem, & inopiam; quod affligat, & humiliet, ut alias etiam diximus. *Tribulationis noſtræ*. Idem prope Hebræus: Oppreſſionis noſtræ.

26. *Humiliata eſt in pulvere*. Non ſecus Hebræus: Depreſſa eſt ad pulverem. Hyperbole poetica. Profundius dejici,

jici, & gravius affligi non poſſumus. *Conglutinatus eſt in terra*. Idem Hebræus: Adhæſit terræ; non gradiendum, ſed reptandum eſt; quod in ventrem proſtrati ſimus præ malorum ingenti mole.

27. *Domine*. Ad declarationem pro captanda benevolentia additum. *Adjuva nos*. Fortaſſe legerunt interpretes verbaliter facili tranſitu עזר, vel עֶזְרָה, quod nunc Hebræis nomen eſt: Auxilium nobis. Qui es, vel ut ſis auxilium, & ſalus noſtra. *Propter nomen tuum*. Hebræus: Propter pietatem tuam. Minimi momenti varietas.

PSALMUS XLV. Latinis XLIV.

למנצח על ששנים לבני קרח משכיל שיר ידידת:	1. *Præfecto ſuper liliis, filiorum Core intellectus, canticum dilectionum.*	1. In finem pro his, qui commutabuntur, filiis Core, *ad* intellectum canticum pro dilecto.
רחש לבי דבר טוב אמר אני מעשי למלך לשוני עט סופר מהיר:	2. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.* *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.*	2. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.
יפיפית מבני אדם הוצק חן בשפתותיך על כן ברכך אלהים לעולם:	3. *Pulcherrimus fuiſti præ filiis hominum, diffuſa fuit gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.*	3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.
חגור חרבך על ירך גבור הודך והדרך:	4. *Accingere gladio tuo ſuper femur potentiſſime decore tuo, & honore tuo.*	4. Accingere gladio tuo ſuper femur *tuum*, potentiſſime. Specie tua, & pulchritudine tua
והדרך צלח רכב על דבר אמת וענוה צדק ותורך נוראות ימינך:	5. *Et honore tuo proſperare, equita ſuper verbo veritatis, & manſuetudinis, juſtitiæ, & inſtruet te mirabilia dextera tua.*	5. intende proſpere, procede, & regna. Propter veritatem, & manſuetudinem, *ac* juſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.
חציך שנונים עמים תחתיך יפלו בלב איבי המלך:	6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi, qui ſunt ſub te, cadent in cor inimicorum regis.*	6. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum regis.
כסאך אלהים עולם ועד שבט מישור שבט מלכותך:	7. *Sedes tua Deus in ſeculum, & æternum, virga directionis, virga regni tui.*	7. Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga directionis, virga regni tui.
אהבת צדק ותשנא רשע על כן משחך אלהים אלהיך שמן ששון מחבריך:	8. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti injuſtitiam, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, præ ſodalibus tuis.*	8. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis.

9. Myr-

מר ואהלות קציעות כל בגדתיך מן היכלי שן מני שמחוך:	9. *Myrrha, & aloes, caſia omnia veſtimenta tua, a domibus eburneis, ex quibus lætificaverunt te.*	9. Myrrha, & gutta, & caſia a veſtimentis tuis; a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te
בנות מלכים ביקרותיך נצבה שגל לימינך בכתם אופיר:	10. *Filiæ regum inter caras tuas, aſtitit conjux ad dexteram tuam in diademate auri.*	10. filiæ regum in honore tuo. Aſtitit regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, *circumdata varietate.*
שמעי בת וראי והטי אזנך ושכחי עמך ובית אביך:	11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.*	11. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.
ויתאו המלך יפיך כי הוא אדניך והשתחוי לו:	12. *Et concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe* eſt *Dominus tuus, & adora eum.*	12. Et concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe *eſt* Dominus *Deus* tuus, & adorabunt eum.
ובת צר במנחה פניך יחלו עשירי עם:	13. *Et filiæ Tyri in munere, vultum tuum deprecabuntur divites populi.*	13. Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur *omnes* divites plebis.
כל כבודה בת מלך פנימה ממשבצות זהב לבושה:	14. *Tota glorioſa filia regis ab intus, ex ocellatis aureis veſtis ejus.*	14. Omnis gloria *ejus* filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta
לרקמות תובל למלך בתולות אחריה רעותיה מובאות לך:	15. *Acupicturis adducetur regi, virgines poſt eam, proximæ ejus adducentur tibi.*	15. varietatibus. Adducentur regi virgines poſt eam, proximæ ejus afferentur tibi.
תובלנה בשמחת וגיל תבאנה בהיכל מלך:	16. *Adducentur in gaudiis, & exſultatione, venient in palatium regis.*	16. Afferentur in lætitia, & exſultatione, adducentur in templum regis.
תחת אבתיך יהיו בניך תשיתמו לשרים בכל הארץ:	17. *Pro patribus tuis erunt filii tui, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.*	17. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.
אזכירה שמך בכל דר ודר על כן עמים יהודוך לעלם ועד:	18. *Memorabo nomen tuum in omni generatione, & generationem; propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in perpetuum.*	18. Memores erunt nominis tui, in omni generatione, & generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſeculum *ſeculi.*

ANNOTATIONES.

CHriſti Regis, & ſponſæ illius Eccleſiæ dotes maximas elegantiſſimo nuptiali carmine decantat. Diſtinctionum variationes ex te recognoſcas velim.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, de qua voce ſuperius dictum eſt. *Pro his, qui commutabuntur.* Suſpicor, interpretes legiſſe facili tranſitu שֹׁשִׁים, qui commutantur, quod nunc Hebræis eſt: Super liliis, roſis; pro qua dictione conſule Theſau-

ſaurum. *Filiis*. Vel Filiorum; nam lamed dativo ſerviens nonnunquam transfertur genitivo. *Ad*. Non habetur in Hebræo; ſed tantum intellectus. Vide Theſaurum. *Pro dilecto*. Hebræus: Dilectionum carmen. Idem ſenſus.

2. *Eructavit*. Ebullivit, ejecit, effudit. Attentionem captat. *Regi*. Vel, de Rege Meſſia cano. *Velociter ſcribentis*. Hebræus idem: Velocis. Supple, In ſcribendo.

3. *Specioſus forma*. Idem Hebræus, ſed verbo: Pulcherrimus fuiſti animo, & corpore. Chriſtum alloquitur, quem laudat a forma, gratia, fortitudine, & aliis, ut in ſequentibus. *Hominum*. Hebræus: Adam. Idem ſenſus. *Diffuſa eſt*. Idem Hebræus: Diffuſa, effuſe poſita fuit gratia in labiis tuis. Idiotiſmus. Tanta eſt gratia oris, ac ſermonis tui, ut eam fuſionem, quaſi torrentem, flumen appellare mihi liceat. *Propterea*. Propter hanc tuam corporis, & animi pulchritudinem auſim dicere, quod Deus benedixerit te in æternum.

4. *Tuum*. Ad declarationem additum. *Potentiſſime*. Vocandi caſu. Ad pugnam te para, hoſtes proſterne, & occide. *Specie tua, & pulchritudine tua*. Ad gladium appoſitio. Hebræus: Decore tuo, & honore tuo. Qui gladius decus, & honor tuus eſt hoſtibus eo profligatis, & interfectis. Non magna varietas.

5. *Intende*. Suſpicor, interpretes, punctis vocalibus immutatis, legiſſe verbaliter הַדְרֵךְ, dirige, tende tuum arcum, quod nunc Hebræis eſt nomen idem cum præcedenti, addita etiam conjunctione Vav וַהֲדָרְךָ, & honore tuo. *Proſpere procede*. Non aliter Hebræus: Proſperare. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Regna*. Translatio ſenſus. Nam qui rerum ſummam tenent, curru, vel mulo vehi ſolent. Hebræus poetice: Inequita, inſide ſuper veritatem, &c. ideſt his virtutibus ornatus ad regnum accede. *Propter veritatem*. Hebræus: Super verbo veritatis: poetice ſimpliciter, ut diximus; vel cum Noſtris, Per verbum veritatis. Idem fere ſenſus. *Et manſuetudinem*. Hebræus idem: Et manſuetudinis. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Juſtitiam*. Hebræus: Juſtitiæ. *Deducet te mirabiliter*. Translatio ſenſus. Hebræus: Docebit te mirabilia, quæ in hoſtes edas. Idem fere eſt Docere, & Deducere.

6. *Sagittæ tuæ*. Laudat Chriſtum a fidelium fortitudine. Fideles tuos, inquit, populum tuum, gentem tuam ex multis nationibus congregatam liceat mihi dicere eſſe ſagittas tuas, quæ cadant, &c. Aliorum expoſitiones non placent. Hæc ſimplicior, & purior, & litteræ convenientior. *Corda*. Hebræus idem, ſed ſingulariter: Cor.

7. *In ſeculum ſeculi*. Idem Hebræus: In ſeculum, & æternum. *Virga directionis*. Idem Hebræus: Sceptrum rectitudinis. Summa æquitate, & juſtitia regnum adminiſtras.

8. *Iniquitatem*. Hebræus: Injuſtitiam. Minimi momenti varietas. *Præ conſortibus tuis*. Idem Hebræus: Præ ſodalibus, ſociis tuis. Fideles innuit. *Ungere oleo lætitiæ*, idiotiſmus; ideſt Spiritu Sancto, quo præſente cuncta læta proſpere cedunt.

9. *Gutta*. Hebræus: Aloe; quod parum refert. *Et*. Non habetur in Hebræo. *A veſtimentis tuis*. Supple, Manant, diffluunt odores myrrhæ, aloe, & caſiæ. Idem ſenſus eſt in Hebræo. Omnia veſtimenta tua ſunt myrrha, habent odorem myrrhæ, &c. *A domibus eburneis*. Hebræus ſubſtantivo: A palatiis eboris. *Ex quibus delectaverunt te*. Idem fere Hebræus: Ex quibus palatiis, & templis lætificaverunt, gaudio affecerunt te.

10. *In honore tuo*. Nomen hebræum eſt tam adjectivum, quam ſubſtantivum. Hebræis eſt adjectivum, & plurale: Inter caras, pretioſas puellas, inclytas, glorioſas. Noſtri ſubſtantive: In pretioſitatibus, in tua aula pretioſa, in tuo comitatu gloriæ, & majeſtatis pleno. Idem fere ſenſus. *Regina*. Eccleſiæ encomium ſtylo poetico ſcribit. Hebræus: Conjux; ob prolem in matrimonium vocata. *A dextris tuis*. In loco honorato. Idem He-

Hebræus ſingulariter, & dativo, de more linguæ: Dexteræ tuæ, ad dexteram. *In veſtitu deaurato.* Hebræus: In maſſa auri. Hæc maſſa tam in veſtibus, quam in diademate, vel in alia quapiam re ſimili poteſt eſſe. *Circumdata varietate.* Totum hoc redundat. Fortaſſis additum ad declarationem, ex verſ. 14. deſumptum. Ex veſtibus maſſæ aureæ fit varietas, quibus variæ virtutes, & gratiæ ſignificantur.

12. *Deus.* Non habetur in Hebræo, nec in græco. *Et adorabunt.* Noſter interpres, tranſitu facillimo Jod in Vav, legit וְהִשְׁתַּחֲווּ, quod nunc Hebræis eſt imperativus femininus: Et adora. Nulla ſenſus varietas. Græcus habet: *καὶ προσκυνήσεις αὐτῷ.*

13. *Filiæ Tyri.* Genitivi caſus. Ordo inverſus. Conſtrue ſic: Divites populi filiæ Tyri. *In muneribus.* Idem Hebræus, ſed ſingulariter: In munere; oblatione. *Omnes.* Non habetur in Hebræo; quod nihil refert.

14. *Gloria ejus.* Interpretes, mutatis punctis vocalibus, legerunt כְּבוּדָּה, quod nunc Hebræis eſt participium paſſivum: Tota glorioſa. *Filiæ.* Noſtri ex antecedentibus per genitivum reddidere: Gloria ejus, filiæ videlicet regis: ſed Hebræis eſt nominativus; Tota honorata es filia regis; quod parum, aut nihil in ſenſu refert. *Ab intus.* Intrinſecus. *In fimbriis aureis.* Interpretes uſi ſunt præpoſitione In propter ſequentem dictionem, de qua mox dicturi ſumus; ſed Hebræis eſt præpoſitio De: Ex ocellatis auri, aureis. Minimi tamen momenti varietatem eſſe crederem. *Circumamicta.* Noſtris interpretibus hebræa vox eſt participium paſſivum femininum לְבוּשַׁת, veſtita, amicta, & hac de cauſa ſuperius dixerant: In fimbriis aureis; ſed Hebræis nunc eſt nomen cum affixo: Veſtis, veſtimentum ejus.

15. *Varietatibus.* Non aliter Hebræus: Acupicturis; in veſtibus intertextis videlicet. *Adducentur.* Noſtri de virginibus verbum hoc intelligunt, ſed Hebræi de filia regis, & ob id ſingulariter habent: Adducetur virginibus comitata. Fortaſſis olim verbum erat plurale. *Afferentur.* Hebræus idem, ſed participio paſſivo: Adductæ ſunt, adducuntur. *Tibi.* Ad Chriſtum regem apoſtrophe. Sic etiam in ſequentibus.

16. *Afferentur.* Idem Hebræus: Adducentur. *In lætitia.* Hebræus pluraliter: In gaudiis, lætitiis. *Adducentur.* Suſpicor, interpretes, mutatis punctis vocalibus, legiſſe תָּבֹאנָה, quod nunc Hebræis eſt ex conjugatione Cal: Venient, intrabunt. Idem tamen ſenſus. *Templum.* Palatium, domum regiam.

17. *Nati ſunt tibi filii.* Hebræus: per futurum: Erunt filii tui. Nullius momenti varietas. *Conſtitues.* Pones, ordinabis. Patriarcharum, & Prophetarum loco ſucceſſerunt Apoſtoli, & Apoſtolici omnes.

18. *Memores erunt nominis tui.* Fortaſſe legerunt interpretes in prima conjugatione, punctis vocalibus immutatis videlicet, verbum hoc אֶזְכְּרָה, quod Vulgatus tertia perſona plurali poſtea tranſtulit. At Hebræis nunc eſt ex tertia conjugatione, tranſitivum ſcilicet: Memorabo, ad memoriam revocabo jugiter, faciam recordari nominis tui, Majeſtatis tuæ in omnibus generationibus. *Et in ſeculum ſeculi.* Non aliter Hebræus: Et in perpetuum.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS XLVI. Latinis XLV.

למנצה לבני קרח על עלמות שיר :	1. *Præfecto filiorum Core ſuper arcanis, canticum.*	1. In finem filiis Core pro arcanis pſalmus.
אלהים לנו מחסה ועו עורת בצרות נמצא מאד :	2. *Deus nobis refugium, & robur, auxilium in tribulationibus invenitur valde.*	2. Deus noſter refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.
על כן לא נירא בהמיר ארץ ובמום הרים בלב ימים :	3. *Propterea non timebimus in commutatione terræ, & in motione montium in corde marium.*	3. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.
יהמו יחמרו מימיו ירעשו הרים בגאותו סלה :	4. *Sonabunt, turbabuntur aquæ ejus, commovebuntur montes in fortitudine ejus. Sélab.*	4. Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum, conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.
נהר פלגיו ישמחו עיר אלהים קדש משכני עליון :	5. *Fluminis rivi ejus lætificabunt civitatem Dei ſancti habitationum Altiſſimi.*	5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.
אלהים בקרבה בל תמוט יעורה אלהים לפנות בקר :	6. *Deus* eſt *in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam Deus, cum reſpexerit mane.*	6. Deus in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo.
המו גוים מטו ממלכות נתן בקולו תמוג ארץ :	7. *Tumultuatæ ſunt gentes, mota ſunt regna, dedit in voce ſua, liqueſiet terra.*	7. Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna, dedit vocem ſuam, & mota eſt terra.
יהוה צבאות עמנו משגב לנו אלהי יעקב סלה :	8. *DOMINUS exercituum nobiſcum, exaltatio nobis* eſt *Deus Jacob. Sélab.*	8. DOMINUS virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Jacob.
לכו חזו מפעלות יהוה אשר שם שמות בארץ :	9. *Venite, videte opera DOMINI, qui ponit deſolationes in terra.*	9. Venite, & videte opera DOMINI, quæ poſuit prodigia ſuper terram.
משבית מלחמות עד קצה הארץ קשת ישבר וקצץ חנית עגלות ישרף באש :	10. *Quieſcere faciens bella uſque ad finem terræ, arcum confringet, & concidet haſtam, quadrigas comburet in igne.*	10. auferens bella uſque ad finem terræ. Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.
הרפו ודעו כי אנכי אלהים ארום בגוים ארום בארץ :	11. *Remittite, & ſcitote, quoniam ego ſum Deus, exaltabor in gentibus, exaltabor in terra.*	11. Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.
יהוה צבאות עמנו משגב לנו אלהי יעקב סלה :	12. *DOMINUS exercituum nobiſcum, exaltatio nobis* eſt *Deus Jacob. Sélab.*	12. DOMINUS virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Jacob.

AN-

ANNOTATIONES.

Malis ingruentibus in orbem terrarum, civitatem Dei, ſive Eccleſiam, Domini præſidio contra omnem vim eſſe tutam, ornate ſtylo canit poetico. Non variat multum Vulgatus ab Hebræo in ſententiarum diſtinctionibus, ut videre potes ex temetipſo.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Filiis*. Vel, Filiorum. Vide in ſuperiori Pſalmo verſ. 1. *Pro arcanis*. Idem Hebræus: Super arcanis; rebus abſconditis. Conſule Theſaurum pro hujus dictionis ſignificatione. *Pſalmus*. Fortaſſis olim legebatur מִזְמוֹר, nam Hebræis nunc eſt שִׁיר, canticum, cantio, carmen voce decantandum. Sed hoc parum, vel nihil referre crederem.

2. *Noſter*. Hebræus: Nobis. Minima varietas. *Refugium*. Protectio. Quo in rebus adverſis fugiendum eſt. *Virtus*. Fortitudo, robur, ut Hebræus habet. *Adjutor*. Idem Hebræus, ſed ſubſtantivo nomine: Auxilium. *Quæ invenerunt nos*. Interpretes arbitrati ſunt, dictionem hebræam eſſe primam futuri ex conjugatione Cal: Quas invenimus. Quem idiotiſmum, quod durior videretur, reddentes mitiorem, ſic tranſtulerunt, ut vides. Nunc Hebræis eſt participium paſſivum, vel tertia præteriti maſculina: Invenitur, inventus eſt. Neuter ſenſus diſplicere debet. *Nimis*. Sic perpetuo dictionem hebræam vertunt interpretes. Hebræus; Valde; copioſe.

3. *Turbabitur terra*. Translatio ſenſus. Hebræus: In commutando terram; dum terra commutatur, ut ubi nunc mare, terra ſit, & ubi terra, mare. *Transferentur montes*. Idem Hebræus fere: In movendo montes; in motione montium; quando movebuntur, nutabunt. *In cor maris*. Hebræus idem, ſed pluraliter: In corde marium.

4. *Sonuerunt*. Idem Hebræus, ſed futuro: Sonabunt, ſonitum edent. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Turbatæ ſunt*. Hebræus futuro: Turbabuntur. *Eorum*. Marium fortaſſe: quamvis Hebræis nunc ſingulare ſit: Ejus. Vel maris, ut aliquibus placet; vel certe Dei; ſicut & mox. *Conturbati ſunt*. Hebræus iterum futuro: Commovebuntur, contremiſcent, concutientur. *Ejus*. Dei ſcilicet, cujus potentia, & majeſtate montes contremiſcunt. De Sélah dictum eſt alibi, quod ter legitur in hoc pſalmo.

5. *Fluminis impetus*. Decurſus, amnes, & rivuli. Hebræus more linguæ habet pronomen relativum per pleonaſmum: Flumen, rivi ejus. *Lætificant*. Idem Hebræus, ſed futuro: Lætificabunt. *Sanctificavit &c.* Arbitror interpretes punctis vocalibus immutatis, & Jod in Vav facili tranſitu converſo, legiſſe קְדֹשׁ מִשְׁכְּנוֹ quod nunc Hebræis eſt: Sancti habitationum Altiſſimi. Neuter ſenſus aſpernandus.

6: *In medio ejus*. Supple, Civitatis eſt. *Non commovebitur*. Illa civitas. In Hebræo claret ſenſus; nam verbum eſt feminini generis. Græcus addit conjunctionem Καὶ *Mane diluculo*. Non aliter Hebræus: Ad reſpiciendum mane; cum reſpexerit matutinum tempus; inclareſcere cœperit; ideſt, ſummo mane.

7. *Conturbatæ ſunt*. Idem fere Hebræus: Tumultuatæ ſunt; tumultum turbam excitarunt. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Inclinata ſunt*. Non longe aliter Hebræus: Mota ſunt; nutarunt. *Dedit vocem ſuam*. Hebræus ſuo idiotiſmo: Dedit in voce ſua; Deus videlicet; hoc eſt, intonuit. Græcus addit ὁ ὕψιστος, Altiſſimus. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Mota eſt*. Hebræus neſcio quid vehementius, & futuro: Liquefiet. Præter ſui naturam, quæ dureſcere ſolet.

8. *Virtutum*. Sic transferunt interpretes vocem hebræam fere ſemper: Exercituum. Vide pſalmum 24. 10. *Suſceptor noſter*. Adjutor, protector, qui nos adjuvandum ſuſcipit, recipit, ad inſtar

ſtar מִשְׂגָּב, quam vocem Hebræus habet: Exaltatio nobis. Vide pſalmum 18. 3.

9. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Quæ*. Dictio hebræa eſt omnis generis, & numeri. Hinc Hebræi ad Deum referunt; quod nihil refert: Qui *Poſuit*. Vel Ponit; nam vox hebræa utrumque tempus continet. *Prodigia*. Stupores, deſolationes, ut Hebræus habet. *Super terram*. Idem Hebræus: In terra.

10 *Auferens*. Non aliter Hebræus: Quieſcere faciens bella, perſecutiones. *Conteret*. Hebræus idem pene: Contringet. *Confringet*. Hebræus: Concidet, detruncabit. *Arma*. Hebræus: Lanceam, haſtam. Minimi momenti varietates. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Scuta*. Arbitror, interpretes dictionem hebræam in propria radicis ſignificatione accepiſſe; ideſt Rotundas, vel Rotunda, quæ ſcuta eſſe putarunt, nam & Chaldæus paraphraſtes habet תְרִיסִיא עֲגִילִן, ſcuta rotunda; quamvis Hebræi עֲגָלוֹת, quadrigas, currus exponant, a rotunditate rotarum ſic dictos. Senſus autem idem eſt: nempe Deum omnia inſtrumenta bellica diſſipare in gratiam Eccleſiæ.

11. *Vacate*. Hebræus idem: Remittite alias actiones; eſtote animo vacuo ab aliis rebus, ut cognoſcatis, &c. *Et videte*. Hebræus, omiſſa conjunctione, quam nec Græcus habet, legit: Scitote, cognoſcite. Et qui videt, cognoſcit ut plurimum. Fortaſſis legerunt interpretes, facili tranſitu literarum Daleth & Ain, in Reſc & Aleph וּרְאוּ. *Et*. Non habetur in hebræo, nec in græco.

12. *Dominus virtutum, &c.* Ut ſuperius verſiculo octavo.

PSALMUS XLVII. Lat. XLVI.

למנצח לבני קרח מזמור:	1. *Præfecto filiorum Core, pſalmus.*	1. In finem *pro* filiis Core, pſalmus.
כל העמים תקעו כף הריעו לאלהים בקול רנה:	2. *Omnes populi plaudite vola, jubilate Deo in voce ovationis.*	2. Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.
כי יהוה עליון נורא מלך גדול על כל הארץ:	3. *Quoniam DOMINUS excelſus, terribilis, rex magnus ſuper omnem terram.*	3. Quoniam DOMINUS excelſus, terribilis, rex magnus ſuper omnem terram.
ידבר עמים תחתינו ולאמים תחת רגלינו:	4. *Interfecit populos ſub nobis, & nationes ſub pedibus noſtris.*	4. Subjecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris.
יבחר לנו את נחלתנו את גאון יעקב אשר אהב סלה:	5. *Elegit nobis hæreditatem noſtram, ſuperbiam Jacobi, quem dilexit. Sélah.*	5. Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Jacob, quem dilexit.
עלה אלהים בתרועה יהוה בקול שופר:	6. *Aſcendit Deus in jubilo, DOMINUS in voce tubæ.*	6. Aſcendit Deus in jubilo, DOMINUS in voce tubæ.
זמרו אלהים זמרו זמרו למלכנו זמרו:	7. *Pſallite Deo pſallite, pſallite regi noſtro, pſallite.*	7. Pſallite Deo *noſtro* pſallite, pſallite regi noſtro pſallite.
כי מלך כל הארץ אלהים זמרו משכיל:	8. *Quoniam rex omnis terræ Deus, pſallite intelligenter.*	8. Quoniam Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter.

מלך אלהים על גוים אלהים ישב על כסא קדשו׃

9. Regnavit Deus ſuper gentes, Deus ſedit ſuper ſedem ſanctitatis ſuæ.

9. Regnabit Deus ſuper gentes; Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

נדיבי עמים נאספו עם אלהי אברהם כי לאלהים מגני ארץ מאד נעלה׃

10. Liberales populorum congregati ſunt populus Dei Abraham, quoniam Deus defenſor terræ valde elevatus eſt.

10. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham, quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt.

ANNOTATIONES.

ECcleſiam ex gentibus congregatam, quod in Sanctorum Iſraelitarum communionem, & regnum cooptata ſit, ad Deum celebrandum carmine ſuaviſſimo invitat.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pro*. Non babetur in Hebræo. *Filiis*. Vel Filiorum, ut alias diximus.

2. *Gentes*. Hebræus: Populi. Nulla variatio. *Manibus*. Idem Hebræus, quamvis ſingulariter: Vola, palma. Geſtu lætitiam oſtendite. *Exſultationis*. Idem fere Hebræus: Ovationis.

4. *Subjecit*. Non ſolum interficiendo, ut Hebræus habet, ſed etiam legibus noſtris eos ſubjiciendo. Conſule Theſaurum. *Nobis*. Sub, vel Pro nobis; quod parum refert. *Gentes*. Hebræus: Nationes, populos, nulla variatione.

5. *Elegit nobis*. Idiotiſmus de more linguæ: Nos videlicet. *Suam*. Fortaſſe legerunt interpretes facili tranſitu אֶת נַחֲלָתוֹ, quod nunc Hebræis eſt: Hæreditatem noſtram; quamvis idem fere ſenſus ſit, quia Nobis præceſſit. *Speciem Jacob*. Appoſitive ad ſuperiora: Quidquid erat ſpecioſum, excellens in familia Jacobi. Hebræus ſiquidem babet: Superbiam Jacobi, majeſtatem, excellentiam videlicet. Niſi malles ad templum reſpicere, quo gloriabantur Hebræi. גָּאוֹן eſt vox media tam in bonam, quam in malam partem uſurpata. Conſule Theſaurum. De Sélah dictum eſt alibi.

7. *Noſtro*. Non habetur in Hebræo; quod nihil refert.

8. *Sapienter*. Non longe aliter Hebræus: Intelligenter, cum intelligentia, ſcite, & concinne. Dicendo (ſupple) quæ ſequuntur.

9. *Regnabit*. Idem Hebræus, ſed præterito: Regnavit. *Sedet*. Hebræus iterum præterito: Sedit. Sed hæc minima. *Sanctam ſuam*. Hebræus de more linguæ, nomine ſubſtantivo: Sanctitatis ſuæ. Quod idem eſt.

10. *Principes*. Hebræus: Liberales, nobiles, munifici. Non magna varietas. *Cum Deo*. Interpretes, mutato puncto vocali, legerunt עִם præpoſitionem, quod nunc Hebræis eſt עַם, populus Dei Abraham. Eodem nihilominus fere ſenſu. *Dii*. Hebræus de more linguæ, dativo utitur, idiotiſmo ſatis eleganti: Diis. Græcus habet: τοῦ Θεοῦ οἱ κραταιοί. *Fortes*. Hebræus: Clypeis terræ, protectoribus, defenſoribus, & ob id potentibus, fortibus. Deum nominibus pluralibus appellat de more linguæ, ut Trinitatem innuat; ſed ut pluralitatem excludat, ſtatim verbum ſingulare ponit, quod Noſtri neſcio qua ratione, niſi barbariſmi vitandi cauſſa, plurale reddiderunt. *Elevati ſunt*. Hebræus: Valde elevatus eſt. Tota periodus ſic habet. Quoniam Diis clypeis terræ, Deus, qui terræ clypeus, & defenſor eſt, valde elevatus eſt.

PSAL-

PSALMUS XLVIII. Latinis XLVII.

שיר מזמור לבני קרח :

גדול יהוה ומהלל מאד ב
בעיר אלהים הר קרשו :

יפה נוף משוש כל הארץ
הר ציון ירכתי צפון קרית מלך
רב :

אלהים בארמנתיה נודע
למשגב :

כי הנה המלכים נועדו ע
עברו יחרו :

המה ראו כן תמהו נבהלו
נחפזו :

רעדה אחזתם שם חיל כ
ביולדה :

ברוח קדים תשבר אניות
תרשיש :
כאשר שמענו כן ראינו ב
בעיר יהוה צבאות בעיר א
אלהינו אלהים יכוננה עד
עולם סלה :

רמינו אלהים חסרך בקרב
היכלך :

כשמך אלהים כן תהלתך על
קצוי ארץ צרק מלאה ימינך :

ישמח הר ציון תגלנה בנות
יהודה למען משפטיך :

סבו ציון והקיפוה ספרו
מגדליה :

1. *Canticum, pſalmus filiorum Core.*

2. *Magnus DOMINUS, & laudabilis valde, in civitate Dei, monte ſanctitatis ejus.*

3. *Pulcher regionis, exſultatio univerſæ terræ, mons Sion, latera aquilonis, civitas regis multi.*

4. *Deus in palatiis ejus notus eſt exaltationi.*

5. *Quoniam ecce reges convenerunt, tranſierunt ſimul.*

6. *Ipſi viderunt, ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, accelerarunt.*

7. *Tremor apprehendit eos, ibi dolor ut parturientis.*

8. *In vento orientali conteres naves Tharſis.*

9. *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate DOMINI exercituum, in civitate Dei noſtri, Deus aptabit eam uſque in ſeculum. Sélah.*

10. *Imaginati ſumus Deus pietatem tuam in medio templi tui.*

11. *Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua ſuper fines terræ, juſtitia plena eſt dextera tua.*

12. *Lætabitur mons Sion, exſultabunt filiæ Judæ, propter judicia tua.*

13. *Circumdate Sion, & circumite eam, numerate turres ejus.*

1. Pſalmus cantici, filiis Core, *ſecunda Sabbathi*.

2. Magnus DOMINUS, & laudabilis nimis, in civitate Dei *noſtri*, *in* monte ſancto ejus.

3. Fundatur exſultatione univerſæ terræ, mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni.

4. Deus in domibus ejus cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam.

5. Quoniam ecce reges *terræ* congregati ſunt, convenerunt in unum.

6. Ipſi videntes, ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, 7. tremor apprehendit eos.

Ibi dolores, ut parturientis, 8. in ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.

9. Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate DOMINI virtutum, in civitate Dei noſtri, Deus fundavit eam in æternum.

10. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.

11. Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ, juſtitia plena eſt dextera tua.

12. Lætetur mons Sion, & exſulient filiæ Judæ, propter judicia tua *Domine*.

13. Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate *in* turribus ejus.

14. Po-

שִׁיתוּ לִבְּכֶם לְחֵילָה פַּסְּגוּ אַרְמְנוֹתֶיהָ לְמַעַן תְּסַפְּרוּ לְדוֹר אַחֲרוֹן׃	14. *Ponite cor veſtrum in virtute ejus, & diſtribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.*	14. Ponite corda veſtra in virtute ejus, & diſtribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.
כִּי זֶה אֱלֹהִים אֱלֹהֵינוּ עוֹלָם וָעֶד הוּא יְנַהֲגֵנוּ עַל מוּת׃	15. *Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in ſeculum & æternum, ipſe deducet nos ſuper morte.*	15. Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſeculum ſeculi, ipſe reget nos in ſecula.

ANNOTATIONES.

Hieroſolymam Deo cariſſimam, non tam ob ædificiorum, & regionis pulchritudinem, vel fortitudinem, quam ob Dei præſentiam, qui eam ſingularibus victoriis, donis, & beneficiis exornaverit, eleganti carmine laudat. Varietates diſtinctionum ex te recognoſcito.

1. *Pſalmus cantici*. Hebræus: Canticum, pſalmus; ideſt carmen tam organo, quam voce decantandum. Minima varietas. *Filiis*. Vel Filiorum, ut ſuperius. *Secunda Sabbathi*. Non habetur in Hebræo, ex aliqua traditione fortaſſis additum.

2. *Nimis*. Sic transferre מְאֹד interpretes, ſuperius diximus: Valde. *Noſtri*, *In*. Ad declarationem addita. *Sancto*. Idem Hebræus, ſed nomine ſubſtantivo, de more linguæ: Sanctitatis ejus. *Fundatur*. Translatio ſenſus. Hebræus: Pulcher regionis, regione; cujus regio in loco pulcherrimo fundata, & poſita eſt. *Exſultatione*. Idem Hebræus: Gaudium, exſultatio, lætitia univerſæ terræ eſt mons Sion ob regionis pulchritudinem; ad cujus latera aquilonia, civitas regia conſtructa eſt. *Magni*. Idem Hebræus ſuo idiotiſmo: Multi; honorati; in quem multa concurrunt, nempe dotes animi, & corporis, divitiæ, populus multus, regnum amplum, & hujuſmodi.

4. *Domibus*. Hebræus: Palatiis. Nullius momenti varietas. *Cognoſcetur*. Idem Hebræus, ſed præterito: Notus, cognitus eſt. *Cum ſuſcipiet eam*. Tutandam, protegendam, & adjuvandam adverſus Gentilium furores. Senſus translatio. Hebræus de more linguæ: Exaltationi, in exaltationem, locum altum, & munitum, in perfugium.

5. *Terræ*. Non habetur in Hebræo; ad declarationem additum. *Congregati ſunt*. Idem Hebræus fere: Convenerunt in dicto loco, & tempore. *Convenerunt in unum*. Non longe aliter Hebræus: Tranſierunt ſimul; ad eam opprimendam.

6. *Videntes*. Idem Hebræus, quamvis præterito: Viderunt. *Commoti ſunt*. Hebræus: Feſtinaverunt, accelerarunt fugam arripere, celeriter aufugerunt viſis miraculis, & tutela Dei.

7. *Dolores*. Hebræus ſingulariter: Dolor.

8. *In ſpiritu vehementi*. Senſus translatio. Hebræus: In vento orientali, qui vehemens eſt; venti validi violentia, & impetu. *Conteres*. Vox hebræa poteſt etiam eſſe tertia fœminina ad ſpiritum relata: Conteret. Qui ſolet conterere naves Tharſis. Pro dictione תַּרְשִׁישׁ conſule Theſaurum.

9. *Virtutum*. Hebræus: Exercituum; de qua dictione dictum eſt alibi. *Fundavit*. Ut apta, & firma eſſet. Hebræus futuro: Aptabit; firmabit; quaſi ſuper baſi firma ſtabiliet. *In æternum*. Idem Hebræus: Uſque in ſeculum. De Sélah dictum eſt ſuperius.

10. *Suſcepimus*. Conſequuti ſumus tuam opem in medio templi, ubi eam implorabamus, ad imaginationes noſtras eam revocantes. Hebræus: Cogitavimus, imaginati ſumus, nos nequaquam ope tua deſtituendos eſſe, prout alias ſæpius ex-

Digitized by Google

experti ſumus. Non maxima varietas. Superius etiam vidimus pſalmo 17. 12., interpretes hanc vocabuli radicem tranſtuliſſe: Suſceperunt me. Confer locos.

11. *In fines*. Idem Hebræus: Super, ad fines, extrema terræ.

12. *Lætetur*. Hebræus futuro: Lætabitur, gaudebit. Poetice. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exſultent*. Hebræus iterum futuro: Exſultabunt filiæ Judæ; civitates Judææ. *Domine*. Ad declarationem additum.

13. *Complectimini*. Hebræus: Circumite, circumluſtrantes eam. Minima varietas. *Narrate*, *&c.* Interpretes, mutatis punctis vocalibus, legerunt in conjugatione pihel סַפְּרוּ מִגְדָּלֶיהָ, narrate Dei magnitudinem, vel laudes ejus; quod nunc Hebræis eſt ex Cal: Numerate, vel ſcribite turres ejus, ut ſciatis, quæ, & quot ſint. Quamvis divino protegamur auxilio, paranda ſunt nihilominus adverſus hoſtes arma, arces, & hujus generis alia.

14. *Corda veſtra*. Hebræus ſingulariter: Cor veſtrum; quod nihil refert. *In virtute ejus*. Interpretes deducentes nomen a חֵיל, legerunt He cum Mapic: Virtuti ei; ad vim, & robur ejus; quod nunc Hebræis eſt alia nominis forma cum He feminini generis ſigno: Antemurale, propugnaculum: ſic a robore dictum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Diſtribuite*. Fortaſſis alium textum habuerunt interpretes, &, ſi conjectare licet, legerunt פַּזְּרוּ, diſſeminate, domos & palatia ejus diſtributim ſpargite, ut ubique civitas habitetur. Hebræus: Evehite; exaltate; alta, & ampla, & in magnam molem excitate ædificia. *Domos*. Hebræus: Palatia, ut ſuperius. *In progenie altera*. Idem Hebræus, ſed dativo: Progeniei, ætati alteri, poſteriori, ultimæ.

15. *In æternum, & in ſeculum ſeculi*. Idem Hebræus: In ſeculum, & æternum. *In ſecula*. Interpretes arbitrati ſunt, unicam eſſe dictionem adverbialiter poſitam, ſignificationis עוֹלָם, æternaliter, in ſecula; quæ nunc diviſim legitur eodem fere ſenſu: Super morte, uſque ad mortem. Conſule Theſaurum.

PSALMUS XLIX. Latinis XLVIII.

למנצח לבני קרח מזמור :	1. *Præfecto filiorum Core, pſalmus.*	1. In finem filiis Core pſalmus.
שמעו זאת כל העמים ה האזינו כל ישבי חלד:	2. *Audite iſtud omnes populi, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.*	2. Audite omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.
גם בני אדם גם בני איש יחד עשיר ואביון:	3. *Etiam filii hominis, etiam filii viri, ſimul dives, & pauper.*	3. Quique terrigenæ, & filii hominum, ſimul in unum dives, & pauper.
פי ידבר חכמות והגות לבי תבונות:	4. *Os meum loquetur ſapientias, & meditatio cordis mei intelligentiæ.*	4. Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.
אטה למשל אזני אפתח ב בכנור חידתי :	5. *Inclinabo parabolæ aurem meam, aperiam in cithara ænigma meum.*	5. Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in pſalterio propoſitionem meam.
למה אירא בימי רע עון עקבי יסבני :	6. *Cur timebo in diebus mali? iniquitas calcaneorum meorum circumdabit me?*	6. Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me?

7. Quia

הבטחים על חילם וברב עשרם יתהללו :	*7. Qui confidunt ſuper ſubſtantia ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriabuntur.*	7. Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur.
אח לא פדה יפדה איש לא יתן לאלהים כפרו :	*8. Fratrem non redimet, redimet vir, non dabit Deo expiationem ejus.*	8. Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem ſuam.
ויקר פריון נפשם וחדל לעולם :	*9. Et pretioſa erit redemptio animarum eorum, & ceſſabit in æternum.*	9. Et pretium redemptionis animæ ſuæ, & laborabit in æternum.
ויחי עוד לנצח לא יראה השחת :	*10. Et vivet adhuc in æternum, non videbit corruptionem.*	10. Et vivet adhuc in finem. Non videbit interitum,
כי יראה חכמים ימותו יחד כסיל ובער יאבדו ועזבו לאחרים חילם :	*11. Quia videbit, ſapientes morientur, ſimul ſtultus, & pecunius peribunt, & relinquent aliis ſubſtantiam ſuam.*	11. Cum viderit ſapientes morientes? ſimul inſipiens, & ſtultus peribunt. Et relinquent alienis divitias ſuas.
קרבם בתימו לעולם משכנתם לדור ודר קראו בשמותם עלי אדמות:	*12. Intra ſe domus illorum in æternum, tabernacula eorum ætati, & ætati, vocaverunt in nominibus ſuis ſuper terris.*	12. & ſepulcra eorum domus illorum in æternum, Tabernacula eorum in progenie, & progenie, vocaverunt nomina ſua in terris *ſuis*.
ואדם ביקר בל ילין נמשל כבהמות נדמו:	*13. Et homo in pretio non pernoctabit, comparatur ſicut jumenta, quæ aſſimilantur.*	13. Et homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis *inſipientibus*, & ſimilis factus eſt *illis*.
זה דרכם כסל למו ואחריהם בפיהם ירצו סלה:	*14. Hæc via illorum ſtultitia eſt ipſis, & ultima eorum in ore ipſorum volent. Sèlah.*	14. Hæc via illorum ſcandalum ipſis, & poſtea in ore ſuo complacebunt.
כצאן לשאול שתו מות ירעם וירדו בם ישרים לבקר וצורם לבלות שאול מזבל לו:	*15. Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos, & dominabuntur in eos recti in matutino, & figura illorum ad conſumendum infernum ab habitaculo ei.*	15. Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Et dominabuntur eorum juſti in matutino, & auxilium eorum veteraſcet in inferno, a gloria eorum.
אך אלהים יפדה נפשי מיד שאול כי יקחני סלה :	*16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me. Sèlah.*	16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.
אל תירא כי יעשר איש כי ירבה כבוד ביתו :	*17. Ne timueris, quia diteſcet vir, quia multiplicabitur gloria domus ejus.*	17. Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

18.Quo-

כי לא במותו יקח הכל ל לא ירד אחריו כבודו :	18. *Quia non in morte ſua ſumet omnia, non deſcendet poſt eum gloria ejus.*	18. Quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus.
כי נפשו בחייו יברך ויודך כי תיטיב לך :	19. *Quia animam ſuam in vita ipſius benedicet, & confitebuntur tibi, cum benefeceris tibi.*	19. Quia anima ejus in vita ipſius benedicetur, confitebitur tibi, cum benefeceris ei.
תבוא עד דור אבותיו עד נצח לא יראו אור :	20. *Venies uſque ad ætatem patrum ſuorum, uſque in æternum non videbunt lumen.*	20. Introibit uſque in progenies patrum ſuorum, & uſque in æternum non videbit lumen.
אדם ביקר ולא יבין נמשל בבהמות נדמו :	21. *Homo in pretio & non intelliget, comparatus eſt ſicut jumenta, quæ aſſimilantur.*	21. Homo cum in honore eſſet, non inrellexit, comparatus eſt jumentis *inſipientibus*, & ſimilis factus eſt *illis*.

ANNOTATIONES.

STultitiam hominum in rebus cumulandis, animæ poſthabita ratione, demiratus, contra mortem, & infernum nihil prodeſſe divitias, ſed ſolam juſtitiam ex iis eripere, ſtylo decantat elegantiſſimo quidem, ſed ænigmatico, & obſcuritatum pleno. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, de qua voce ſuperius dictum eſt. *Filiis*. Vel Filiorum, ut ſuperius.

2. *Gentes*. Idem Hebræus: Populi. Addit autem pronomen: Audite hoc, iſtud, quod dicturus ſum. Attentionis conciliatio.

3. *Terrigenæ*. Plebeii, ignobiles. Idem Hebræus: Filii Adam, hominis. *Filii hominum*. Hebræus: Filii viri, nobiles, illuſtres. Utitur autem Hebræus particula גַּם eleganter: Etiam filii Adam, & filii viri: pro qua latine, Tam obſcuri, quam illuſtres, diceres. *In unum*. Ad majorem declarationem additum; idem enim Simul eſt.

4. *Sapientiam*. Idem Hebræus, ſed plurali: Sapientias. Omnium ſapientiarum ſcopus eſt mortis meditatio, quam vos me docturum eſſe polliceor. *Prudentiam*. Hebræus iterum pluraliter: Prudentiæ, intelligentiæ, verba prudenter excogitata.

5. *In parabolam*. Idem Hebræus, ſed dativo, de more linguæ: Parabolæ, proverbio. Idiotiſmus. Ideſt ad ea, quæ locuturus ſum, attendam, ut dicta propoſitionibus meis non contrarientur. *In pſalterio*. Hebræus: In cithara. Minima varietas. *Propoſitionem meam*. Hebræus: Ænigma meum. Pro interpretatione vocum harum מָשָׁל, & חִידָה conſule Theſaurum noſtrum. Senſus autem eſt: Partim præclara, partim figurata, partim etiam obſcura, & involuta canam.

6. *In die mala*. Hebræus idem, quamvis plurali, & ſubſtantivo nómine: In diebus mali; calamitatis, malorum, ſenectutis, mortis, & judicii. *Calcanei mei*. Hebræus pluraliter: Calcaneorum meorum. Iniquitatem calcaneorum circumdare aliquem, idiotiſmus; ut in Theſauro.

7. *In virtute ſua*. Sic interpretari חַיִל Noſtros, alias docuimus. Hebræus: Super ſubſtantia ſua, divitiarum potentia, & copia. *Gloriantur*. Hebræus idem, ſed futuro: Gloriabuntur. Nulla varietas.

8. *Re-*

8. *Redimit*. Interpretes, mutatis punctis vocalibus, legerunt פָּדָה, quod nunc Hebræis eſt Macor. Hinc duæ ſententiæ Noſtris, illis unica (licet eodem ſenſus recidat): Nullum poſſe redimere a malis alium. *Homo*. Hebreus: Vir; quod fortaſſe nonnihil refert. *Placationem*. Expiationem; rem, quæ placat, expiat. *Suam*. Hebræus: Ejus. Pronomina varie transferri poſſunt, ut in Grammaticis.

9. *Et pretium redemptionis animæ ſuæ*. Paucis immutatis, videntur Noſtri legiſſe ויקר פִּדְיוֹן נַפְשׁוֹ, quod nunc Hebræis, eodem fere ſenſu, verbum eſt: Et pretioſa erit redemptio animarum eorum; ideſt, nulla, rariſſima. Sic Noſtri: Pro anima ſua, vita ſua non dabit pretium redemptionis; tanta eſt moriendi neceſſitas. *Laborabit*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum. Vel certe ſatis eleganter deduxerunt verbum hebræum ex ſignificatione חָדַל (de quo pſalmo 39. 5.) pro Fungi laboribus videlicet, operibus, & curis hujus vitæ; ceſſare quotidie; ad mortem tendere, quod tamen nos vivere dicimus. Quidam negationem hic, & in ſequenti repetunt e ſuperiore membro: Non laborabit, non vivet; quod non placet, ut mox dicemus. Minus placere poteſt, quod Genebrardo ſit auxeſis: Imo vero laborabit, ſemper vivet, ut ſemper crucietur. Hebræus: Et ceſſabit. Supple, redemptionis pretium: Nunquam redimi poterit: Vel: Etiam ille, qui redimendi curam ſuſceperit, viribus deſtituetur, & ab incepto ceſſabit.

10. *Adhuc*. Non habetur in græco. *In finem*. Sic interpretantur Noſtri לָנֶצַח, ideſt in æternum. Demus etiam, inquit, quod hujuſmodi vivat perpetuo; numquid redimere poterit? Atqui non ita res ſe habere poteſt, cum videat omnes indiſtincte morientes. Genebrardus negationem repetit ex præcedentibus: Non vivet; vel cum aliis interrogative legit: An vivet adhuc in perpetuum? quaſi dicas, minime. Aſt ratione verbi חָדַל interpoſiti, non ſatis commode repetitur negatio. Noſtra ſententia purior, & lectioni convenientior. *Interitum*. Idem Hebræus: Corruptionem, vel ſoveam. Vide pſalmum 10. 10.

11. *Cum viderit*. Non aliter Hebræus: Quia videbit. *Morientes*. Idem Hebræus, ſed futuro: Morientur. *Inſipiens, & ſtultus*. Non ſecus Hebræus: Stultus, & pecuinus. Harum dictionum rationes vide in Theſauro. *Alienis*. Aliis, ut Hebræus habet, non extraneis. Minima tamen varietas. *Divitias ſuas*. Idem Hebræus: Subſtantiam ſuam.

12. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Sepulcra eorum*. Interpretes, tranſpoſitis literis, legerunt קִבְרָם, ſepulcrum eorum; quod nunc Hebræis eſt קִרְבָּם eleganter, & ornate pro בְּקִרְבָּם, in medio ſui, intra ſe; cogitant videlicet, domos ſuas fore æternas, quod falſum eſſe, reipſa experientia docet. Fallitur iterum Genebrardus, dum aliorum interpretationes falſitatis redarguit. *In progenie, & progenie*. Idem Hebræus, ſed dativo: Ætati, & ætati; in omnes ætates tabernacula ſua credunt duratura. *Nomina ſua in terris*. Hypallage. Hebræus etiam de more linguæ; Vocarunt in nominibus ſuis, ſuper terris. Suas appellationes, & vocabula eis indiderunt, ut ſua nomina ſaltem, & titulos redderent immortales. Hinc Alexandria, Conſtantinopolis, & hujusmodi. *Suis*. Ad declarationem additum.

13. *Cum in honore eſſet*. Idem fere Hebræus: In pretio; in nobili, & pretioſa conditione. *Non intellexit*. Fortaſſis olim legebatur יָבִין, ſicut & verſu 21: quod nunc Hebræis eſt יָלִין, pernoctabit. Non diu permanebit, inquit, in illa imaginis Dei nobilitate. *Comparatus eſt*. Idem Hebræus, ſed præſenti: Comparatur. *Jumentis*. Hebræus: Sicut jumenta. *Inſipientibus*. Ad declarationem additum. Alioquin vacat ex Hebræo; cum jumentum ſapiens non inveniatur. Errat Genebrardus credens hanc dictionem reſpondere hebraicæ נִדְמוּ; ait enim.

Re-

Recte. Nam Hebræus: Jumentis (quæ) ſilent; ideſt, quæ ſunt muta, expertia orationis, & rationis, bruta, & ſtolida. At gravius peccat, cum ceteras interpretationes ſtolidas eſſe aſſerit. Quod ſi vera ſunt Genebrardi verba, vacabunt in noſtra translatione quæ ſequuntur *Et ſimilis factus eſt illis*. Ego vero ſuſpicor, Inſipientibus, ad declarationem a Noſtris additum, prout diximus, & dein facili tranſitu eos legiſſe וְנִדְמָה, & ſimilis factus eſt; illis videlicet: quod itidem ad declarationem addiderunt de ſuo. Nunc Hebræis verbum eſt plurale נִדְמוּ ſine conjunctione, & duplicem habet ſignificationem; vel, Quæ ſilent, ut Genebrardo placet; vel, Aſſimilantur, ut mihi lubet; quaſi diceres, jumentis pictis comparatur, non vivis, quæ etſi jumenta, nihilominus Dei perfectum opus ſunt, ut nihil amplius in illis deſiderari poſſit. Silentium in brutis nequaquam imperfectionem indicat. Verum hæc alias fuſius tractabimus.

14. *Scandalum*. Peccatum, error, ſtultitia (ut Hebræus habet), levitas, inconſtantia. Minimi momenti varietas. *Poſtea*. Qui ſunt poſt ea; poſteri. Idem Hebræus: Ultima eorum; poſteri, tam nepotes, quam alii quilibet. *Suo*. Jam diximus, pronomina varie transferri poſſe. Hinc Hebræus exponit, Ipſorum, de quibus ſuperius, non poſterorum. *Complacebunt*. Idem fere Hebræus: Volent. Velle in ore alicujus, eſt idiotiſmus in Theſauro declaratus. Poſſumus etiam hunc locum ſic exponere cum Noſtris interpretibus: Poſtea, poſt hæc omnia, quæ ſuperius eos agere demonſtravimus, ſtoliditatis, & ſtultitiæ plena, illud mirum eſt, quam ſibimet placeant, ſermonibus, & dicteriis delectentur, villas comparatas, & ædificia conſtructa, & alia hujus generis inania jactantes. Neuter horum ſenſuum diſplicere debet. De Sélah, quod bis in hoc pſalmo legitur, dictum eſt ſuperius.

15. *Sicut oves*. Gregatim; vel, Mactationi deſtinatæ. *In inferno*. Vocem hebræam infernum, & ſepulcrum deſignare, diximus in Theſauro. *Mortem depaſcere* aliquos, idiotiſmus, ut in Theſauro. *Eorum*. Syntaxis græca. Hebræus etiam de more linguæ, In eos, habet; eis. *Juſti*. Hebræus: Recti. Nullius momenti varietas. *In matutino*. In altera vita. Locus dilucidandus. *Auxilium eorum*. Vox hebræa lapidem, petram, & per translationem, auxilium, robur, ſignificat. Animam intellexerunt Noſtri, quæ corporis auxilium, & robur eſt. Hebræis hoc in loco צוּר eſt idem quod צוּרָה, figura ſcilicet: animamque exponunt etiam ipſi, quæ dat formam corpori. Idem ſenſus. *Veteraſcet in inferno*. Interpretes punctis vocalibus immutatis, legerunt לְבַלּוֹת ex conjugatione cal, quod nunc Hebræis eſt ex pihel לְבַלּוֹת, ad conſumendum (a logorare), ad conterendum infernum, vel ſepulcrum. *A gloria eorum*. Suſpicor, interpretes alium habuiſſe textum; nam Hebræi nunc legunt: Ab habitaculo ſibi: quia videlicet eorum erit manſio perpetua. Eſt autem idiotiſmus pulcherrimus, Animam conſumere ſepulcrum, vel infernum, quod ejus habitaculum ſit, pro Semper apud inferos habitaturum eſſe. Idem fere ſenſus in Noſtris. Quid alii ſomniaverint, non curo. Expende voces accuratius. Græcus addit ἐξώσθησαν.

16. *De manu inferi*. Poetice. De inferno, de ſepulcro. Antitheſis de ſalute piorum. *Acceperit me*. Alius idiotiſmus. Mortem immittet; meum ſuſceperit ſpiritum.

17. *Ne timueris*. Ne conturberis. *Cum*. Quod, quia. Dictio hebræa כִּי cauſſativa varie transfertur. *Dives factus fuerit*. Idem Hebræus: Diteſcet. *Homo*. Hebræus: Vir; quod nonnihil referre crederem. *Et*. Non habetur in Hebræo. Græcus habet ἢ, aut. *Cum*. Quod, quia, ut ſuperius. *Multiplicata fuerit*. Non aliter Hebræus: Multiplicabitur.

18. *Quoniam*, &c. Idem Hebræus ſuo loquendi idiotiſmo: Quoniam non

in moriendo ipſius ſumet omnia: Nihil ſuarum rerum ſecum auferet. *Cum eo.* Hebræus: Poſt eum. Minima varietas.

19. *Quia anima ejus, &c.* Sic interpretati ſunt Noſtri, quod punctis vocalibus immutatis legerint יְבָרֵךְ ex conjugatione pohal, quamvis verbum ſit maſculinum, & נֶפֶשׁ maſculinum genere; quod nunc Hebræis eſt pihel, & ſic exponunt. Quia animam ſuam in vita ipſius benedicet. Fide, & operibus bonis videlicet. *Confitebitur tibi*. Etiam hic punctis immutatis legerunt יוֹדֻךָ, quod nunc Hebræis eſt plurale, inſuper adjecta Vav conjunctione: Et confitebuntur tibi; te celebrabunt, laudabunt, omnes videlicet. Notum eſt jam, Noſtros ſic interpretari verbum הוֹדָה. Vide Theſaurum. *Ei.* Fortaſſis olim legebatur לוֹ, quod nunc Hebræis eſt לְךָ, tibi. Cum animæ tuæ curam non projeceris, ſed fide & operibus eam nutriendo, ad ſupera iter illi aperueris, tunc omnes te collaudabunt. Errat hic Genebrardus.

20. *Introibit*. Fortaſſis olim legebatur יָבוֹא, quod nunc eſt ſecunda perſona: Venies, mente, & conſideratione videlicet. *Uſque in progenies*. Idem Hebræus, ſed ſingulariter: Uſque ad ætatem. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Videbit*. Hebræus ad patres refert. Nunquam videbunt lumen, & gloriam Dei viri iſti, neque patres, majores eorum; in ſempiternis manebunt tenebris, & horroribus. Alius in Noſtris eſt ſenſus.

21. *Homo cum in honore eſſet*. Vide ſuperius verſ. 13. Græcus addens conjunctionem Καὶ habet Καὶ ἄνθρωπος, &c. *Non intellexit*. Idem Hebræus, ſed futuro: Non intelliget. *Jumentis, &c.* Ut ſuperius verſ. 13: quæ enim in eo habentur, reiterantur hic ad verbum, quaſi de impiis epiphonema.

PSALMUS L. Latinis XLIX.

מזמור לאסף אל אלהים יהוה דבר ויקרא ארץ ממזרח שמש עד מבאו׃	1. *Pſalmus Aſaph.* *Deus Deorum* DOMINUS *locutus eſt, & vocavit terram ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus.*	1. Pſalmus Aſaph. Deus Deorum DOMINUS locutus eſt, & vocavit terram. A ſolis ortu uſque ad occaſum
מציון מכלל יפי אלהים הופיע׃	2. *Ex Sion univerſitate decoris Deus incluruit.*	2. ex Sion ſpecies decoris *ejus*.
יבא אלהינו ואל יחרש אש לפניו תאכל וסביביו נשערה מאד׃	3. *Veniet Deus noſter, & non ſurdeſcet, ignis ante ipſum vorabit, & circuitibus ejus tempeſtas excitata eſt valde.*	Deus manifeſte 3. veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu ejus exardeſcet; & in circuitu ejus tempeſtas valida.
יקרא אל השמים מעל ואל הארץ לדין עמו׃	4. *Vocabit ad cælum deſurſum, & ad terram diſcernere populum ſuum.*	4. Advocavit cælum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum.
אספו לי חסידי ברתי בריתי עלי זבח׃	5. *Congregate mihi pios meos, ferientes pacti mei ſuper ſacrificium.*	5. Congregate illi ſanctos ejus, qui ordinant teſtamentum ejus ſuper ſacrificia.

6. *Et*

ויגידו שמים צדקו כי א
אלהים שפט הוא סלה :

6. Et annunciarunt cæli juſtitiam ejus, quoniam Deus judex eſt. Sélah.

6. Et annunciabunt cæli juſtitiam ejus, quoniam Deus judex eſt.

שמעה עמי ואדברה ישראל
ואעידה בך אלהים אלהיך א
אנכי :

7. Audi popule meus, & loquar, Iſrael, & conteſtabor in te, Deus Deus tuus ego ſum.

7. Audi popule meus, & loquar; Iſrael, & teſtificabor tibi, Deus Deus tuus ego ſum.

לא על זבחיך אוכיחך ו
ועולותיך לנגדי תמיד :

8. Non ſuper ſacrificia tua arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper.

8. Non in ſacrificiis tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper.

לא אקח מביתך פר מ
ממכלאתיך עתודים :

9. Non accipiam de domo tua juvencum, de caulis tuis hircos.

9. Non accipiam de domo tua vitulos, *neque* de gregibus tuis hircos.

כי לי כל חיתו יער בהמות
בהררי אלף :

10. Quoniam mea eſt omnis fera ſilvæ; jumenta in montibus mille.

10. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſilvarum, jumenta in montibus, & boves.

ידעתי כל עוף הרים וזיז
שדי עמדי :

11. Cognovi omnem avem montium, & ſplendor agreſtis mecum eſt.

11. Cognovi omnia volatilia cæli, & pulcritudo agri mecum eſt.

אם ארעב לא אמר לך כי
לי תבל ומלאה :

12. Si eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis, & plenitudo ejus.

12. Si eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis *terræ*, & plenitudo ejus.

האוכל בשר אבירים ודם
עתודים אשתה :

13. Numquid manducabo carnem taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?

13. Numquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo?

זבח לאלהים תודה ושלם
לעליון נדריך :

14. *Immola Deo* ſacrificium *confeſſionis, & perfice Altiſſimo vota tua.*

14. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.

וקראני ביום צרה אחלצך
ותכבדני :

15. Et voca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.

15. Et invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.

ולרשע אמר אלהים מה לך
לספר חקי ותשא בריתי עלי
פיך :

16. Et injuſto dixit Deus, quid tibi ad narrandum ſtatuta mea, & levaſti teſtamentum meum ſuper os tuum?

16. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?

ואתה שנאת מוסר ותשלך
דברי אחריך :

17. Tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos poſt te.

17. Tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum.

אם ראית גנב ותרץ עמו
ועם מנאפים חלקך :

18. Si vidiſti furem, & voluiſti cum eo, & cum adulteris portio tua.

18. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam *ponebas*.

פיך שלחת ברעה ולשונך
תצמיד מרמה :

19. Os tuum miſiſti in malum, & lingua tua concinnabit dolum.

19. Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.

תשב באחיך תדבר בבן אמך תתן דפי :	20. *Sedebis, in fratrem tuum loquêris, in filium matris tuæ dabis vitium.*	20. Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: 21. hæc feciſti, & tacui.
אלה עשית והחרשתי דמית היות אהיה כמוך אוכיחך ו ואערכה לעיניך :	21. *Hæc feciſti, & obſurdui, exiſtimaſti, eſſendo ero ſicut tu, arguam te, & ordinabo oculis tuis.*	Exiſtimaſti *inique*, quod ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.
בינו נא זאת שכחי אלוה פן אטרף ואין מציל :	22. *Intelligite quæſo hoc, qui obliviſcimini Deum, ne forte rapiam, & non ſit qui eripiat.*	22. Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, nequando rapiat, & non ſit, qui eripiat.
זבח תודה יכבדנני ושם ד דרך אראנו בישע אלהים :	23. *Sacrificans laudem honorificabit me, & ponet iter, quo videre faciam eum in ſalute Dei.*	23. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.

ANNOTATIONES.

GRatiarum actiones Deo perſolvendas, non tam cæſis victimis, quam animi pietate, vitæ innocentia, puritate, juſtitia, carminibus canit perſpicuis, & elegantiarum poeticarum floſculis ornatis. Diſtinctionum varietates ex te facile cognoſces.

1. *Deorum*. Angelorum. Vide Theſaurum. *Vocavit terram*. Poetice. *Occaſum*. Hebræus addit: Ejus; Solis videlicet: quod nihil refert.

2. *Species*. Hebræus: Univerſitas. Qui Sion ſumma pulcritudo eſt, ut ſuperius pſalmo 48. 3. *Ejus*. Non habetur in Hebræo. *Manifeſte*. Quoniam interpretes ſequenti verbo conjunxerunt hoc, in adverbium illud mutarunt, eodem manente ſenſu: Clare; non obſcure. Hebræus per præteritum: Inclaruit, reſplenduit, claritatem emiſit.

3. *Non ſilebit*. Quaſi ſurdus. Idem hebræo verbo, Surdeſcet, deſignatur. *In conſpectu ejus*. Idem fere Hebræus: Ante eum. *Exardeſcet*. Sic Hebræus poetice: Vorabit. *In circuitu ejus*. Hebræus idem, ſed pluraliter: Circuitibus ejus. *Tempeſtas valida*. Non aliter Hebræus, quamvis verbo, & adverbio: Tempeſtas excitata eſt valde. Poetica hypotypoſi, quæ Deus ad puniendum impios habet in promptu graviſſima ſupplicia, deſcribit.

4. *Advocavit*. Hebræus futuro, præpoſitionem de more linguæ addens nomini: Vocabit ad cælum, ad terram. Proſopopœia. *Diſcernere*. Hebræus: Ad judicandum, jure diſceptandum. Verbo Diſcernendi pro Judicandi, & Ulciſcendi utuntur noſtri interpretes.

5. *Illi*. Noſtri legerunt לו, facili tranſitu Jod in Vav. Hebræus: Mihi. *Sanctos ejus*. Eodem modo legerunt etiam hic חֲסִידָיו, quam vocem ſemper ſic interpretari Noſtros ſæpius diximus. Hebræus: Pios meos. Conſule Theſaurum. *Qui ordinant teſtamentum ejus*. Etiam hic legerunt בְּרִיתוֹ. Hebræus: Ferientes teſtamenti mei, fœderis, pacti. Qui cæſis victimis fœdus mecum inierunt. Morem ineundi fœdera vide in Theſauro in his duabus dictionibus. *Super ſacrificia*. Hebræus idem, quamvis ſingulariter: Supra, per ſacrificium; accedentibus ſacrificiis.

6. *Annunciabunt*. Legerunt interpre-

pretes וַיַּגִּידוּ, quod nunc Hebræis eſt converſum in præteritum de more linguæ: Annunciarunt, indicarunt, prædicarunt. *Juſtitiam ejus*. Dei, vel fœderis. *Quoniam*. Genebrardo eſt continuativa particula, mihi vero cauſſalis proprie. Quia Deus judex eſt, qui non poteſt fallere, vel falli, ob id jure cæli juſtitiam ejus prædicare poſſunt.

7. *Teſtificabor tibi*. Hebræus: Teſtes adducam in te, conteſtabor. Vulgo *proteſtare*.

8. *In*. Hebræus: Super, propter. Utinam non adeſſet tibi ſacrificandi neceſſitas. Lege Leviticum.

9. *Vitulos*. Hebræus ſingulariter: Juvencum, taurum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *De gregibus tuis*. Non longe aliter Hebræus: De caulis tuis, ubi manent greges.

10. *Meæ ſunt, &c.* Idem Hebræus, ſed ſingulariter: Mea eſt omnis fera ſilvæ. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Boves*. Fortaſſis legerunt interpretes בְּהַרְרֵי אָלֶף, in montibus bovis, bovum; diſſolventes dein ob ſententiam verba hebræa, dixerunt, Et boves, quod nunc Hebræis eſt: In montibus mille. Conſule Theſaurum. Eſt tamen parvi momenti varietas.

11. *Omnia volatilia*. Idem Hebræus, ſed collective ſingulariter: Omne volatile, omnem avem cognoſco. Sunt in mea poteſtate, & ditione. *Cæli*. Noſtri videntur alium habuiſſe textum, & veriorem fortaſſe; nam Hebræi nunc legunt: Montium. Nullius tamen momenti varietatem eſſe crederem. *Pulcritudo*. Vide pſalmum 80. 14. Quid hebræa vox ſignificet, incertum eſt. Conſule Theſaurum.. Noſtri, facili tranſitu Zain in Vav, videntur legiſſe זִיז, pulcritudo, ſplendor agri; animantia videlicet omnia, arbores, & hujuſmodi, ſine quibus orbis horreret penitus.

12. *Terræ*. Ad declarationem additum. *Plenitudo ejus*. Hebræus: Quidquid eo continetur.

13. *Carnes*. Idem Hebræus ſingulariter: Carnem *Taurorum*. Idem Hebræus: Robuſtorum. Vide Theſaurum.

14. *Laudis*. Idem Hebræus: Confeſſionis, quæ fit peccata confitendo, & Deo pro remiſſione gratias agendo. Vide Theſaurum. *Redde*. Non ſecus Hebræus: Perfice. Quaſi vota imperfecta ſint, niſi quæ voveris, reddideris.

15. *Invoca*. Sic Hebræus: Voca me. *Tribulationis*. Græcus addit, Tuæ, θλίψεώς σου. *Et*. Non habetur in Hebræo.

16. *Peccatori*. Sic transferre רָשָׁע Noſtros, ſæpius dictum eſt. Hebræus: Injuſto. *Quare tu enarras?* Idem prope Hebræus, ſed infinitivo, ſuo loquendi tropo: Quid tibi ad narrandum? *Juſtitias meas*. Hebræus: Statuta, decreta mea; quibus ſervatis, hominibus confertur juſtitia. Non magna varietas. *Aſſumis*. Idem Hebræus, ſed præterito: Aſſumpſiſti, levaſti fœdus meum. *Per*. Hebræus: Super. Minima varietas.

17. *Retrorſum*. Sic etiam Hebræus: Poſt te.

18. *Videbas*. Hebræorum præterita poſſunt aliis temporibus transferri, ut in rebus grammaticis docuimus. *Currebas*. Noſtri, mutatis punctis vocalibus, legerunt נִתְרָץ ex radice רוּץ, quod nunc Hebræis eſt וַתִּרֶץ, Et voluiſti, a radice רָצָה, videlicet. Conſule Theſaurum. *Portionem tuam*. Sic reddiderunt Noſtri addentes de ſuo Ponebas. Hebræus: Portio, pars tua erat cum adulteris. Cum iis habebas commercium. Nulla ſenſus varietas.

19. *Abundavit malitia*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus ſuo loquendi tropo: Miſiſti in malum. *Concinnabat*. Hebræus futuro protulit: Concinnabit. At vox hebræa eſt etiam ſecunda maſculina, & hac de cauſſa ſic etiam transferri poteſt: Et lingua tua concinnabis (copulabas, conjungebas) fraudem. Idem tamen ſenſus. *Dolor*. Hebræus ſingulariter: Dolum.

20. *Sedens*. Hebræus futuro: Sedebis; quod nihil refert. *Adverſus*.

Idem

Idem Hebræus in ambobus locis : In, contra. *Loquebaris*. Hebræus futuro: Loquéris. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Ponebas ſcandalum*. Idem fere Hebræus, ſed futuro: Dabis vitium; aliquid vitioſum affingebas ei. Minima varietas.

21. *Tacui*. Hebræus : Obſurdui, audire diſſimulavi magna lenitate, & patientia; & ſic tacui : ultionem de his non ſumpſi. Nulla varietas. *Exiſtimaſti*. Cogitaſti, ſimilitudinem feciſti. Vide Theſaurum. *Inique*. Non habetur in Hebræo; ad declarationem fortaſſis additum: quamvis ſuſpicer, Noſtros, facili tranſitu Jod in Vav, ſequentem dictionem legiſſe חוּק, Infortunia, perverſitates; quam adverbialiter ipſi reddiderunt : Inique. *Quod ero tui ſimilis*. Non aliter Hebræus, ſuis loquendi modis: Eſſendo ero ſicut tu. *Statuam contra faciem tuam*. Supple, Quæ geſſiſti, per apoſiopeſim. Non aliter Hebræus, quamvis aliis verbis: Et ordinabo, inſtruam oculis tuis, ut te præſentem convincam.

22. *Hæc*. Hebræus idem ſingulariter, ſed particulam obſecrativam addens: Quæſo, amabo (di grazia) hoc. *Rapiat*. Fortaſſe legerunt interpretes facili tranſitu יִטְרוֹף, quod nunc Hebræis eſt prima perſona: Rapiam; leonis inſtar. Metaphorice. Idem tamen ſenſus.

23. *Sacrificium laudis*. Noſtri, punctis vocalibus immutatis, legerunt זֶבַח תּוֹדָה, quod nunc Hebræis eſt participium: Sacrificans laudem, confeſſionem. Vide ſuperius verſ. 14. Idem eſt ſenſus. *Et illic*. Noſtri legerunt וְשָׁם cum Scin dextero, quod nunc Hebræis, facili tranſitu Scin in Sin ſiniſtrum, eſt וְשָׂם, & ponet. Utraque lectio ſervari poteſt, & idem eſt ſenſus: Illic, in illo ſacrificio eſt iter; vel eo ſacrificio pones iter, modum, quo &c. *Oſtendam illi*. Idem Hebræus: Videre faciam eum. *Salutare Dei*. Jam ſæpius vidimus, Noſtros ſic interpretari dictionem hanc, pro qua Hebræus habet: In ſalutem Dei. Meam videlicet: & ob id eximiam, & inſignem Redemptionem a Chriſto faciendam innuit. Græcus pro Salutare Dei, habet τὸ σωτήριόν μου, ſalutare meum.

GRA-

GRADUS SEXTUS

PSALMUS LI. Latinis L.

למנצח מזמור לדוד :	1. *Præfecto, pſalmus Davidi.*	1. In finem, pſalmus David.
בבוא אליו נתן הנביא ב באשר בא אל בת שבע :	2. *Cum venit ad eum Nathan propheta, quando venit ad Bethſabee.*	2. Cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethſabee.
חנני אלהים כחסדך ברב רחמיך מחה פשעי :	3. *Miſerere mei Deus ſecundum pietatem tuam, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele prævaricationes meas.*	3. Miſerere mei Deus, ſecundum *magnam* miſericordiam tuam. *Et* ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.
הרבה כבסני מעוני ו ומחטאתי טהרני :	4. *Multiplica, lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.*	4. Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.
כי פשעי אני ארע וחטאתי נגדי תמיד :	5. *Quoniam prævaricationes meas ego cognoſcam, & peccatum meum contra me ſemper.*	5. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.
לך לבדך חטאתי והרע ב בעיניך עשיתי למען תצדק ב בדברך תזכה בשפטך :	6. *Tibi ſoli peccavi, & malum in oculis tuis feci, ut juſtificaberis in te loquendo, mundus eris in te judicando.*	6. Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.
הן בעוון חוללתי ובחטא יחמתני אמי :	7. *Ecce in iniquitate conceptus ſum, & in peccato concepit me mater mea.*	7. Ecce *enim* in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.
הן אמת חפצת בטחות ובסתם חכמה תודיעני :	8. *Ecce veritatem voluiſti, in obductis, & in abſtruſo ſapientiam cognoſcere me facies.*	8. Ecce *enim* veritatem dilexiſti, incerta, & occulta ſapientiæ *tuæ* manifeſtaſti mihi.
תחטאני באזוב ואטהר ת תכבסני ומשלג אלבין :	9. *Expiabis me in hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.*	9. Aſperges me *Domine* hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.
תשמיעני ששון ושמחה ת תגלנה עצמות דכית :	10. *Audire me facies gaudium & lætitiam, exultabunt oſſa, quæ contrivisti.*	10. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.
הסתר פניך מחטאי וכל ע עונתי מחה :	11. *Abſconde faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*	11. Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.
לב טהור ברא לי אלהים ורוח נכון חדש בקרבי :	12. *Cor mundum crea mihi Deus, & ſpiritum aptum innova intra me.*	12. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

13. Ne

אל תשליכני מלפניך ורוח קדשך אל תקח ממני :	13. *Ne projicies me a facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne accipies a me.*	13. Ne projicias me a facie tua; & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas a me.
השיבה לי ששון ישעך ורוח נדיבה תסמכני :	14. *Redire fac mihi lætitiam ſalutis tuæ, & ſpiritu liberali fulcies me.*	14. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.
אלמדה פשעים דרכיך וחטאים אליך ישובו :	15. *Docebo prævaricatores vias tuas, & peccatores ad te redibunt.*	15. Docebo iniquos vias tuas, & impii ad ſe convertentur.
הצילני מדמים אלהים אלהי תשועתי תרנן לשוני צדקתך :	16. *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, ovabit lingua mea juſtitia tua.*	16. Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, & exſultabit lingua mea juſtitiam tuam.
אדני שפתי תפתח ופי יגיד תהלתך :	17. *Domine labia mea aperies, & os meum indicabit laudem tuam.*	17. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.
כי לא תחפוץ זבח ואתנה עולה לא תרצה :	18. *Quoniam non voles ſacrificium, & dabo? holocauſtum non voles.*	18. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem *utique*, holocauſtis non delectaberis.
זבחי אלהים רוח נשברה לב נשבר ונדכה אלהים לא תבזה :	19. *Sacrificia Dei ſpiritus confractus, cor confractum, & contritum Deus non deſpicies.*	19. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.
היטיבה ברצונך את ציון תבנה חומות ירושלם :	20. *Bene fac in voluntate tua Sion, ædificabis muros Jeruſalem.*	20. Benigne fac *Domine* in *bona* voluntate tua Sion, & ædificentur muri Jeruſalem.
אז תחפוץ זבחי צדק עולה וכליל אז יעלו על מזבחך פרים :	21. *Tunc voles ſacrificia juſtitiæ, victimam, & holocauſtum, tunc aſcendent ſuper altare tuum vituli.*	21. Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

ANNOTATIONES.

Exemplo ſui, qui parricidium in Uriam, adulterium in Bethſabeam commiſerat, quibus orationum, & obſecrationum generibus ſcelerum venia quærenda ſit, docet flebili quidem carmine, non ineleganti tamen, ſed digno, qui ſemper in manibus habeatur. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, præpoſito; de qua voce ſuperius dictum eſt.

2. *Intravit*. Idem Hebræus: Venit; quo verbo venuſte deſcribitur adulterium. Græcus poſt Berſabee addit Τὴν γυναῖκα οὐρίου.

3. *Magnam*. Non habetur in Hebræo; ad augendam orationis vim a Noſtris additum. *Miſericordiam*. Sæpius dictum eſt, Noſtros ſic transferre חֶסֶד, Pietatem. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Iniquitatem meam*. Hebræus pluraliter: Prævaricationes meas.

Pro

Pro tua pietate, multiſque miſerationibus, quæ prævaricatus ſum in te, abſtergas, & deleas rogo. Minimi momenti varietas.

4. *Amplius*. Comparativus loco poſitivi, vel ſuperlativi: Multum; copioſe, plurimum. Noſtri legerunt ut ſcribitur הַרְבֵּה, quod ſæpius adverbialiter uſurpatur; nam alias eſt imperativus, ſicut & nunc Hebræis, qui legunt ex Maſſara הֶרֶב, Multiplica. Senſus idem.

5. *Iniquitatem meam*. Hebræus pluraliter, ut ſuperius: Prævaricationes meas. *Contra me*. E regione mei, coram me.

6. *Tibi ſoli*. Non aliter Hebræus: Tibi, ſolitudini tuæ (ut ita dicam) peccavi, quia judicem alium non habeo, qui pœnas de me ſumat. *Coram te*. Sic Hebræus: In oculis tuis. *Juſtificeris*. Idem hebræo verbo futuro deſignatur: Juſtificaberis; juſtus, verax apparebis. *In ſermonibus tuis*. Noſtri, punctis vocalibus immutatis, legerunt בְּדָבְרֶךָ, in verbis tuis, quod nunc Hebræis eſt infinitivus: In loquendo te; dum loqueris. Idem ſenſus. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Vincas*. Translatio ſenſus. Hebræus futuro: Purus, mundus eris. *Cum judicaris*. Syncope. Loco Judicaveris, ut Hebræo correſpondeat; quamvis Græcus aliter habere videatur. Hebræus infinitivo, ut ſupra: In judicando te; dum judicas. In ſervandis promiſſis pœnitentibus juſtus, & verax; in judicandis illis, qui reſipiſcere nolunt, purus ſemper invenitur Deus.

7. *Enim*. Non habetur in Hebræo. *In iniquitatibus, in peccatis*. Idem Hebræus, ſed ſingulariter: In iniquitate, in peccato; quod fortaſſe non nihil refert. *Concepit me*. Hebræus: Calefacta eſt de me. Ardorem coitus exprimit ornate, qui non fit ſine originaria parentum noſtrorum corruptela. Inde ſe propenſum eſſe ad peccatum natum, queritur.

8. *Enim*. Non habetur in Hebræo. *Dilexiſti*. Hebræus: Voluiſti. Nullius momenti varietas. *Incerta, & occulta ſapientiæ*. Interpretes arbitrati ſunt, hæc duo nomina a verbo regi a parte poſt (ut loquuntur Grammatici) cum præpoſitione Beth; ut ſit idiotiſmus pulcherrimus, Cognoſcere facere aliquem in abditis ſapientiæ: quod nequaquam abſurdum eſt; quamvis aliter Hebræi locum exponant, uti mox dicturus ſum. Incerta, poſitum pro, Abſtruſa, & arcana. *Tuæ*. Ad declarationem additum. In oblitis, obtectis, & in occulto, ideſt in rebus mihi occultis, ſapientiam manifeſtaſti mihi. Vel, in rebus ſapientiæ abſtruſiſſimis, occultiora ſapientiæ indicaſti mihi. Hebræus ad verbum: In oblitis, obductis, & in obturato ſapientiam cognoſcere me facies; ideſt, In renibus (ut illis placet) qui ſunt obtecti, & incruſtati adipe; vel certe, In corde (ut mihi videtur, prout alias fuſius explicabo) quod obtectum, & obturatum eſt, non tam ab hepate, aliiſque præcordiis, quam ob peccatum, reſipiſcendi modum, & ordinem, quæ vera ſapientia eſt, manifeſtes mihi velim. Neuter ſenſus aſpernandus, qui ex varia vocum hebraicarum intelligentia naſcitur.

9. *Aſperges me*. Hebræus per futurum: Expiabis me. Non magna varietas. *Domine*. Non habetur in Hebræo, nec in græco, quamvis ſubintelligatur. *Hyſſopo*. Ad legis expiationes alludit. Conſule Theſaurum noſtrum in hac dictione; vel Numerorum, & Levitici libros lege. *Super nivem*. Sic Hebræus: A, præ nive.

10. *Auditui meo dabis*. Non aliter Hebræus: Audire me facies. De propitiato peccato animi gaudium, & lætitia naſcitur, corporiſque melior habitudo. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in græco. *Humiliata*. Hebræus: Quæ contriviſti, comminuiſti terrore pœnæ. Nullius fere momenti varietas.

11. *Averte*. Hebræus idem fere: Abſconde, cela faciem tuam, ne peccata mea videas.

12. *In me*. Idem Hebræus, ſed dativo

tivo: Mihi. *Rectum*. Hebræus: Aptum, firmum, ſtabilem. Animam firmam, vel Spiritum Sanctum. Nulla varietas. *In viſceribus meis*. Sic Hebræus: Intra me, in medio mei.

13. *Projicias*. Eſt futurum in Hebræo; quod nihil refert: Projicies. *Auferas*. Sic Hebræus, ſed futuro: Accipies.

14. *Redde*. Idem Hebræus: Redire fac. *Salutaris tui*. Hebræus: Salutis, auxilii tui; quam dictionem interpretes noſtros ſic transferre, ſæpius diximus. *Spiritu principali*. Principe, nobili, primario, munifico, liberali, & benefico. Hæc omnia voce deſignantur hebraica. Conſule Theſaurum. *Confirma*. Hebræus per futurum: Fulcies, vel Spiritus liberalis Fulciet me; nam verbum hebræum eſt tam ſecundæ, quam tertiæ perſonæ. Nulla ſenſus varietas.

15. *Iniquos*. Hebræus: Prævaricatores, transgreſſores. *Impii*. Hebræus: Peccatores. *Convertentur*. Sic Hebræus: Redibunt. Minimæ, & nullius fere momenti varietates.

16. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exſultabit, &c.* Active. Exſultando canet. Hebræus: Ovabit, &c.

17. *Annunciabit*. Indicabit, prædicando efferet.

18. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem*. Idem ſenſus in Hebræo, quamvis aliis verbis, & interrogative: Quoniam non voles ſacrificium, & dabo? *Utique*. Non habetur in Hebræo. *Holocauſtis non delectaberis*. Hebræus: Holocauſtum non voles, gratum habebis. Minima varietas.

19. *Sacrificium Deo*. Hebræus plurali nomine: Sacrificia Dei; quod nihil referre credo. *Contribulatus*. Hebræus: Confractus. *Cor contritum, & humiliatum*. Idem fere Hebræus: Confractum, & contritum.

20. *Benigne fac*. Idem Hebræus: Benefac. *Domine*. Non habetur in Hebræo. *Bona*. Ad declarationem additum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Ædificentur muri*. Mutatio perſonæ, ſed non ſenſus. Hebræus: Ædificabis muros Jeruſalem. Spiritualem per Chriſtum redintegrationem Jeruſalem intellige.

21. *Acceptabis*. Idem Hebræus: Voles. *Sacrificium*. Hebræus pluraliter: Sacrificia; quod nihil refert. *Oblationes, & holocauſta*. Hebræus ſingulariter: Victimam, & holocauſtum. Nullius momenti varietates. *Imponent*. Vel, Aſcendent; nam verbum hebræum poteſt eſſe ex Cal, & ex Hiphil. Idem tamen ſenſus.

PSALMUS LII. Latinis LI.

למנצח משכיל לדוד:	1. *Præfecto, intellectus Davidis.*	1. In finem; intellectus David.
בבוא דואג האדומי ויגד לשאול ויאמר לו בא דוד אל בית אחימלך:	2. *Cum venit Doeg Idumæus, & annunciavit Sauli, & dixit illi, venit David ad domum Abimelech.*	2. Cum venit Doeg Idumæus, & annunciavit Sauli, & dixit, venit David in domum Abimelech.
מה תתהלל ברעה הגבור חסד אל כל היום:	3. *Quid gloriaberis in malo, o potens? pietas Dei tota die.*	3. Quid gloriaris in malitia? qui potens es in iniquitate?
הוות תחשב לשונך כתער מלטש עשה רמיה:	4. *Infortunia cogitabit lingua tua, ſicut novacula acuta faciens dolum.*	Tota die 4. injuſtitiam cogitavit lingua tua, ſicut novacula acuta feciſti dolum.

5. Di-

אהבת רע מטוב שקר מדבר צדק סלה :	5. *Dilexiſti malum præ bono, mendacium magis, quam loqui juſtitiam. Sélah.*	5. Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem.
אהבת כל דברי בלע לשון מרמה :	6. *Dilexiſti omnia verba deglutionis, o lingua doli.*	6. Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa.
גם אל יתצך לנצח יחתך ויסחך מאהל ושרשך מארץ חיים סלה:	7. *Etiam Deus deſtruet te in perpetuum, franget te, & exſtirpabit te de tabernaculo, & eradicabit te de terra viventium. Sélah.*	7. Propterea Deus deſtruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo *tuo*, & radicem tuam de terra viventium.
ויראו צדיקים וייראו ועליו ישחקו :	8. *Et videbunt juſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt.*	8. Videbunt juſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, *& dicent.*
הנה הגבר לא ישים אלהים מעוזו ויבטח ברב עשרו יעז בהותו :	9. *Ecce vir, qui non ponet Deum robur ſuum, & confiſus eſt in multitudine divitiarum ſuarum, corroboratus eſt in infortunio ſuo.*	9. Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum. Sed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua.
ואני כזית רענן בבית א אלהים בטחתי בחסד אלהים עולם ועד:	10. *Ego autem ſicut oliva virens in domo Dei, confiſus ſum in pietate Dei in ſeculum, & æternum.*	10. Ego autem ſicut oliva fructiſera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei in æternum, & in ſeculum ſeculi.
אודך לעולם כי עשית ו ואקוה שמך כי טוב נגד ה חסידיך:	11. *Confitebor tibi in ſeculum, quia feciſti, & exſpectabo nomen tuum, quoniam bonum* eſt *coram piis tuis.*	11. Confitebor tibi in ſeculum, quia feciſti, & exſpectabo nomen tuum, quoniam bonum *eſt* in conſpectu ſanctorum tuorum.

ANNOTATIONES.

IMpios tandem exitium, juſtos ſalutem a Deo reportare, canit oratione omnibus elegantiarum numeris abſoluta. Diſtinctionum varietates, ex te recognoſcas velim.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, præpoſito, ut alias diximus.

2. *Et dixit.* Hebræus addit pronomen, Ei; quod nihil refert. *In domum.* Hebræus: Ad domum. Nulla variatio. *Abimelech.* Hebræus: Ahimelech. Libro primo Samuelis capite 21. verſ. 1. & deinceps habetur hæc hiſtoria, & ſemper ſacerdos ille Achimelech, non Abimelech dicitur. At libro primo Paralip. 18. 16. ſcriptum legimus: Porro Zadoc filius Achitub, & Abimelech filius Abiatar erant ſacerdotes: ut ſuſpicer, illum fuiſſe binominem, & ob id Noſtros dixiſſe eum Abimelech, quamvis in Hebræo ſit Achimelech. Confer locos, & conſule Theſaurum noſtrum.

3. *Gloriaris.* Idem Hebræus, ſed futuro: Gloriaberis, te laudabis. *In malitia.* Non aliter Hebræus: In malo. *Qui potens es.* O potens, o fortis. Erat enim præcipuus Saulis pecuarius. *In iniquitate.* Genebrardus arbitratur, Noſtros interpretes, punctis vocalibus immutatis, legiſſe חֵקֶר אֶל, ſcelus ad, ideſt,

Digitized by Google

ad ſcelus, per anaſtrophen. Verum ut demus homini, חֶסֶד ſcelus, probrum ſignificare, vel ſaltem εἰρωνικῶς proferri in propria ſignificatione, illam tamen ejus anaſtrophen in lingua hebræa non admitterem tam facile, quæ tales figuras non patitur: ſed potius crederem, Noſtros legiſſe proprie אֶל חֶסֶד, ad pietatem (ironice), ad ſcelus, iniquitatem. Mihi tamen magis probatur, ut legerint, ſicut & nunc Hebræi: Pietas Dei tota die. Ironice. Quotidie pietatis officia agitas, ne dicam, ſimulas, nullum officiorum genus prætermittis, quamvis deinde altera ex parte me apud tyrannum pietatis ſpecie prodere non dubitas. Hanc pietatem fictam, vel ſaltem malitiæ conjunctam, Noſtri vocarunt iniquitatem.

4. *Injuſtitiam*. Hebræus: Infortunia, calamitates. Active. Quibus alios opprimas, & nihil aliud, quam injuſtitia propriæ ſunt. *Cogitavit*. Idem Hebræus, ſed futuro: Cogitabit. *Feciſti*. Noſtri retulerunt verbum ad Doeg, quod in Hebræo præſens eſt: Faciens, facis dolum. Hebræi ad novaculam acutam, quæ faciat dolum, ideſt, imprudentes acutie ſua fallat, capillorum, & barbæ loco ſecans carnem, & jugulum. Sic Doeg pietatis acutie calamitates inſerendas meditabatur. Idem ſenſus hinc inde.

5. *Malitiam*. Idem Hebræus: Malum. *Super*. Modus comparationis hebraicæ: Pluſquam. Hebræus ſuo tropo: A, præ. *Benignitatem*. Non longe aliter Hebræus: Bonum, præ bono. *Iniquitatem*. Hebræus: Mendacium, quod a Noſtris iniquitas appellatur. *Magis quam loqui*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: A loquendo, præ loqui. *Æquitatem*. Juſtitiam; quod juſtum eſt. De Sélah, quod bis legitur in hoc pſalmo, dictum eſt alibi.

6. *Præcipitationis*. Idem fere Hebræus: Deglutionis; quæ bonis præſertim ſacerdotibus Domini deglutionem, perniciemque attulerunt. *Lingua doloſa*. Idem Hebræus, quamvis ſubſtantivo: Lingua doli, fraudis. Vocativo, vel ablativo caſu.

7. *Propterea*. Hebræus: Etiam. Nullius momenti varietas. *In finem*. Sic interpretantur לָנֶצַח Noſtri: In perpetuum. *Evellet te*. Noſtri videntur traxiſſe verbum a radice מָחָה, ideſt, capiet, excipiet te, quod idem eſt cum Evellere; quod nequaquam abſurdum eſt, quamvis a חָתַת potius derivari videatur; ideſt, franget te. Minima ſenſus varietas. *Emigrabit*. Active. Expellet, transferet. Hebræus neſcio quid gravius: Exſtirpabit. *Tuo*. Ad declarationem additum. Hebræa tamen verba poſſunt exponi de templo; quod notandum eſt. *Et radicem tuam*. Noſtri, mutatis punctis vocalibus, legerunt וְשָׁרְשְׁךָ, quod nunc Hebræis eſt verbum: Et eradicabit, radicitus evellet te de hoc mundo, vel etiam de futura vita.

8. *Videbunt*. Hebræus addit præpoſitionem: Et videbunt exitium impii, & timebunt Deum, venerabunturque. *Et dicent*. Non habetur in Hebræo, quamvis omnino ſubintelligi debeat.

9. *Homo*. Hebræus: Vir. A fortitudine ſic dictus, ut correſpondeat verſ. 3. *Poſuit*. Idem Hebræus, ſed futuro: Ponet. *Adjutorem ſuum*. Hebræus: Robur ſuum, a quo protectionem, & auxilium exſpectet. *Sed*. Hebræus non particula adverſativa, ſed conjunctione, Et, utitur. *Speravit*. Sic transferre Noſtros verbum בָּטַח, ſæpius vidimus; quod ex confidentia ſpes oriatur. *Divitiarum ſuarum*. Idem Hebræus, quamvis ſingulariter. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Prævaluit*. Roboravit ſe, corroboratus eſt. *In vanitate ſua*. Superius etiam pſalmo 38. 13. vidimus, Noſtros hanc dictionem ſic interpretatos eſſe, ut ſuſpicer eos facili tranſitu legiſſe בְּהֶבְלוֹת quod nunc Hebræis eſt בְּהַוָּתוֹ in infortunio ſuo, calamitate, quam ſacerdotibus intulit, carnificis officio apud Saulem functus.

10. *Fructifera*. Idem fere Hebræus: Virens, florida. *Speravi*. Hebræus: Confiſus ſum. Vide in ſuperiori verſiculo.

lo. *Miſericordia*. Hebræus: Pietate, ut ſæpius diximus. *In æternum, & in ſeculum ſeculi*. Idem Hebræus: In ſeculum, & æternum.

11. *Quia feciſti*. Hanc vindictam. Uti certus de ea ſic loquitur. *In conſpectu*. Sic Hebræus: Coram, e regione. *Sanctorum*. Sic transferunt Noſtri vocem חָסִיד, ut ſæpius diximus: Piorum. Pios, & ſanctos viros manent innumera bona. Genebrardus ſic exponit locum hunc. Sperabo in nomine tuo, quoniam id bonum, & utile eſt coram ſanctis tuis. Sed purior ſenſus eſt, ſi conſtruas in hunc modum. Propterea quod certo ſciam, bona manere ſanctos, & pios, exſpectabo nomen tuum; hoc eſt, in tua me continebo fide, tuis obedi-ens dictis, & promiſſiones tuas exſpectans.

PSALMUS LIII. Latinis LII.

למנצח על מחלת משכיל לדוד:	1. *Præfecto ſuper Mahalath, intelligentia Davidis.*	1. In finem, pro Amaleth, intelligentia David.
אמר נבל בלבו אין אלהים השחיתו והתעיבו עול אין עשה טוב:	2. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non* eſt *Deus, corruperunt, & abominabilem reddiderunt iniquitatem, non eſt qui faciat bonum.*	2. Dixit inſipiens in corde ſuo, non *eſt* Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus, non eſt qui faciat bonum.
אלהים משמים השקיף על בני אדם לראות היש משכיל דרש את אלהים:	3. *Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, requirens Deum.*	3. Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, *aut* requirens Deum.
כלו סג יחדו נאלחו אין עשה טוב אין גם אחד:	4. *Quilibet retroceſſit ſimul, putidi facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt etiam unus.*	4. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.
הלא ידעו פעלי און אכלי עמו אכלו לחם אלהים לא קראו:	5. *Nonne ſcient operatores iniquitatis? comedentes plebis meæ comederunt panem, Deum non invocaverunt.*	5. Nonne ſcient *omnes*, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, ut cibum panis? Deum non invocaverunt, *6.* illic trepidaverunt timore, *ubi* non erat timor.
שם פחדו פחד־לא חיה פחד כי אלהים פזר עצמות תנך הבישתה כי אלהים מאסם:	6. *Illic trepidaverunt timore, non erat timor, quoniam Deus diſperſit oſſa oppugnantis te, confudiſti, quoniam Deus refutavit eos.*	Quoniam Deus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.
מי יתן מציון ישעות ישראל בשוב אלהים שבות עמו יגל יעקב ישמח ישראל:	7. *Quis dabit ex Sion ſalutes Iſrael? In redeundo Deus captivitatem plebis ſuæ, exſultabit Jacob, lætabitur Iſrael.*	7. Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? cum averterit Deus captivitatem plebis ſuæ, exſultabit Jacob, & lætabitur Iſrael.

AN-

ANNOTATIONES.

COrruptos mores ſui temporis, quo improborum infinitus erat numerus, graphice deſcribens, adventum Chriſti piis omnibus ſalutem allaturum, & vitam, prædicit. Ejuſdem argumenti, & eorumdem fere verborum pſalmus cum 14. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, uti ſæpius diximus. *Pro Amaleth*. Noſtri retinuerunt vocem hebraicam, quamvis nunc corrupta legatur. Hebræus: Super Mahalath. De qua dictione variæ ſunt interpretum ſententiæ. Conſule Theſaurum noſtrum.

2. *Inſipiens*. Hebræus neſcio quid gravius: Nebulo, inſipientiam, & pravitatem ſimul complectens. Dicere in corde, tropo hebraico eſt Cogitare. *Corrupti ſunt*, &c. Idem Hebræus fere, quoad ſenſum, ſed elegantiori tropo, de more linguæ: Corruperunt, & abominabilem reddiderunt (ipſam etiam) iniquitatem. Tanta peccandi licentia paſſim graſſatur inter omnes.

3. *Aut*. Non habetur in Hebræo, ſed eſt oratio conjuncta: Intelligens, qui Deum requirat.

4. *Omnes declinaverunt*. Idem Hebræus fere, ſed ſingulariter, collective: Omnis ipſe, quilibet retroceſſit ſimul. *Inutiles*. Tanquam putidi, ut Hebræus habet. *Non eſt uſque ad unum*. Clarius in Hebræo: Non eſt etiam unus. Nec unus invenitur, qui ſectetur bonum.

5. *Omnes*. Ad declarationem additum, quod in altero etiam pſalmo legitur. *Qui devorant*, &c. Hebræus: ſuo loquendi modo habet ad verbum: Comedentes plebis meæ comederunt panem. Si terminetur hic ſententia, Vulgati ſenſum habes. Devorant plebem meam, ut panem ſolent comedere. Et fortaſſe legerunt אֹכֶל לֶחֶם, Cibo (ut cibum) panis. Hebræi protrahunt ſententiam ulterius, & de illis exponunt, qui cibum capientes, Deo gratias non agunt, ut illud optime quadret in eos.

„ *In menſa ſedens, panemque non benedicens*

„ *Sedet quaſi ſus, & ſurgit qualis aſellus*.

6. *Deum*. Græcus habet τὸν Κύριον, Dominum. *Ubi*. Non habetur in Hebræo. Nullus erat timor, nulla timendi cauſſa. *Diſſipavit*. Hebræus: Sparſit, diſperſit. Minima varietas. *Eorum, qui hominibus placent*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, & fortaſſe legerunt punctis vocalibus immutatis חֹנָךְ, oſſa gratiæ tuæ, quibus gratiam apud homines aucuparis. At nunc Hebræis eſt ad pium, vel ad Chriſtum apoſtrophe. Deus, inquit, diſperſit oſſa obſidentis, oppugnantis te. *Confuſi ſunt*. Idem Hebræus, ſed active: Confudiſti, eos videlicet, ſpe dejeciſti. *Sprevit*. Idem Hebræus: Refutavit, objecit, averſatus eſt.

7. *Salutare*. Sic transferunt Noſtri vocem hebraicam ſemper: Salutes, auxilia, quæ ſalutare fidelibus ſunt. *Et* Non habetur in Hebræo.

PSALMUS LIV. Latinis LIII.

למנצח בנגינות משכיל ל לדוד :	1. *Præfecto in pulſationibus, intellectus David.*	1. In finem, in carminibus, intellectus David.
בבוא הזיפים ויאמרו לשאול הלא דוד מסתתר עמנו :	2. *Quando venerunt Ziphæi, & dixerunt Sauli: Nonne David abſcondit ſe nobiſcum?*	2. Cum veniſſent Ziphæi, & dixiſſent ad Saul: Nonne David abſconditus eſt apud nos?
אלהים בשמך הושיעני ו ובגבורתך תדינני :	3. *Deus in nomine tuo ſalva me, & in fortitudine tua judicabis me.*	3. Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua judica me.
אלהים שמע תפלתי האזינה לאמרי פי :	4. *Deus audi orationem meam, aures præbe dictis oris mei.*	4. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.
כי זרים קמו עלי ועריצים בקשו נפשי לא שמו אלהים לנגדם סלה :	5. *Quoniam alieni inſurrexerunt ſuper me, & fortes quæſierunt animam meam, non poſuerunt Deum e regione ſui. Sélah.*	5. Quoniam alieni inſurrexerunt adverſum me, & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.
הנה אלהים עזר לי ארני ב בסמכי נפשי :	6. *Ecce Deus adjuvat mihi, Dominus inter ſuſtentatores animæ meæ.*	6. Ecce *enim* Deus adjuvat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.
ישוב הרע לשררי באמתך הצמיתם :	7. *Avertet malum inimicis meis, in veritate tua diſperde illos.*	7. Averte mala inimicis meis, in veritate tua diſperde illos.
בנרבה אזבחה לך אודה ש שמך יהוה כי טוב :	8. *Liberaliter ſacrificabo tibi, confitebor nomen tuum, DOMINE, quoniam bonum.*	8. Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo DOMINE, quoniam bonum *eſt*.
כי מכל צרה הצילני ובאיבי ראתה עיני :	9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuit me, & in inimicos meos vidit oculus meus.*	9. Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

ANNOTATIONES.

DEum contra adverſarios implorans, quaſi liberationem jam aſſequutus, ejus laudes ſe prædicaturum aſſerit.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *In carminibus.* Hebræus: In pulſationibus; carminibus, quæ ſono ad inſtrumentum muſicale canuntur (Nelli ſuoni).

2. *Ad Saul.* Idem Hebræus dativo: Sauli. *Abſconditus eſt apud nos.* Hebræus: Se abſcondit, celat, latitat nobiſcum. Nulla varietas.

3. *Salvum me fac.* Idem Hebræus: Salva me, auxiliare mihi. *Virtute.* Fortitudine, robore. Sic interpretandum ex Hebræo. *Judica.* Idem Hebræus, ſed futuro: Judicabis me, cauſſam meam agitabis.

4. *Exaudi.* Pro ſimplici poſitum: Audi. *Auribus percipe verba.* Idem Hebræus, ſed ſuo loquendi tropo: Auſculta dictis (dicta) oris mei, quæ locuturus ſum.

5. *Alieni.* Ziphæos, quamvis tribu-les,

les, extraneorum nomine perſtringit, quod Barbarorum opera potius, quam concivium imitarentur. *Adverſum*. Idem Hebræus: Super me. *Fortes*. In malam partem. Tyranni, violenti, ſævi. *Quærere animam* alicujus, tropus hebraicus, ut in Theſauro. *Propoſuerunt*. Pro ſimplici: Poſuerunt. *Ante conſpectum ſuum*. Idem Hebræus, quamvis ſuo modo: Oppoſitæ parti ſuæ, coram ſe, e regione ſui. De Sélah dictum eſt alibi.

6. *Enim*. Non habetur in Hebræo. *Me*. Sic Hebræus, ſed dativo: Mihi. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Suſceptor eſt*. Fortaſſis legerunt Noſtri אֲדֹנָי סֹמֵךְ נַפְשִׁי, Dominus ſuſtentat animam meam, tuendam ſuſcipit; quod nunc Hebræis eſt: Dominus inter ſuſtentatores animæ meæ; in his, qui vitam meam ſuſtentant, & fulciunt. Non maximi ponderis varietas.

7. *Averte*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe יָשֵׁב. Niſi malles eos dedita opera mutaſſe perſonam. Nunc Hebræis eſt tertia futuri, lectione duplici; nam ſcribitur ex Cal: Redibit; & legitur ex Hiphil: Redire faciet, avertet. Idem tamen ſenſus ubique. Mala mihi ſtructa retorquebit in hoſtes meos. *Mala*. Idem Hebræus, ſed ſingulariter: Malum. *Inimicis meis*. Qui me, & actiones meas inſpectant, & obſervant. Ex etymologia nominis hebraici videlicet. *In veritate*. Per tuorum dictorum fidem, & veritatem.

8. *Voluntarie*. Hebræus: In liberalitate; hoc eſt, animo voluntario, prompto; vel oblatione ſpontanea. Conſule Theſaurum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Nomini tuo*. Idem Hebræus, ſed accuſativo: Nomen tuum palam, & publice celebrabo, quoniam bonum, ſuave, jucundum eſt, vel nomen, vel celebratio ipſa.

9. *Eripuiſti*. Hebræis eſt mutatio perſonæ: Quoniam ex omni tribulatione eripuit me. Idem ſenſus, vel dicas eſſe Mimeſim cum Genebrardo; hoc eſt, te celebrabo (ſupple, Dicendo: *Quoniam &c.*) vel dicas ipſius boni, & jucundi eſſe redditionem cauſſæ. *Super*. Idem Hebræus: In hoſtes meos. *Deſpexit*. Reſpexit. Hebræus: Vidit. Supple, quicquid optabat. Apoſiopeſis.

PSALMUS LV. Latinis LIV.

למנצח בנגינות משכיל ל לדוד :	1. *Præfecto in pulſationibus, intellectus David.*	1. In finem, in carminibus, intellectus David.
האזינה אלהים תפלתי ואל תתעלם מתחנתי :	2. *Auſculta Deus orationem meam, & ne abſcondas te a deprecatione mea.*	2. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam:
הקשיבה לי ועננו אריד ב בשיחי ואהימה :	3. *Attende mihi, & reſponde mihi, extendam in eloquium meum, & tumultuabor.*	3. intende mihi, & exaudi me. Contriſtatus ſum in exercitatione mea, et conturbatus ſum
מקול אויב מפני עקת רשע כי ימיטו עלי און ובאף י ישטמוני :	4. *A voce inimici, a facie infeſtationis injuſti, quoniam movebunt ſuper me iniquitatem, & in ira odio habebunt me.*	4. a voce inimici, & a tribulatione peccatoris. Quoniam declinaverunt in me iniquitates, & in ira moleſti erant mihi.

5. Cor

לבי יחיל בקרבו ואימות
מות נפלו עלי:

יראה ורעד יבא בו ותכסני
פלצות:

ואמר מי יתן לי אבר כיונה
אעופה ואשכנה:

הנה ארחיק נדד אלין במדבר
סלה:

אחישה מפלט לי מרוח סעה
מסער:

בלע אדני פלג לשונם כי
ראיתי חמס וריב בעיר:

יומם ולילה יסובבה על ח
חומותיה ואון ועמל בקרבה:

הוות בקרבה ולא ימיש מ
מרחובה תך ומרמה:

כי לא אויב יחרפני ואשא
לא משנאי עלי הגדיל ואסתר
ממנו:

ואתה אנוש כערכי אלופי
ומידעי:

אשר יחדו נמתיק סוד בבית
אלהים נהלך ברגש:

ישי מות עלימו ירדו שאול
חיים כי רעות במגורם בקרבם:

אני אל אלהים אקרא ויהוה
יושיעני:

5. *Cor meum dolebit intra me, & formidines mortis ceciderunt ſuper me.*

6. *Timor, & tremor veniet in me, & contexit me horror.*

7. *Et dixi, quis dabit mihi alam? ſicut columba volabo, & habitabo.*

8. *Ecce elongabo motionem, pernoctabo in ſolitudine. Sélah.*

9. *Accelerabo evaſionem mihi a ſpiritu moto, a tempeſtate.*

10. *Degluti Domine, divide linguam eorum, quoniam vidi injuriam, & rixam in civitate.*

11. *Die ac nocte circumdabunt eam ſuper muros ejus, & iniquitas, & labor in medio ejus.*

12. *Infortunia in medio ejus, & non recedet de platea ejus uſura, & dolus.*

13. *Quoniam non inimicus exprobrabit me, & ſuſtinebo, non oſor meus ſuper me magnificavit, & abſcondar ab eo.*

14. *Tu vero homo ſecundum æſtimationem meam, dux meus, & notus meus*

15. *Qui ſimul dulceſcere faciebamus ſecretum, in domo Dei ambulabimus cum frequentia.*

16. *Seducet mors* ſuper *illos, deſcendent in infernum viventes, quoniam mala in habitaculo eorum, in medio eorum.*

17. *Ego ad Deum clamabo, & DOMINUS ſalvabit me.*

5. Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me.

6. Timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.

7. Et dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? & volabo, & requieſcam?

8. Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.

9. Exſpectabam eum, qui ſalvum me fecit, a puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.

10. Præcipita Domine, & divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.

11. Die, ac nocte circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, 12. & injuſtitia.

Et non defecit de plateis ejus uſura, & dolus.

13. Quoniam ſi inimicus *meus* maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.

Et ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me *forſitan* ab eo.

14. Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus.

15. Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum conſenſu.

16. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.

17. Ego *autem* ad Deum clamavi, & DOMINUS ſalvabit me.

18. Ve-

ערב ובקר וצהרים אשיחה ואהמה וישמע קולי :	18. *Veſpere, & mane, & meridie loquar, & tumultuabor, & audivit vocem meam.*	18. Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.
פדה בשלום נפשי מקרב לי כי ברבים היו עמדי :	19. *Redemit in pace animam meam a bello mihi, qui quam plurimi fuerunt mecum.*	19. Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.
ישמע אל ויענם וישב קדם סלה אשר אין חליפות למו ולא יראו אלהים :	20. *Audiet Deus, & humiliabit illos, & habitat æternum, Sélah; quia non ſunt mutationes illis, & non timuerunt Deum.*	20. Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui eſt ante ſecula. Non enim eſt illis commutatio, & non timuerunt Deum:
שלח ידיו בשלמיו חלל בריתו :	21. *Miſit manus ſuas in paces ſuas, profanavit fœdus ſuum.*	21. extendit manum ſuam in retribuendo. Contaminaverunt teſtamentum ejus,
חלקו מחמאות פיו וקרב לבו רכו דבריו משמן והמה פתחות:	22. *Mollia fuerunt butyra oris ejus, & appropinquando cor illius, tenelli fuerunt ſermones ejus præ oleo, & ipſi ſunt gladii.*	22. diviſi ſunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius. Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.
השלך על יהוה יהבך והוא יכלכלך לא יתן לעולם מוט לצדיק:	23. *Jacta ſuper DOMINUM datum tuum, & ipſe te enutriet, non dabit in æternum motionem juſto.*	23. Jacta ſuper DOMINUM curam tuam, & ipſe te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem juſto.
ואתה אלהים תורידם לבאר שחת אנשי דמים ומרמה לא יחצו ימיהם ואני אבטח בך :	24. *Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus, viri ſanguinum, & fraudis non dimidiabunt dies ſuos, ego autem confidam in te.*	24. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, ego autem ſperabo in te *Domine*.

ANNOTATIONES.

IN falſos, & ſimulatos amicos, carmine omnibus elegantiarum generibus refertiſſimo, invehitur; & ut illi puniantur, ipſe vero ſervetur ab eorum inſidiis, Deum rogat, obſecratque. Mirum eſt, quam varius ſit in hoc pſalmo Vulgatus ab Hebræo tam in dictionum interpretatione, quam in ſententiarum diſtinctionibus, ut ex te ipſo videre potes, quarum varietatum cauſſas, favente Deo, conabimur dicere pro ingenii noſtri imbecillitate.

1. *In finem in carminibus*. Hebræus: Præfecto in pulſationibus, ut in ſuperiori pſalmo. Ibi vide. *David*. Dativi, vel genitivi caſus. Græcus habet τῶ Α σάφ.

2. *Exaudi*. Quod auſcultationis ſignum eſt; vel pro ſimplici poſitum: Auſculta. *Deſpexeris*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus ſuo tropo: Ne te celaveris a deprecatione mea; ne ſimules non audire; quod deſpicientis eſt.

3. *Intende*. Attende, auſculta.

Exau-

Exaudi. Hebræus: Reſponde; quod auditus ſignum eſt. Nullius momenti varietas. *Contriſtatus ſum*, *&c.* Tranſlatio ſenſus. Et quidem vox etiam hebræa incertum eſt, quid proprie ſignificet. Conſule Theſaurum noſtrum. Simplicius eſt, ſi exponas: Extendam. Multa ſunt hic futura, quæ temporibus aliis, ut linguæ hebraicæ ferunt uſus, & tropi, transferri poſſunt, & debent, ſicut in rebus grammaticis diximus; ut mirum videri non debeat, LXXII. exponere ea in præterito. *In exercitatione mea*. Qua aſſidue me exerceo meditando, & precando. Hunc enim ſenſum Græcus habet ἐν ἀδολεσχίᾳ. Hebræus non aliter ſuo tropo: Extendam (in) eloquium meum. Longe protraham locutionem, precationem meam. Utar oratione quam longiſſima, & nimis contenta, ut mihi etiam ipſi moleſtus pene ſim, & contriſter. Urgent ſiquidem mala. *Conturbatus ſum*. Non longe aliter Hebræus, ſed futuro: Conturbabor, tumultuabor, tumultum, & ſonitum oratione mea valida ciebo.

4. *A voce*. Propter vocem. *Et*. Non habetur in Hebræo. *A tribulatione*. Idem fere Hebræus ſuo loquendi modo: A facie infeſtationis, propter infeſtationem. *Peccatoris*. Hebræus: Injuſti. *Declinaverunt*. Active. Sic etiam Hebræus futuro: Movebunt, commovebunt. *In me*. Contra me. Hebræus: Super me. Nulla varietas. *Iniquitates*. Hebræus idem ſingulariter: Iniquitatem. Græcus pariter habet ſingulariter ἀνομίαν. *Moleſti erant mihi*. Quod me odio proſequerentur. Hebræus futuro profert: Odio habebunt me. Non magna varietas.

5. *Conturbatum eſt in me*. Idem Hebræus quoad ſenſum, ſed futuro: Dolebit, dolore afficietur intra me. *Formido*, *&c.* Idem Hebræus, ſed pluraliter: Formidines, pavores mortis ceciderunt ſuper me. Metu mortis corripior.

6. *Venerunt*. Hebræus futuro: Veniet. *Super me*. Hebræus: In me. *Et contexerunt*, *&c.* Hebræus ſingulariter: Et contexit me horror. Nullius fere momenti varietates. Sunt autem ſymbola maximarum calamitatum, timor, tremor, horror.

7. *Quis dabit?* Optandi modus hebraicus, pro Utinam haberem. *Pennas*. Hebræus: Alam (quod parum, vel nihil refert) inſtar columbæ. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Requieſcam*. Sic Hebræus pene: Habitabo in tuto, ubi volaverim.

8. *Elongavi*. Idem Hebræus, ſed futuro: Elongabo. *Fugiens*. Noſtri, punctis vocalibus immutatis, legerunt נְדֹד, quod nunc Hebræis eſt infinitivus: Moveri, motionem, fugam: procul diſcedam. Idem ſenſus. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Manſi*. Hebræus futuro: Pernoctabo, manebo; nam verbum hebræum dicitur etiam de longiori tempore, ut in Theſauro. De Sélah, quod bis legitur in hoc pſalmo, ſuperius dictum eſt.

9. *Exſpectabam*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, & fortaſſe legerunt אֲחַכֶּה, quod nunc Hebræis eſt אָחִישָׁה, accelerabo. *Eum*, *qui &c.* Hic etiam, punctis vocalibus immutatis, Noſtri legerunt מְפַלֵּט לִי, qui ſalvat me: quod nunc Hebræis nomen eſt: Evaſionem mihi. Hoc eſt, Celerem fugam arripiam. Græcus non habet Eum, ſed τὸν Θεόν. *A puſillanimitate ſpiritus*. Verborum transpoſitio, pro, A Spiritu puſillanimitatis. Qua ratione vero Noſtri ſic interpretati ſint dictionem hebraicam סוֹעָה, non ſatis video; niſi malles eos aliter, quam nunc Hebræi, legiſſe, nempe סָרָה, a ſpiritu recedente, me derelinquente, ob anguſtias, vel aliud ſimile. Hebraica lectio hodierna talis eſt. A ſpiritu moto (qui proficiſcitur) a tempeſtate. A vento, quem emittit procella. Figurata locutio pulcherrima. Conſule Theſaurum in ſingulis dictionibus. *Et*. Non habetur in Hebræo, ſed tantum præpoſitio A, de. Non ſunt tamen hæ varietates hujuſmodi, quæ ſenſus contrarios faciant.

10. *Præcipita*. Non longe aliter Hebræus: Abſorbe, degluti, perde. *Et*.

Non habetur in Hebræo. *Linguas*. Idem Hebræus ſingulariter: Linguam. Dividere linguam aliquorum, eſt Conſilia, ſententiaſque diſſolvere. *Iniquitatem*. Hebræus: Injuriam. Minima varietas. *Contradictionem*. Contentionem, rixam, diſcordiam in Jeruſalem.

11. *Circumdabit eam*. Punctis vocalibus immutatis, Noſtri legerunt יְסֹבְבָהּ, quod nunc Hebræis eſt plurale יְסוֹבְבֻהָ, circumdabunt eam, nempe injuria, & rixa. *Iniquitas*. Hebræus addit conjunctionem: Et iniquitas, & labor; active; quo vexantur probi. Violentia, & contentione cingitur; repletur inſuper iniquitate, & labore, ut nullum bonis perfugium eſſe poſſit.

12. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Injuſtitia*. Hebræus pluraliter: Infortunia, calamitates, ex ſuperioribus neceſſario natæ ſunt in medio ejus, (adduntur ſiquidem hæc verba in hebraica lectione hodierna) quas paſſim boni ſufferunt ab improbis. *Defecit*. Idem fere Hebræus, ſed futuro: Recedet. *De plateis*. Hebræus ſingulariter: De platea. Sed hæc minima.

13. *Si inimicus*. Translatio ſenſus. Hebræus ſuo loquendi modo: Non inimicus &c. Niſi malles, Noſtros facili tranſitu legiſſe כי, quod nunc eſt לֹא, quamvis idem ſenſus, ut diximus, ubique ſit. *Meus*. Ad declarationem additum. Ne in græco quidem habetur. *Maledixiſſet, &c.* Hebræus idem fere, ſed futuro: Exprobrabit me; conviciabitur, & ſuſtinebo, feram patienter. *Et ſi*. Hebræus: Non, ut ſuperius. *Qui oderat me*. Idem Hebræus: Oſor meus. *Magna locutus fuiſſet*. Hebræus: Magnificavit ſe, & ſua. Noſtri de verbis tantum exponunt. Sic etiam ſuperius pſalmo 38. 17. & alibi. *Abſcondiſſem me*. Idem Hebræus, ſed futuro: Et abſcondar, abſcondam me. *Forſitan*. Non habetur in Hebræo.

14. *Unanimis*. Unius mecum animi. Hebræus: Secundum æſtimationem meam. Quia æſtimaveram, te fore fidelem, amicum ſcilicet, cui committere poſſem omnia ſecreta mea, proinde te habebam pro duce, principe, vel doctore, notoque, & affine, non ſolum amico, & familiari, ex eadem tribu videlicet. Ad Achitophel apoſtrophe.

15. *Mecum dulces capiebas cibos*. Noſtri proverbio de communione menſæ uſi ſunt, quaſi diceres, qui eadem menſæ communione utebamur magna familiaritate. Hebræus alio tropo, qui in eumdem ſenſum recidit, uſus eſt. Qui ſimul dulceſcere faciemus (faciebamus) ſecretum, arcanum; qui arcana ſuaviter inter nos communicabamus, quod maximæ, & intimæ familiaritatis ſignum eſt. *Ambulavimus*. Idem Hebræus, ſed futuro: Ambulabimus; pergere ſolebamus. *Cum conſenſu*. Conjunctim, & familiariter. Hebræus: In tumultu, populi ſcilicet, hoc eſt, cum frequentia, magna turba comitati. Non maximi momenti varietas.

16. *Veniat*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, & fortaſſe legerunt יבֹא, veniet. Niſi malles eos tranſtuliſſe ſenſum, qui integer erit, ſi Repentina, vel aliud quid ſimile addatur: nam nunc Hebræis eſt ישי, ſeducet mors (ſuper) illos, tropo ſane quam elegantiſſimo, pro Repentina morte corruant. Græcus addit ἐπ᾽. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Infernum*. Voce hebræa Infernum, & Sepulchrum ſignificari, ſuperius etiam docuimus, & apertius in Theſauro. Alterum genus mortis, quale fuit Core, Dathani, & Abirami. Num. 16. *Nequitiæ*. Idem Hebræus: Mala. *Habitaculis*. Hebræus ſingulariter: Habitaculo, in medio eorum, inter eos.

17. *Autem*. Non habetur in Hebræo, nec in græco. *Clamavi*. Hebræus futuro profert: Clamabo.

18. *Narrabo*. Hebræus idem fere: Loquar; in oratione ſcilicet: alludit enim ad tres orandi horas ſolemniores, quæ ſacrificium veſpertinum, matutinum, & pomeridianum appellantur. *Annunciabo*. Aliter etiam hic Noſtri legerunt,

quam

quam nunc Hebræus, qui habet: Tumultuabor, tumultum & ſonitum edam oratione mea quam maximum. *Et exaudiet*. Legerunt Noſtri יִשְׁמַע. At nunc Hebræis eſt futurum converſum in præteritum, ut docetur in Grammatica: Et audivit. Nullius momenti varietas.

19. *Redimet*. Idem Hebræus, ſed præterito, uti certus de ſalute: Redemit. *Ab his qui appropinquant*. Hebræus idem ſere: Ab appropinquando, ne appropinquarent mihi; aggrederentur, invaderent; nam verbum hoc Hebræis etiam, Bellum cominus gerere, ſignificat. Conſule Theſaurum. *Inter multos, &c.* Hebræus ad verbum: Quoniam in multis fuerunt mecum. Redditio cauſſæ redemptionis, & ſalutis ſuæ; quod quam plurimi, nempe Angeli, ab illo ſtarent. Sic vulgo diceres: Erano in gran moltitudine con noi. Genebrardus exponit de hoſtibus, qui eſſent inter multos, cum multis, cum Davide, in, contra Davidem; quod coactius eſt, nec puritatem redolens hebraicam.

20. *Exaudiet*. Poſitum pro ſimplici Audiet. *Qui eſt ante ſecula*. Idem fere Hebræus: Et habitat antiquitatem, æternitatem, æternum. *Commutatio*. Hebræus pluraliter: Commutationes, converſiones: nolunt reſipiſcere.

21. *Extendit*. Idem Hebræus: Miſit. Ad Achitophelem revertitur. *Manum ſuam*. Hebræus pluraliter: Manus ſuas: quod nihil refert. *In retribuendo*. Arbitror, Noſtros, punctis vocalibus immutatis, legiſſe בְּשִׁלּוּמָיו, in retributionibus ſuis, ad retribuendum malum extendit manus: quod nunc Hebræis eſt בִּשְׁלוֹמָיו, in pacificos ſuos; in eos, quibus cum pax, & fœdera juncta erant. *Contaminavit, &c.* Sic etiam Hebræus: Profanavit fœdus ſuum, jura violavit amicitiæ.

22. *Diviſi ſunt, &c.* Suſpicor, Noſtros, quibuſdam litteris tranſpoſitis, & punctis vocalibus immutatis, legiſſe חָלְקוּ מֵחֲמַת אַפּוֹ, a Deo irato ſe ſeparantur, iram Dei neglexerunt; quod nunc Hebræis eſt: Mollia fuerunt butyra oris ejus, Achitophelis ſcilicet; tropo ſane quam elegantiſſimo. Quaſi diceret: Mellita verba, ſermones tenellos, ſed intrinſecus amariores felle profert. Verbum חָלַק, Dividi, & Eſſe mollem ſignificat. מַחְמָאוֹת aliis eſt nomen cum præpoſitione Mem; at mihi potius illud Mem eſt conſtitutivum nominis. Et, Butyra oris alicujus eſſe mollia, tenella, eſt idiotiſmus, ut diximus, pro, Sermones molles, ſuaves habere. *Et appropinquavit*. Hic etiam Noſtri, mutatis punctis vocalibus, legerunt וְקָרֵב, & appropinquavit cor illius, Deo ſcilicet, inquit Genebrardus, ut ſit enallage numeri, pro, Cor illorum Deo repugnavit; nam verbum hoc appropinquandi ſic ſumitur, ut ſuperius verſ. 19. Nunc Hebræus legit וּקְרָב לִבּוֹ, & appropinquando cor illius, appropinquat, belligerat; manus conſerit; ore pacificus, corde hoſtis. *Molliti ſunt*. Idem Hebræus: Tenelli fuerunt. *Super oleum*. Hebræus: Præ oleo, pluſquam oleum. Verbis oleo mollioribus utitur. *Jacula*. Idem fere Hebræus: Gladii; vel aliud quid ſimile, per tranſlationem, quod feriendo carnem aperiat, dictum.

23. *Curam tuam*. Tranſlatio ſenſus pulcherrima. Hebræus ſuo loquendi modo: Datum tuum; quod tibi dari vis, pro tui cura, projice, jacta ſuper Deum; relinque ei curam tui. Se ipſum alloquitur. *Fluctuationem*. Sic Hebræus: Nutationem, motionem. Non patietur, juſtum malis obrui.

24. *In puteum interitus*. Idem Hebræus dativo: Puteo interitus, corruptionis, in ſepulcrum, vel gehennam. *Doloſi*. Hebræus idem, ſed nomine ſubſtantivo: Et fraudis. *Non dimidiabunt*. Non pervenient ad dimidium dierum ſuorum, quia vel repentina morte præripientur, vel vivi deſcendent in infernum, ut ſuperius verſ. 16. *Sperabo*. Hebræus: Confidam; quod ſine ſpe non eſt. *Domine*. Ad declarationem additum.

PSALMUS LVI. Latinis LV.

למנצח על יונת אלם רחוקים לדוד מכתם באחז אותו פלשתים בגת:	1. *Præfectο ſuper columba mutitatis longinquorum, Davidis aureolum, cum apprehenderunt eum Philiſtiim in Gath.*	1. In finem, pro populo, qui a ſanctis longe factus eſt, David in tituli inſcriptione, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.
חנני אלהים כי שאפני אנוש כל היום לחם ילחצני:	2. *Miſerere mei Deus, quoniam abſorbuit me homo, tota die impugnans oppreſſit me.*	2. Miſerere mei Deus, quoniam conculcavit me homo, tota die impugnans tribulavit me.
שאפו שוררי כל היום כי רבים לחמים לי מרום:	3. *Abſorbuerunt inimici mei tota die, quoniam multi bellantes mihi, o altiſſime.*	3. Conculcaverunt *me* inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adverſum me.
יום אירא אני אליך אבטח:	4. *Die*, quo *timebo, ego ad te confidam.*	Ab altitudine 4. diei timebo, ego *vero* in te ſperabo.
באלהים אהלל דברו באלהים בטחתי לא אירא מה יעשה בשר לי:	5. *In Deo laudabo ſermonem ejus, in Deo confidam, non timebo quid faciet caro mihi.*	5. In Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperavi, non timebo, quid faciat mihi caro.
כל היום דברי יעצבו עלי כל מחשבותם לרע:	6. *Tota die verba mea dolere facient, ſuper me omnes cogitationes eorum malo.*	6. Tota Die verba mea exſecrabantur, adverſum me omnes cogitationes eorum in malum.
יגורו יצפינו המה עקבי ישמרו כאשר קוו נפשי:	7. *Timebunt, latitabunt, ipſi calcanea mea obſervabunt, ſicut ſuſtinuerunt animam meam.*	7. Inhabitabunt, & abſcondent, ipſi calcaneum meum obſervabunt.
על און פלט למו באף עמים הורד אלהים:	8. *Super iniquitate evaſio illis, in ira populos deſcendere fac Deus.*	Sicut ſuſtinuerunt animam meam, 8. pro nihilo ſalvos facies illos, in ira populos confringes.
נדי ספרתה אתה שימה דמעתי בנאדך הלא בספרתך:	9. *Motionem meam ſcripſiſti, tu pone lacrimam meam in utrem tuum, annon in ſcriptura tua?*	Deus 9. vitam meam annunciavi *tibi*, poſuiſti lacrimas meas in conſpectu tuo.
אז ישובו איבי אחור ביום אקרא זה ידעתי כי אלהים לי:	10. *Tunc convertentur inimici mei retrorſum, in die*, qua *clamabo, hoc cognovi, quod Deus eſt mihi.*	Sicut & in promiſſione tua 10. tunc convertentur inimici mei retrorſum. In quacumque die invocavero *te*: ecce cognovi, quoniam Deus meus es.
באלהים אהלל דבר ביהוה אהלל דבר:	11. *In Deo laudabo verbum, in DOMINO laudabo ſermonem.*	11. In Deo laudabo verbum, in DOMINO laudabo ſermonem.
באלהים בטחתי לא אירא מה יעשה אדם לי:	12. *In Deo confidam, non timebo, quid faciet homo mihi.*	12. In Deo ſperavi, non timebo, quid faciat mihi homo.

13. In

עלי אלהים נדריך אשלם תודת לך׃	13. *Super me Deus vota tua, reddam celebrationes tibi.*	13. In me ſunt Deus vota tua, *quæ* reddam laudationes tibi.
כי הצלת נפשי ממות הלא רגלי מדחי להתהלך לפני אלהים באור החיים׃	14. *Quoniam eripuiſti animam meam de morte, nonne pedes meos de lapſu? ad incedendum ante Deum in luce vivorum.*	14. Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu, ut placeam coram Deo in lumine viventium.

ANNOTATIONES.

EReptus ab inimicorum inſidiis, agit gratias Deo, carmine ſatis ornato, & poetarum floſculis referto. Variat etiam hic ſatis Vulgatus ab Hebræo tam in ſententiarum diſtinctionibus, quam in verborum tranſlatione, prout ex te videre potes; quarum varietatum cauſas aperiemus, ſicut a Deo nobis conceſſum fuerit.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pro populo, &c.* Arbitror, Noſtros tranſtuliſſe ſenſum, non verba, quæ ſatis obſcura ſunt, quatenus ad intelligentiam ſententiæ ſpectat, & ſunt ad verbum hujuſmodi: Super columba obmuteſcentiæ longinquorum, vel longinquis. Hanc columbam Noſtri populum interpretantur, qui ſilens a Dei laudibus longe fit a ſanctis. Hebræi putant eſſe carminis genus ſic incipientis. Alii columbæ nomine Davidem intelligunt. Pſalmorum tituli ſatis obſcuri, & incerti ſunt. *David*. Dativi caſus, vel genitivi. *In tituli inſcriptione*. Hebræus: Aureolum; quam vocem Noſtri ſuperius etiam pſalmo 16. interpretati ſunt: Tituli inſcriptio. Ibi vide. *Tenuerunt*. Idem Hebræus: Apprehenderunt. *Allophyli*. Philiſtiim videlicet, ut Hebræus, In Geth, vel Gath. Libro 1. Sam. cap. 21. habetur hæc hiſtoria.

2. *Conculcavit*. Noſtri forſitan putarunt, radices שׁוּף, & שׁאף eamdem habere ſignificationem; at Hebræis hæc, quæ præ manibus habemus, Abſorbere, Anhelare, ſpiritum intra ſe abſorbendo aliquid retrahere, proprie ſignificat. Nullius tamen momenti fere varietatem eſſe crederem. *Tribulavit*. Sic Hebræus: Oppreſſit, afflixit.

3. *Conculcaverunt*. Hebræus: Abſorbuerunt, ut in ſuperiori verſiculo. *Me*. Ad declarationem additum. *Adverſum me*. Idem Hebræus, ſed dativo, pro uſu linguæ: Mihi. *Ab altitudine*. Noſtri, punctis vocalibus immutatis, arbitrati ſunt Mem eſſe præpoſitionem, legentes מָרוֹם, & ſequenti dictioni hanc conjungentes, Ab altitudine diei, interpretati ſunt. At nunc Hebræis Mem eſt conſtitutivum nominis מָרוֹם: & hic ſententiam terminantes Dei epithetum eſſe credunt: O alte, o altiſſime.

4. *Diei*. Noſtris regitur a ſuperiori dictione, prout diximus. Hebræus vero: Die (ſupple, quo) timebo; cum aliquid timendum mihi acciderit. *Vero*. Non habetur in Hebræo.

5. *Sermones meos*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe דְּבָרַי, verba mea, ſermones meos, paſſive, quod nunc Hebræis eſt דְּבָרוֹ, verbum ejus; promiſſiones mihi factas celebrandi tempus aderit. Idem ſenſus. *Speravi*. Hebræus futuro: Confidam. Et quidem ſpes ex confidentia naſcitur. *Faciat*. Idem Hebræus futuro: Faciet caro, homo infirmus, mortalis.

6. *Exſecrabantur*. Hebræus: Dolere facient; dolore, triſtitia afficient, quod neceſſe eſſet loqui tantum ſcurrilia, ut manus eorum effugerem. *Adverſum me*. Idem Hebræus: Super, contra me. *In malum*. Non aliter Hebræus, ſed dativo: Malo; ut malum in me rejiciant.

7. *In-*

Digitized by Google

7. *Inhabitabunt*. Verbum hebræum Incolere, & Timere ſignificat. Noſtri in priore ſignificatu, Hebræi in ſecundo accipiunt. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Abſcondent*. Verbum hebræum ſcribitur ex hiphil יַצְפִּינוּ, Abſcondent, celabunt; at nunc Hebræi, quaſi illud jod ſit vav decurtatum ob aliquod myſterium, ex Maſſarah legunt ex Cal יִצְפּוֹנוּ, abſcondent ſe, latitabunt. Eſt autem hebraiſmus tam Noſtris, quam Hebræis: iſtis; quod inſidiantes pavidi ſint; illis pro Aſſidue inſidiari, inhærere inſidiationi. *Calcaneum meum*. Noſtri legerunt עֲקֵבִי, quod nunc eſt plurale, עֲקֵבַי, calcanea mea, veſtigia mea: actiones meas conſiderant. Nulla varietas. *Sicut*. Vel quando exſpectarunt animam meam, ut eam perderent.

8. *Pro nihilo*. Noſtri facili tranſitu legerunt עַל אַיִן, ſuper non, ſuper nihilo; quod nunc Hebræis eſt עַל אָוֶן, ſuper iniquitate. *Salvos facies*. Noſtris פַּלֵּט eſt imperativus: Salva, eripe illos (εἰρωνικῶς) pro hoc opere nihil, vel pro iniquitate; quod nunc Hebræis eſt infinitivus, vel nomen: Evadere, evaſio. Iniquitate, inquit, evaſionem quærunt, inſidiis videlicet quærunt me opprimere, quaſi hac via ſe, & regnum ſuum ſalvaturi ſint. Uterque ſenſus retineri poteſt. Quidam legunt interrogative: Super iniquitate evaſio erit illis? Imo vero in ira, &c. Prior ſententia purior. *Confringens*. Translatio ſenſus. Hebræus imperativo: Deſcendere fac, deprime.

9. *Vitam meam*. Translatio ſenſus. Vitæ meæ neceſſitates, incommoda. Hebræus: Vagationem meam, motionem, exſilium, & vagationis accidentia. *Annunciavi*. Fortaſſe legerunt Noſtri in pihel facili tranſitu סִפַּרְתִּי, numeravi, narravi, annunciavi; quod nunc Hebræis eſt ex Cal ſecunda סָפַרְתָּה, ſcripſiſti, vel numeraſti; habes in numerato. Non magni momenti varietas. *Tibi*. Ad declarationem additum. Niſi malles, translatum eſſe a Noſtris ex אַתָּה neceſſario, mutata verbi perſona, ut vidimus; quod parum refert. *Poſuiſti*. Verbum hebræum Genebrardo eſt infinitivus pro præterito, ſed tunc legendum eſſet correpte שִׂימָה, Simáh, ponendo; poſuiſti. Hebræis tamen eſt imperativus, & ob id producte legunt שִׂימָה, Símah, pone. Quare potius ſuſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe שַׂמְתָּ, quod nihilominus parum, vel nihil referre crederem. *Lacrimas meas*. Idem Hebræus ſingulariter: Lacrimam meam. *In conſpectu tuo*. Suſpicor, Noſtros legiſſe facili tranſitu לְנֶגְדֶּךָ. Niſi malles, eos obſcuritatem paranomaſiæ, quæ elegantiſſima eſt inter נִיד, vagationem, & נֹאד, utrem expoſuiſſe. Hebræus nunc legit: In utrem, tuum reponas velim lacrimas, quas effudi in exſilio hoc duriſſimo, ut eas aſſidue poſſis conſpicere. Nulla fere ſenſus varietas. *Sicut & in promiſſione tua*. Translatio ſenſus. Hebræus per interrogationem profert: Nonne in libro tuo? In ſcriptura, narratione tua? Quaſi dicat: Sicut in libro tuo eſt iſta promiſſio, nam, ex obſignatis tabellis, & promiſſionibus, tecum agere placet. Hebræa tamen verba alium etiam admittunt ſenſum; ſunt enim ſuperioris ſententiæ declaratio. Quem utrem, inquit, appellavi, ubi reponas lacrimas meas, ut earum recorderis. Librum, ſcripturam tuam intelligo. Omnes iſtæ locutiones ſunt tropi ſatis elegantes.

10. *Tunc in quacumque die*. Sic Hebræus: In die (qua) *Invocavero*. Hebræus: Vocabo, clamabo. Nulla variatio. *Te*. Ad declarationem additum. *Ecce*. Hebræus Hoc cognovi, experimento didici. Minima varietas. *Deus meus es*. Hebræus idem, ſed in tertia perſona: Quod Deus eſt mihi.

11. *Verbum, Sermonem*. Hebræa vox eadem eſt ſemper: Verbum, promiſſiones, ut ſupra verſ. 5.

12. *Speravi, Faciat*. Hebræus futuro: Confidam, Faciet, ut ſuperius verſ. 5.

13. *In*

13. *In me*. In mea manu, in promptu. Hebræus ſuo tropo: Super me ſunt Deus vota tua; debeo tibi multa, quæ olim in exſilio vovi nunc perſolvenda. *Quæ*. Non habetur in Hebræo. (Quæ) vota, nempe laudationes, reddam tibi. Hebræus: Rependam celebrationes tibi, gratias agam quam maximas.

14. *Et pedes meos*. Idem Hebræus, quamvis utatur interrogatione: Nonne pedes meos de lapſu? ne laberentur in malorum præcipitium. *Ut placeam coram Deo*. Translatio ſenſus. Hebræus ſuo tropo: Ad incedendum ante Deum. Conſule Theſaurum. *In lumine viventium*. Quamdiu lucis hujus uſura fruor.

PSALMUS LVII. *Latinis LVI.*

למנצח אל תשחת לדוד מכתם בברחו מפני שאול במערה:	1. *Præfecto Ne diſperdas. Davidis aureolum, cum fugeret a facie Saul in ſpeluncam.*	1. In finem, ne diſperdas, David in tituli inſcriptione, cum fugeret a facie Saul in ſpeluncam.
חנני אלהים חנני כי בך חסיה נפשי ובצל בנפיך אחסא ער יעבר הוות:	2. *Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te recepit ſe anima mea, & in umbra alarum tuarum me recipiam, donec tranſibunt infortunia.*	2. Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea. Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.
אקרא לאלהים עליון לאל גמר עלי:	3. *Clamabo Deo altiſſimo, Deo perficienti ſuper me.*	3. Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum, qui benefecit mihi.
ישלח משמים ויושיעני חרף שאפי סלה ישלח אלהים חסדו ואמתו:	4. *Mittet de cælo, & auxiliabitur mihi, exprobravit abſorbentem me. Sélah. Mittet Deus pietatem ſuam, & veritatem ſuam.*	4. Miſit de cælo, liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, 5. *& eripuit* animam meam de medio *catulorum* leonum, dormivi conturbatus.
נפשי בתוך לבאם אשכבה להטים בנו אדם שניהם חנית וחצים ולשונם חרב חדה:	5. *Anima mea in medio leonum cubabo, ardentes filii hominum, dentes eorum lancea, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.*	Filii hominum, dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.
רומה על השמים אלהים על בל הארץ כבודך:	6. *Exaltare ſuper cælos Deus, ſuper omnem terram gloria tua.*	6. Exaltare ſuper cælos Deus, & in omnem terram gloria tua.
רשת הבינו לפעמי כפף נפשי ברו לפני שיחה נפלו ב בהכה סלה:	7. *Rete paraverunt pedibus meis, incurvavit ſe anima mea, foderunt ante me foveam, ceciderunt in medio ejus. Sélah.*	7. Laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam.

8. Pa-

Digitized by Google

נכון לבי אלהים נכון לבי אשירה ואזמרה:	8. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & pſallam.*	8. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & pſalmum dicam.
עורה כבודי עורה הנבל וכנור אעירה שחר:	9. *Excitare gloria mea, excitare nablum, & cithara, excitabo auroram.*	9. Exſurge gloria mea, exſurge pſalterium, & cithara, exſurgam diluculo.
אודך בעמים אדני אזמרך בלאמים:	10. *Confitebor tibi in populis Domine, pſallam te in gentibus.*	10. Confitebor tibi in populis Domine, & pſalmum dicam tibi in gentibus.
כי גדול עד שמים חסדך ועד שחקים אמתך:	11. *Quoniam magna eſt uſque ad cælos pietas tua, & uſque ad nubes veritas tua.*	11. Quoniam magnificata eſt uſque ad cælos miſericordia tua, & uſque ad nubes veritas tua.
רומה על שמים אלהים על כל הארץ כבודך:	12. *Exaltare ſuper cælos Deus, ſuper omnem terram gloria tua.*	12. Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

ANNOTATIONES.

ALterum & ipſum poetarum tropis, figuris, & ornamentis refertum carmen, quo Deo gratias agit non minimas, quod a tam pertinacibus æmulis ereptus ſit. Hiſtoria habetur libro primo Samuelis cap. 24. Varius etiam hic ſatis eſt Vulgatus ab Hebræo, tam in dictionum translatione, quam in ſententiarum diſtinctionibus, ut in ſequentibus oſtendere conabimur, omnium, prout poterimus, rationem reddentes.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Ne diſperdas*. Arbitrantur quidam, hunc pſalmum effectum eſſe ad exemplar cantici, quod ſic inciperet. Alias diximus, pſalmorum titulos obſcuros, & incertos eſſe. *David, &c.* Vide in ſuperiori pſalmo, ubi hæc eadem habentur verba.

2. *Confidit*. Sic transferre verbum hoc Noſtros, ſæpius viſum eſt, quod ſe recipere ſignificat. Vide pſalmum 2. 12. *Sperabo*. Idem verbum eſt in Hebræo cum ſuperiori: Me recipiam in umbram alarum tuarum, in tuam protectionem. Idiotiſmus elegans. *Tranſeat*. Idem Hebræus futuro: Tranſibit. *Iniquitas*. Hebræus, ſuo loquendi tropo, utitur plurali, & fœminino, ut fiat cum verbo numeri, & perſonæ diſcordantia: Infortunia, calamitates. Hoc eſt, Quilibet impius, qui calamitates, & infortunia probis ſemper intentat. Nulla fere varietas.

3. *Ad Deum, &c.* Non aliter Hebræus, quamvis dativo. *Qui benefecit mihi*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe גמל, bona retribuenti, benefacienti, quod nunc Hebræis eſt גֹּמֵר, perficienti ſuper me. Supple, Pietatem, vel quid ſimile. Noſtri magis placent, quamvis idem ſenſus fere ſit.

4. *Miſit*. Noſtri de ſalute certi exponunt præteritis, quæ futura ſunt in Hebræo; quod nihil refert: Mittet. *Liberavit me*. Hebræus addit conjunctionem: Et ſervabit me; auxiliabitur mihi. Sic etiam Græcus. *Dedit in opprobrium*. Idem Hebræus: Exprobravit, conviciatus eſt. *Conculcantes*. Sic interpretantur Noſtri verbum שָׁאַף, ut in ſuperiori pſalmo vidimus verſ. 2. Hebræus ſingulariter: Abſorbentem me; qui me abſorbet, deglutire deſiderat. Noſtri verbum exprobrandi Deo attribuunt; ſed poſſunt etiam hæc ſic transferri. Conviciatus eſt abſorbens me. Cetera ſilentio premuntur, quare ſubditur Sélah, de

quo

quo alibi dictum eſt. *Miſit*. Hebræus futuro, ut ſuperius: Mittet. *Miſericordiam*. Ita interpretantur Noſtri dictionem hanc חֶסֶד, pietatem, prout ſæpius vidimus. Quid ſit pietas, & veritas, in Theſauro diximus.

5. *Et eripuit, &c.* Fortaſſis olim legebatur וַיַּצִּיל, vel quid ſimile, quod nunc ſuppreſſum eſt in Hebræo. Niſi malles, Noſtros de ſuo ad declarationem addidiſſe, ac propterea dein transtuliſſe, Animam meam, &c. Nunc Hebræis hic incipit ſententia: Anima mea, &c. *De medio*. Videntur Noſtri legiſſe facili tranſitu מִתּוֹךְ, quod eorum ſententiæ filum expoſcere videtur; at nunc Hebræis eſt בְּתוֹךְ, in medio. *Catulorum*. Ad declarationem additum. Saülem & milites ejus ſævitiæ nota perſtringit. *Dormivi*. Hebræus idem, quamvis utatur futuro, & cum ſuperioribus conjungat. *Conturbatus*. Noſtri ſuperiori verbo conjungentes hanc dictionem, ſententiam eleganter exprimunt, dantes id Davidi, quod Hebræus ſuo loquendi uſu inimicis attribuit: Cubabo ardentes, inflammantes, cum inflammantibus, & me conturbantibus. Poteſt nihilominus hæc dictio conjungi ſequentibus ſic. Ardentes, inflammantes ſunt filii hominum, &c. Idem fere ſenſus ubique. Vocat autem ſic eos, qui alios torquent, & vexant, prout etiam latinis Vro per translationem Cruciare ſignificat. *Arma*. Hebræus: Lancea. Nullius momenti varietas. Dentes, & lingua pro ſermonibus virulentis eleganter poſita ſunt.

6. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In*. Hebræus: Super, ut etiam paullo ante. Sublimis eſto, & excelſior cælis appare, vim, & poteſtatem tuam in impios oſtendendo; nam ſic etiam per univerſam terram apparebit, quanta ſit majeſtas tua.

7. *Laqueum*. Hebræus: Rete. Minima varietas. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Incurvaverunt, &c.* Noſtri fortaſſe legerunt כָּפְפוּ, facili tranſitu, & ob id tranſitive illud expoſuerunt, ideſt, in laqueum inclinarunt; quod nunc Hebræis eſt tertia ſingularis, & intranſitiva. Incurvavit ſe anima mea, & ſic evaſit rete. *Ante faciem meam*. Hebræus ſuo loquendi modo: Faciebus meis, ante me. *Et*. Non habetur in Hebræo. *In eam*. Hebræus non aliter fere: Ceciderunt in medio ejus: nec rete, nec fovea contra me quicquam inimici mei promoverunt. De Sélah alibi.

8. *Paratum*. Aptum, firmum, & ſtabile. Sequentes verſus uſque ad finem habentur etiam pſalmo 108, paucis immutatis. Ibi vide. *Pſalmum dicam*. Pſallam, muſico inſtrumento ludam. Græcus addit, ἐν τῇ δόξῃ μου.

9. *Exſurge*. Hebræus: Excitare, expergiſcere anima, quæ gloria mea es. Se ipſum alloquitur. *Exſurge pſalterium*. Idem verbum cum ſuperiori: Excitare nablum, & cithara, inſtrumenta mea muſica, ad decantandas Dei laudes. *Exſurgam*. Noſtri fortaſſe legerunt etiam hic in Cal, facili tranſitu, אָעוּרָה, vel certe putarunt verbum etiam in Hiphil intranſitivum eſſe. Hebræis tranſitivum eſt: Excitabo auroram; ſurgam ſic diluculo ad Deum perſonandum, ad agendum ei gratias pro beneficiis in me collatis, ut auroram etiam ipſam prævenïendo excitare videar. Confitebor igitur, &c. Aliam interpretationem vide pſalmo 108. 3.

10. *Tibi*. Hebræus accuſativo: Te celebrabo. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Pſalmum dicam tibi*. Idem Hebræus: Pſallam, muſico inſtrumento te celebrabo inter populos, apud gentes.

11. *Magnificata eſt*. Idem Hebræus, quamvis nomine: Magna, immenſa eſt. *Miſericordia*. Hebræus: Pietas, ut ſæpius diximus.

12. *Et*. Non habetur in Hebræo. Reliqua, ut ſuperius verſ. *6*.

PSALMUS LVIII. Latinis LVII.

למנצח אל תשחת לדוד מכתם׃	1. *Præfecto, Ne diſperdas, Davidis aureolum.*	1. In finem, ne diſperdas, David in tituli inſcriptione.
האמנם אלם צדק תדברון מישרים תשפטו בני אדם׃	2. *Si vere obmuteſcentia juſtitiam loquemini? recta judicabitis filii hominum.*	2. Si vere utique juſtitiam loquimini, recte judicate filii hominum.
אף בלב עולת תפעלון בארץ חמס ידיכם תפלסון׃	3. *Quin immo in corde iniquitates operabimini in terra, injuriam manus veſtræ ponderabunt.*	3. Etenim in corde iniquitates operamini in terra, injuſtitias manus veſtræ concinnant.
זרו רשעים מרחם תעו מבטן דברי כזב׃	4. *Alienati ſunt injuſti a vulva, erraverunt ab utero loquentes mendacii.*	4. Alienati ſunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa.
חמת למו כדמות חמת נחש כמו פתן חרש יאטם אזנו׃	5. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem furoris ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, quæ obturabit aurem ſuam.*	5. Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas.
אשר לא ישמע לקול מלחשים חובר חברים מחכם׃	6. *Quæ non audiet voci incantantium, conjungentis conjunctiones ſapientiſſimi.*	6. Quæ non exaudiet voces incantantium, & venefici incantantis ſapienter.
אלהים הרס שנימו בפימו מלתעות כפירים נתץ יהוה׃	7. *Deus deſtrue dentes eorum in ore ipſorum, molares leonum confringe DOMINE.*	7. Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas leonum confringet DOMINUS.
ימאסו כמו מים יתהלכו למו ידרך חצו כמו יתמללו׃	8. *Reprobabuntur tamquam aquæ, abibunt ſibi, tendet ſagittas ſuas, ſicut quæ ſe ipſas concident.*	8. Ad nihilum devenient, tamquam aqua decurrens, intendit arcum ſuum, donec infirmentur.
כמו שבלול תמס יהלך נפל אשת בל חזו שמש׃	9. *Sicut limax liquefactione perget, abortivum fæminæ, non viderunt ſolem.*	9. Sicut cera, quæ fluit, auferentur; ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.
בטרם יבינו סירתיכם אטד כמו חי כמו חרון ישערנו׃	10. *Priuſquam intelligent ollæ veſtræ rhamnum, ſicut vivens, ſicut furor deturbabit eum.*	10. Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos.
ישמח צדיק כי חזה נקם פעמיו ירחץ בדם הרשע׃	11. *Lætabitur juſtus, quod vidit vindictam, pedes ſuos lavabit in ſanguine injuſti.*	11. Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.
ויאמר אדם אך פרי לצדיק אך יש אלהים שפטים בארץ׃	12. *Et dicet homo, verumtamen eſt fructus juſto, verumtamen eſt Deus judicans in terra.*	12. Et dicet homo, ſi utique eſt fructus juſto, utique eſt Deus judicans eos in terra.

AN-

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

IN impios invectiva, quos tandem perituros, pios vero, & juſtos fructum ſuæ virtutis percepturos aſſerit. Carmen eſt quidem elegantiſſimum, ſed figuris, & tropis obſcuriſſimis ita refertum, ut mirum videri non debeat, Noſtros ab Hebræis tam varios eſſe: quarum varietatum cauſſas reddere, ſi non certas quidem, vero tamen quam ſimillimas, nos conabimur.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. Cetera in ſuperiori pſalmo vide.

2. *Si vere.* Interrogative, & admirative: An vere? num certe? *Utique.* Arbitror Noſtros facili tranſitu legiſſe אוּלָם, vel ſaltem eamdem ſignificationem habere putaſſe, quod nunc Hebræis eſt אֵלֶם, quæ vox non ſatis certum eſt, quid proprie ſignificet. Mihi eſt obmuteſcentia ablativo caſu, quaſi diceres: num ſilendo, num tacentes, & tyranno injuſta proponenti non contradicentes, &c. Conſiliarios Saul alloquitur. *Recte.* Idem Hebræus, quamvis nomine: Recta, æqua. *Judicate.* Noſtri fortaſſe legerunt שִׁפְטוּ, quod nunc Hebræis eſt futurum; nam interrogativa continuatur oratio: Judicabitis?

3. *Etenim.* Idem fere Hebræus: Quin immo, etiam tacentes, corde ſcelus operamini, quod poſtea palam proferentes, quamvis iniquum, æquum tamen omnibus videri, & probari cupitis. *Operamini.* Idem Hebræus, ſed futuro: Operabimini. Corde quis operatur iniquitatem, eam meditando, ut opere dein perficiat. *Injuſtitias.* Non longe aliter Hebræus, quamvis ſingulari: Injuriam. *Concinnant.* Tranſlatio ſenſus. Hebræus ſuo tropo ſatis eleganter, & futuro: Ponderabunt; expendent, ad æquilibrium redigent, injuriam pro æquitate venditabunt, tanquam juſta ſtatera illam expendentes. Vel Ponderabitis, &c.

4. *Alienati, peccatores.* Sic tranſferre vocem hebraicam Noſtros, ſæpius vidimus. Injuſti jam ab utero, nedum ab incunabulis, ſe vitiis dedunt. *Locuti ſunt.* Noſtri fortaſſe legerunt facili tranſitu דִּבְּרוּ, quod nunc Hebræis eſt participium: Loquentes. Idem tamen ſenſus. *Falſa.* Non aliter Hebræus, ſed ſingulari: Mendacii, vel, Mendacium.

5. *Furor.* Excandeſcentia, rabies, venenum. *Serpentis.* Hebræus addit: Furoris, veneni ſerpentis. *Et obturantis.* Hebræus futuro, & ſine conjunctione: (Quæ) obturabit. *Aures ſuas.* Noſtri fortaſſe legerunt אָזְנָיו, quod nunc eſt ſingulare אָזְנוֹ, Aurem ſuam. Idem ſenſus.

6. *Exaudiet.* Pro ſimplici, Audiet, poſitum, ſed cum dativo, ut hic (*Vocem*; voci), eſt Obtemperare. *Et.* Non habetur in Hebræo, neque in Græco. *Venefici incantantis ſapienter.* Idem ſenſus in Hebraicis: Conjungentis conjunctiones ſapientiſſimi; qui ſapientiſſimus quibuſdam verbis conceptis exercet veneficia. Conſule Theſaurum. Græcus habet, φαρμακεῦται φαρμακευομένη, παρὰ σοφοῦ.

7. *Conteret.* Hebræus imperativo: Deſtrue. Minima varietas. Sunt autem hæ, quæ ſequuntur, ſimilitudines, & metaphoræ perquam elegantes. *Molas.* Molares dentes leonum; principum tyrannidem, & potentiam. *Confringet.* Hebræus imperativo, ut ſuperius: Confringe. Græcus habet, συνέθλασεν.

8. *Ad nihilum devenient.* Satis commoda tranſlatio. Hebræus: Reprobabuntur, tanquam res vilis, nihili reputabuntur. Prima ſimilitudo. *Tanquam aqua decurrens.* Idem Hebræus: Tanquam aquæ, abibunt ſibi; quæ jam decurrendo prætererant. Quorum nullus amplius uſus eſt. *Intendit.* Altera ſimilitudo. Hebræus futuro profert: Tendet. *Arcum ſuum.* Hebræus: Sagittas ſuas. Minima varietas. *Donec.* Hebræus: Sicut. Nullius fere momenti varietas. *Infirmentur.* Noſtri fortaſſe putarunt, verbum eſſe ex radice, & ſignificatione אֻמְלַל. Verum יִתְמֹלָלוּ Hebræis

bræis nunc aliud ſignificat, nempe ſe ipſum incidere, concidere, quod ad ſagittas referunt. Eſt autem conſtructio verborum perturbata, metri fortaſſe cauſſa; nam dicendum erat כְּמוֹ יִדְרֹךְ חִצָּיו יִתְמוֹלָלוּ, ſicut (qui) tendet ſagittas ſuas (quæ) ſe ipſas concident, & ſic in irritum jaciuntur. Vel כְּמוֹ ſuperius reiteratur hic, quemadmodum ſæpius fieri videmus, & alterum poſitum erit eleganter pro Statim, ad hunc modum videlicet: Sicut (qui) tendet ſagittas ſuas, ſicut (quæ) ſe ipſas concident. Ideſt, quæ ſtatim jactæ conciduntur. Prior tamen ſententia mihi magis probatur. Noſtri ad impios referunt, ut ſit enallage numeri. Tanto ardore, inquit, contra probos jaculatur impius, ut horum unuſquiſque viribus deſtitutus in irritum jaculetur.

9. *Sicut cera, quæ fluit.* Tertia ſimilitudo. Vox Hebræa שַׁבְּלוּל non invenitur alibi, & fortaſſis olim ceram ſignificabat; ut hinc Noſtri dixerint: Sicut cera diſſolutionis, quæ diſſolvitur, fluit, quamvis nunc limacem Hebræis ſignificet, & alio modo dictiones conſtruant, uti mox dicemus. *Auferentur.* Videntur noſtri legiſſe יְהַלְּכוּ, abibunt impii, pertranſibunt, non erunt, auferentur; quod nunc Hebræis eſt ſingulare de limace dictum, hoc modo videlicet. Sicut limax liquefactione perget, quæ inter rependum colliqueſcit, ſic reprobabuntur, &c.; ſemper enim repetendum eſt. *Supercecidit ignis.* Quarta ſimilitudo. Noſtri procul dubio legerunt aliquibus immutatis נָפַל אֵשׁ, cecidit ignis, quod nunc Hebræis eſt נֵפֶל אֵשֶׁת, abortivum, abortus mulieris. Supple Sicut, prout ſuperius. Genebrardo אֵשֶׁת idem eſt, quod אֵשׁ poetice, & ſyriace; ſed quantum a vero hoc ſit alienum, alii videant. Græcus habet, ἔπεσε πῦρ ἐπ' αὐτούς. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Non viderunt ſolem.* Vel ſubintelligitur Impii ipſi, vel eſt enallage numeri; ideſt, quilibet abortivorum.

10. *Intelligerent.* Quinta ſimilitudo. Hebræus futuro profert: Intelligent. Rei inſenſatæ dat intelligentiam poetice. *Spinæ veſtræ.* סִיר Hebræis eſt nomen æquivocum, ollam, & ſpinam ſignificans; hujus plurale eſt סִירִים, illius vero סִירוֹת, quamvis Noſtri etiam hoc Spinas interpretati ſint. Hebræus igitur habet: Ollæ veſtræ. Impios alloquitur. Nondum ſenſerunt Ollæ veſtræ rhamnum, rhamni ignem, ut ſtatim accenſæ, & nimis calefactæ remaneant. Metaphora de vindicta divina, quæ ſtatim eſſet impios illos perditura. *Sicut viventes.* Noſtri fortaſſe legerunt כְּיִים, ad impios vocem referentes; quod nunc Hebræis eſt ſingulare de rhamno dictum: Sicut vivens, mox Vivaciſſimus, ardentiſſimus. *Sic in ira.* Forſitan & hic legerunt כְּמוֹ בְּחָרוֹן, facili tranſitu, quod nunc Hebræis eſt, Sicut ira, furor metaphorice; mox ut rhamnus arripitur igne, ſtridet, quaſi furore maximo percitus quieſcere non poſſit. *Abſorbet eos.* Suſpicor etiam hic Noſtros legiſſe יְשָׂעֲרֵם facili tranſitu: Deturbabit eos, deturbando abſorbet; quod nunc Hebræis eſt enallage numeri: Deturbabit eum, eam ollam, (nam סִיר eſt etiam generis maſculini, ut Jerem. 1. 13. Ollam נָפוּחַ, ſuccenſam, &c.) eas ollas. Vel numero ſingulari Saulem innuit ſub ollæ nomine. Aliorum interpretationes, & expoſitiones nihil moror. Noſtra ſimplicior, & litteræ congruentior.

11. *Lætabitur.* Non amore vindictæ, ſed zelo juſtitiæ. *Cum viderit.* Idem fere Hebræus: Quod vidit. *Manus ſuas.* Hebræus: Pedes ſuos. Noſtri mutarunt dictionem, quòd manuum lotio congruentior videretur. Nullius momenti varietas. *Peccatoris.* Ut transferunt ſæpius Noſtri. Hebræus: Injuſti.

12. *Si.* Non habetur in Hebræo, ſed oratio certa eſt. *Utique.* Non longe aliter Hebræus: Verumtamen. *Deus judicans.* Hebræus pluraliter de more linguæ: Dii judicantes. *Eos.* Ad declarationem additum.

PSAL-

PSALMUS LIX. *Latinis* LVIII.

למנצח אל תשחת לדוד ם
מכתם בשלח שאול וישמרו את
הבית להמיתו :

הצילני מאיבי אלהי ם
ממתקוממי תשגבני :

הצילני מפעלי און ומאנשי
דמים הושיעני :

כי הנה ארבו לנפשי יגורו
עלי עזים לא פשעי ולא חטאתי
יהוה :

בלי עון ירוצון ויכוננו עורה
לקראתי וראה :

ואתה יהוה אלהים צבאות
אלהי ישראל הקיצה לפקד כל
הגוים אל תחן כל בגדי און
סלה :

ישובו לערב יהמו ככלב
ויסובבו עיר :

הנה יביעון בפיהם חרבות
בשפתותיהם כי מי שמע :

ואתה יהוה תשחק למו תלעג
לכל גוים :

עזו אליך אשמרה כי אלהים
משגבי :

אלהי חסדו יקדמני אלהים
יראני בשררי :

1. *Præfecto, Ne diſperdas, Davidis aureolum, quando miſit Saul, & cuſtodierunt domum ad interficiendum eum.*

2. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, ab inſurgentibus meis exaltabis me.*

3. *Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris ſanguinum ſalva me.*

4. *Quia ecce inſidiati ſunt animæ meæ, habitabunt ſuper me fortes, non prævaricatione me, neque peccato meo DOMINE.*

5. *Sine iniquitate current, & aptabuntur, excitare obviam mihi, & vide.*

6. *Et tu DOMINE Deus exercituum, Deus Iſrael expergiſcere ad viſitandas omnes gentes, ne miſerearis omnium prævaricatorum iniquitatis. Sélah.*

7. *Revertentur ad veſperam, tumultuabunt ut canes, & circuibunt civitatem.*

8. *Ecce eructabunt in ore ſuo, gladii ſunt in labiis eorum, quoniam quis audit?*

9. *Et tu DOMINE deridebis eis, ſubſannabis omnibus gentibus.*

10. *Fortitudine ejus ad te cuſtodiam, quia Deus exaltatio mea* es.

11. *Deus pietatis meæ præveniet me, Deus videre me faciet in hoſtes meos.*

1. In finem, ne diſperdas, David In tituli inſcriptione, quando miſit Saul, & cuſtodivit domum *ejus*, ut interficeret eum.

2. Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me.

3. Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris ſanguinum ſalva me.

4. Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum DOMINE, 5. ſine iniquitate cucurri, & direxi.

Exſurge in occurſum meum, & vide, *6.* & tu DOMINE Deus virtutum, Deus Iſrael.

Intende ad viſitandas omnes gentes, non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

7. Convertentur, ad veſperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.

8. Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labiis eorum, quoniam quis audivit?

9. Et tu DOMINE deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.

10. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es.

11. Deus meus miſericordia ejus præveniet me.

Deus

אל תהרגם פן ישכחו עמי הניעמו בחילך והורידמו מגננו אדני :	12. *Ne occidas eos, nequando obliviſcatur populus meus, vagari fac illos in robore tuo, & depone eos, o ſcutum noſtrum Domine.*	Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos: 12. ne occidas eos, nequando obliviſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.
חטאת פימו דבר שפתימו וילכדו בגאונם ומאלה ומכחש יספרו :	13. *Delictum oris eorum ſermo labiorum ipſorum, & comprehendentur in ſuperbia ſua, & de exſecratione, & de mendacio narrabunt.*	13. Delictum oris eorum, ſermonem labiorum ipſorum, & comprehendantur in ſuperbia ſua. Et de exſecratione, & mendacio annunciabuntur 14.
כלה בחמה כלה ואינימו וידעו כי אלהים משל ביעקב לאפסי הארץ סלה :	14. *Conſume in furore, conſume, & non ſint, & ſcient, quia Deus dominatur in Jacob finibus terræ. Selah.*	in conſummatione; in ira cõſumationis, & non erunt. Et ſcient, quia Deus dominabitur Jacob, & finium terræ.
וישבו לערב יהמו ככלב ויסובבו עיר :	15. *Et revertentur ad veſperam, tumultuabunt, ut canes, & circuibunt civitatem.*	15. Convertentur ad veſperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.
המה ינועון לאכל אם לא ישבעו וילינו :	16. *Ipſi commovebunt ad manducandum, ſi non fuerint ſaturati, & pernoctabunt?*	16. Ipſi diſpergentur ad manducandum, ſi *vero* non fuerint ſaturati, & murmurabunt.
ואני אשיר עזך וארנן לבקר חסדך כי היית משגב לי ומנוס ביום צר לי :	17. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & ovabo mane pietatem tuam, quia fuiſti exaltatio mihi, & refugium in die tribulationis mihi.*	17. Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane miſericordiam tuam. Quia factus es ſuſceptor meus, & refugium *meum* in die tribulationis meæ.
עזי אליך אזמרה כי אלהים משגבי אלהי חסדי :	18. *Robur meum ad te pſallam, quia Deus exaltatio mea es, Deus pietatis meæ.*	18. Adjutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus *meus* miſericordia mea.

ANNOTATIONES.

IN Saulem, & aulicos ejus oratione valida, & omnibus contenta nervis invehitur, a quibus ereptus Dei potentiam, & gratiam carmine ſatis elegantiarum floſculis ornato perſonat. Variat etiam hic non parum Vulgatus ab Hebræo in verborum translatione, & ſententiarum diſtinctionibus, de quibus rationem reddere conabimur.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Ne diſperdas, &c.* Vide in tribus pſalmis præcedentibus. *Cuſtodivit.* Saul. Juxta illud: Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Hebræus pluraliter: Cuſtodierunt. *Ejus* Ad declarationem additum. *Ut interficeret.* Hebræus idem: Ad interficiendum. Hiſtoria habetur Sam. 19. Ibi vide.

2. *Et.* Non habetur in Hebræo. *In me.* Optima translatio. Idem Hebræus: Ab inſurgentibus meis.

3. *De*

Digitized by Google

3. *De viris ſanguinum*. Sanguinariis, homicidis.

4. *Ceperunt*, *&c.* Quaſi ſtructis inſidiis jam animi votum conſequuti ſint. Hebræus: Inſidiati ſunt animæ meæ; mihi, vitæ meæ. Metonymice. Non magna varietas. *Irruerunt in me*. Verbum hebræum eſt æquivocum, Habitare, & Timere ſignificans. Conſule Theſaurum. Ad primam ſignificationem reſpexerunt Noſtri: Habitabunt (nam eſt futurum in Hebræo), ad habitandum congregabuntur ſuper me, contra me, irruent in me. Neque tamen alius ſenſus eſt penitus aſpernandus: Timebunt, pavebunt ſuper me, cauſſa mei, fortes, cum perſecutionem tam validam conſpexerint. *Neque iniquitas mea*, *&c.* Supple, Eſt in cauſſa, ut ſic affliɛter continue. Idem fere Hebræus: Non prævaricatione mea, neque peccato meo Domine.

5. *Cucurri*. Noſtri perſonas immutarunt ad perſpicuitatem, eodem remanente ſenſu; ne dicam eos aliter legiſſe, quam nunc Hebræi legunt, nempe אָרוּצָה וְאֲכוֹנֵן, curram, dirigam, aptabo viam meam, cor meum ſcilicet, me ipſum. Hebræus autem: Sine iniquitate (vel mea, vel ipſorum, ut arbitrantur) current (ut me lædant), & aptabuntur, in hac nocendi opinione firmabuntur. *Exſurge*, *&c.* Hebræus: Excitare obviam mihi. Minima varietas.

6. *Virtutum*. Sic interpretari צְבָאוֹת Noſtros, ſæpius vidimus: Exercituum. *Intende*. Idem fere Hebræus: Expergiſcere, intentus eſto. *Ad viſitandas*. Ut graviter punias. *Non*. Ne miſerearis, gratiam impertiaris. *Omnibus*. Conſtructio Græca. Omnium. *Qui operantur*. Fortaſſis olim legebatur פֹּעֲלֵי, operantium; quod nunc Hebræis eſt בֹּגְדֵי, prævaricatorum iniquitatis; qui prævaricantur iniquitate. Nullius tamen momenti varietatem eſſe crederem. De Sélah, quod bis in hoc pſalmo legitur, alias dictum eſt.

7. *Convertentur*. Idem Hebræus: Redibunt, revertentur ad veſperam, veſpertino tempore, ad cuſtodiendam domum, ne effugiam. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Famem patientur*. Noſtri hebræum verbum Frement, tumultuabunt, de fame intellexerunt. Hebræi generalius: Frement, latrabunt in me, ut interficiant, & circuibunt civitatem, inſtar canis, qui feras ſectando latrat. Quod etiam in ſequentibus declarat.

8. *Loquentur*. Hebræus idem, ſuo tropo: Eructabunt. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Gladius*. Idem Hebræus, ſed plurali: Gladii (verba aculeata, perniciosa) ſunt in labiis eorum, loquuntur verba, cædes, occiſiones, & membrorum mutilationes tantum ſpirantia. *Audivit*. Noſtri punctis immutatis legerunt שָׁמַע, quod nunc Hebræis eſt præſens participium: Quoniam quis audit? Admirative. Quaſi dicat: Poſſunt quidem libere obloqui, & in me verba minatoria profundere, cum nemo ſit, qui eos redarguat, qui eis contradicat, vel timore tyranni, vel quod illarum partium ſit. Non me audiente jactarent talia. Mimeſis Genebrardi, cum ſua illa apoſiopeſi, non ſubſiſtit. Dicendo: Supple, Quis audivit, ubi ſit David? &c.

9. *Eos*. Idem Hebræus, ſed dativo de moræ linguæ: Eis. *Ad nihilum deduces*, *&c.* Non longe aliter Hebræus ſuo loquendi modo: Subſannabis omnibus gentibus, omnes gentes.

10. *Fortitudinem meam*. Noſtri videntur legiſſe עֻזִּי, ut & verſ. 18, & lectione veriori fortaſſe, quod nunc Hebræis eſt עֻזּוֹ, fortitudinem ejus (Saulis) ad te cuſtodiam. Propter vires ejus; robur illius eſt in cauſſa, quod pro impetrando auxilio ſemper te obſervem. Genebrardo *Ejus* paſſive accipitur; ideſt, fortitudinem contra eum (Saulem): quod an linguæ hebraicæ puritati quadret, alii videant. *Suſceptor meus*. Superius etiam pſalmo 18. 3, & alibi, vidimus, Noſtros vocem hanc מִשְׂגַּבִּי ſic transferre: Exaltatio mea; qui me protegendum ſuſcipis.

11. *Deus*

11. *Deus meus*. Noſtri legerunt אֱלֹהַי, & tunc eſſet hebraiſmus, pro Dei mei miſericordia, &c. At Hebræi nunc legunt אֱלֹהֵי in regimine: Deus. *Miſericordia ejus*. Scribitur quidem etiam nunc conſtanter ſic, quamvis Hebræi ex Maſſara edocti legant חַסְדִּי, pietatis meæ (nam ſæpius vidimus, Noſtros hanc vocem transferre ſic) quaſi Vav illud ſit Jod protractum, ad declaranda beneficia innumera, quæ Deus in Davidem contulit. Idem tamen ſenſus ubique, modo Deus, modo pietas ejus præveniat. *Oſtendit mihi*. Idem Hebræus, ſed futuro: Videre me faciet. *Super*. Hebræus: In hoſtes meos, qui me obſervant, actiones meas inſpectant; ultionem videlicet. Idiotiſmus elegans.

12. *Ne occidas eas*. Tam celeriter, ſed lento gradu ad vindictam progredere, gravitate ſupplicii tarditatem compenſans. *Populi mei*. Pluralis numeri, quaſi Noſtri legerint עַמַּי, quod nunc Hebræis eſt ſingulare עַמִּי, populus meus. Diſcordantia numeri nihil refert, cum multitudinis nomen ſit. *Diſperge illos*. Idem fere Hebræus: Vagari fac illos, fac ut ſint vagi, inſtabiles, nullam ſedem firmam poſſidentes, quod de Judæis inimicis Chriſti comprobatur. *Virtute*. Sæpius ſic interpretari חַיִל Noſtros, jam vidimus: Vi, robore, fortitudine. *Protector meus*. Fortaſſe legerunt Noſtri מָגִנִּי facili tranſitu, quod nunc Hebræis eſt מָגִנֵּנוּ, ſcutum noſtrum, clypeus noſter, quo protegimur. Nulla varietas:

13. *Sermonem*. Noſtris pendet a proximo ſententia ſic: Deprime eos ob delictum, ob ſermonem, ut ſit hic eclipſis præpoſitionis בַּעֲבוּר, propter. At Hebræi ſimpliciter proferunt: Delictum oris eorum eſt ſermo, verbum labiorum ipſorum. Peccant lingua quam maxime, ut ſuperius verſ. 8. vidimus. *Comprehendantur*. Idem Hebræus, ſed futuro: Comprehendentur. *Mendacio*. Hebræus addit etiam hic præpoſitionem De. *Annunciabuntur*. Noſtri, punctis immutatis, legerunt יִסָּפְרוּ, quod nunc Hebræis eſt activum: Comprehendentur in ſuperbia, & ab exſecratione, & a mendacio, quod narrabunt (narrant). Terminant autem ſententiam hic, ſecus quam Noſtri, qui ſequentibus eam conjungunt.

14. *In conſummatione, in ira conſummationis*. Suſpicor, Noſtros quibuſdam immutatis legiſſe בְּכָלָה בְּחֵמַת כָּלָה, quæ nunc Hebræis ſunt כַּלֵּה בְחֵמָה כַּלֵּה, conſume in ira, conſume. Exaggeratio. Idem fere ſenſus ubique. *Non erunt*. Hebræus: Et non ipſi. Supple, ſint. *Dominabitur*. Hebræus præſenti: Dominatur. *Jacob*. Hebræus de more linguæ addit præpoſitionem: In Jacob. *Et finium terræ*. Hebræus ſine conjunctione, & dativo: Finibus terræ. Idem ſenſus, quo deſignatur Eccleſia ex Judæis, & gentibus collecta.

15. *Convertentur*. Hebræus addit conjunctionem: Et redibunt, ut verſ. 7. *Et*. Non habetur in Hebræo. Cetera, ut ſuperius verſ. 7.

16. *Diſpergentur*. Scribitur quidem etiam nunc verbum hoc ex Cal יְנוּעוּן, commorabuntur, huc, atque illuc ſe transferent; quamvis Hebræi ex Maſſara legunt ex Hiphil, יְנִיעוּן, commovebunt, omnia ſcilicet, quaſi illud Vav ſit Jod protractum ad denotandam horum commotionem maximam. Nullius tamen momenti varietatem eſſe crederem. *Vero*. Non habetur in Hebræo. *Et murmurabunt*. Verbum hebræum eſt æquivocum, Pernoctare, & Murmurare ſignificans. Conſule Theſaurum. Noſtri in hoc ultimo ſenſu illud accipiunt: Etiam murmurabunt contra Deum, & homines. Hebræi in priori ſenſu interrogative, & admirative: Si non fuerint ſaturati, & pernoctabunt? Quaſi dicat: minime, ſed tota nocte majores tumultus excitabunt famelici.

17. *Exaltabo*. Ovando, jubilando proferam. *Mane*. Eſt dativus in Hebræo: Matutino tempori, tempore. *Miſericordiam*. Hebræus: Pietatem, ut

ſæpius

ſæpius diximus. *Factus es*. Sic Hebræus: Fuiſti. *Suſceptor meus*. Hebræus: Exaltatio mihi. Vide ſuperius verſ. 10. *Refugium*. Fuga; ad quem confugiam. *Meum*. Ad declarationem additum. *Tribulationis meæ*. Hebræus: Tribulationis, vel Anguſto mihi.

18. *Adjutor meus*. Non aliter Hebræus: Robur meum. Vocativi, vel accuſativi caſus, ut verſ. 10. *Tibi pſallam*. Hebræus de more linguæ: Ad te pſallam, muſico inſtrumento ludam. *Suſceptor meus*. Hebræus: Exaltatio mea, ut in ſuperiori verſiculo. *Deus meus, &c.* Noſtri videntur legiſſe אֱלֹהַי, ut ſit Appoſitio: O Deus meus, qui es miſericordia mea; quod nunc Hebræis eſt in regimine: Deus pietatis meæ; quam vocem Noſtros transferre Miſericordiæ vocabulo, ſæpius vidimus.

PSALMUS LX. *Latinis LIX.*

למנצח על שושן עדות מכתם לדוד ללמד :	1. *Præfecto ſuper lilio teſtimonii, Aureolum Davidis ad inſtruendum.*	1. In finem, pro his qui immutabuntur, in tituli inſcriptione ipſi David in doctrinam.
בהצותו את ארם נהרים ואת ארם צובה וישב יואב ויך את אדום בגיא מלח שנים עשר אלף :	2. *Cum ſuccendit Aram duorum fluviorum, & Aram Zobæ, & convertit Joab, & percuſſit Idumæam in valle Salis duodecim millia.*	2. Cum ſuccendit Meſopotamiam Syriæ, & Sobal, & convertit Joab, & percuſſit Idumæam in valle ſalinarum duodecim millia.
אלהים זנחתנו פרצתנו אנפת תשובב לנו :	3. *Deus repuliſti nos, fugiſti nos, iratus es, redire facies nobis (nos).*	3. Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos, iratus es, & miſertus es nobis.
הרעשתה ארץ פצמתה רפה שבריה כי מטה :	4. *Concuſſiſti terram, rupiſti eam, ſana contritiones ejus, quia commota eſt.*	4. Commoviſti terram, & conturbaſti eam, ſana contritiones ejus, quia commota eſt.
הראית עמך קשה השקיתנו יין תרעלה :	5. *Oſtendiſti populo tuo durum, potaſti nos vino tremoris.*	5. Oſtendiſti populo tuo dura, potaſti nos vino compunctionis.
נתתה ליראיך נס להתנוסס מפני קשט סלה :	6. *Dediſti metuentibus te ſignum ad ſe erigendum a facie veritatis. Sélah.*	6. Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant a facie arcus.
למען יחלצון ידידיך הושיעה ימינך ועננו :	7. *Ut liberentur dilecti tui, ſalva dextera tua, & reſponde mihi.*	7. Ut liberentur dilecti tui, ſalvum fac dextera tua, & exaudi me.
אלהים דבר בקדשו אעלזה אחלקה שכם ועמק סכות אמדד :	8. *Deus locutus eſt in ſanctitate ſua; exſultabo, partibor Sichimam, & vallem Sucoth dimetiar.*	8. Deus locutus eſt in ſancto ſuo, lætabor, & partibor Sichimam, & convallem tabernaculorum metibor.
לי גלעד ולי מנשה ואפרים מעוז ראשי יהודה מחקקי :	9. *Mihi eſt Galaad, & mihi eſt Manaſſes, & Ephraim fortitudo capitis mei, Juda legifer meus.*	9. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim fortitudo capitis mei.

Juda

Digitized by Google

מואב סיר רחצי על אדום אשליך נעלי עלי פלשת התרועעי :	10. *Moab olla ablutionis meæ, ſuper Idumæam projiciam calceamentum meum, ſuper me Philiſtæa te frange.*	Juda rex meus, 10. Moab olla ſpei meæ. In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt.
מי יובילני עיר מצור מי נחני עד אדום :	11. *Quis deducet me* ad *civitatem munitionis? quis deduxit me uſque ad Idumæam?*	11. Quis deducet me *in* civitatem munitam? quis deducet me uſque in Idumæam?
הלא אתה אלהים זנחתנו ולא תצא אלהים בצבאותינו :	12. *Nonne tu Deus repuliſti nos, & non egredieris Deus in exercitibus noſtris?*	12. Nonne tu Deus, *qui* repuliſti nos? & non egredieris Deus in virtutibus noſtris?
הבה לנו עזרת מצר ושוא תשועת אדם :	13. *Affer nobis auxilium de tribulatione, & vana ſalus hominis.*	13. Da nobis auxilium de tribulatione, & vana ſalus hominis.
באלהים נעשה חיל והוא יבוס צרינו :	14. *In Deo faciemus robur, & ipſe conculcabit tribulantes nos.*	14. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

ANNOTATIONES.

FIdeles auxilio Dei fretos in omnibus proficere, quamvis ob peccata nonnunquam Deo utantur irato, & repugnante; exemplo ſatis manifeſto demonſtrat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pro his, qui immutabuntur.* Vide ſuperius pſalmum 46. 1., ubi idem habetur titulus. Hebræus: Super lilio teſtimonii, vel teſtimonium. Vide Theſaurum. *In tituli inſcriptione ipſi David.* Hebræus: Aureolum Davidis. Vide Pſalmum 16. 1. *In doctrinam.* Idem Hebræus, ſed verbo: Ad docendum, inſtruendum. *Succendit, &c.* Idem Hebræus: In ſuccendendo illius Aram duorum fluviorum (Meſopotamiam) & Aram Zobæ (Sophone). *In valle Salinarum.* Hebræus: In valle ſalis. Nomen loci ob quaſdam victorias noti. Conſule Theſaurum noſtrum.

3. *Et.* Quod bis legitur in hoc verſiculo, non habetur in Hebræo. Eſt enim aſyntheta oratio quodam ſpiritus impetu prolata. *Deſtruxiſti.* Idem fere Hebræus: Fregiſti nos. *Miſertus es.* Tranſlatio ſenſus. Hebræus futuro: Redire facies nobis, nos. Ad Deum flagellantem cito convertimur; quæ flagella miſericordiæ loco ſuſcipienda ſunt. Conſule Theſaurum in hoc verbo.

4. *Commoviſti.* Idem Hebræus: Concuſſiſti, tremere feciſti, terræ motum inferens. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Conturbaſti eam.* Verbum hoc hebræum non invenitur alibi, & fortaſſis olim ſic exponebatur, quamvis nunc Hebræis pro loci conjectura ſit: Rupiſti eam: quod quam minimum ſit, quis non videt? *Sana contritiones, fracturas ejus, &c.* Poetica locutio ſatis ornata.

5. *Dura.* Idem Hebræus, quamvis ſingulari: Durum. Sunt autem omnes iſti loquendi tropi longe pulcherrimi, Oſtendere durum, Potare vino tremoris, Dare ſignum, &c., quæ omnia ex Theſauro noſtro depromas velim. *Compunctionis.* Stuporis. Hebræus non longe aliter: Tremoris; quod tremorem membris incutit. Vide Theſaurum.

6. *Significationem.* Hebræus idem fere: Signum, vexillum, te ipſum ſcilicet, tuam potentiam. *Ut fugiant.* Noſtri deduxerunt verbum hebræum a radice נוס, quæ fugere ſignificat, ſed Hebræis nunc eſt a נס, vel a radice נוסס, & erigere ſe in montem vexilli,

vel

Digitized by Google

vel ad vexillum confugere, defendendi cauſſa, ſignificat. *Arcus*. Noſtri procul dubio facili tranſitu legerunt קֶשֶׁת (nam Stitheſis Genebrardi eſt ſatis frigida), quod nunc Hebræis eſt קֹשֶׁט, a facie veritatis. Veritas cogit nos, ad vexillum confugere, & erigi, & ſpem in te ſolum collocare. Promiſiſti ſiquidem, tuos fideles te ſemper eſſe defenſurum. Noſtrorum ſenſus eſt clarus. De Selah dictum eſt alibi.

7. *Liberentur*. Idem Hebræus, ſed futuro: Liberabuntur. Sequentes verſus leguntur etiam pſalmo. 108. 7. Ibi vide. *Salvum fac*. Sic Hebræus: Salva, auxiliare. *Exaudi me*. Sæpius vidimus, Noſtros ſic transferre verbum עָנָה, quod exauditionis ſignum eſt: Reſponde mihi.

8. *In ſancto ſuo*. In ſuo ſanctuario. Vel eſt neutrius generis. Hebræus non longe aliter: A ſanctitate ſua, per ſpiritum ſanctum ſuum. *Lætabor*. Hebræus idem fere: Exſultabo propter victorias, quas certo de hoſtibus reportabo, cum Deus, qui locutus eſt in ſanctitate ſua, nequaquam mentiri poſſit. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Convallem tabernaculorum*. Hebræus: Vallem Sucoth. Conſule Theſaurum in his dictionibus שְׁכֶם, & סֻכּוֹת. *Metibor*. Dimetiar.

9. *Meus eſt*. Idem Hebræus, ſed ſuo loquendi more: Mihi eſt. *Galaad*, & *Manaſſes* trans Jordanem poſiti. *Ephraim* tribus potentia, & numero nobilis, ut jure fortitudo capitis ſui nuncupetur a Davide ſatis pulcherrimo tropo. *Rex meus*. Cui condendæ legis jus manet. Hebræus eodem ſenſu: Legifer meus, legiſlator, decretorum, ſtatutorum formator.

10. *Spei meæ*. Noſtri vocem ex Chaldaica hujus radicis ſignificatione deducentes, ſic interpretati ſunt: ſed nunc Hebræis Lotionem ſignificat. Noſtrorum ſenſus eſt: Spero, confido me uſurum eſſe Moabitis tanquam olla. Hebræorum vero ſic: Moabitis utar ad res viles & abjectas, tanquam eſſent olla ad aſportandam aquam, & abluendum omnia facta. Minima varietas. *In Idumæam*. Hebræus idem: Super Edom. *Extendam*. Hebræus: Projiciam calceum meum, belli futuri ſignum. Conſule Theſaurum. *Mihi*. Hebræus: Super me. *Alienigenæ*. Sic Palæſtinos LXXII. vocant, quod olim e Cappadocia erumpentes habitarint in ea regione. Vide Theſaurum. Hebræus provinciam ipſam ponit: Philiſtæa. *Subditi ſunt*. Quaſi legerint הִתְרוֹעֲעוּ. Hebræus eodem ſenſu, ſed imperativo, dicit: Te frange, ditioni meæ te ſubige. Conſule Theſaurum etiam in hoc verbo.

11. *In*. Non habetur in Hebræo, ſubintelligendum tamen: vel Ad. *Munitam*. Hebræus idem, ſubſtantivo: Munitionis. *Deducet*. Hebræus præterito: Deduxit olim, jam parta victoria. *Uſque in*. Vel, Ad Idumæam.

12. *Qui*. Non habetur in Hebræo, poteſt nihilominus ſubintelligi more linguæ, ut noſtri fecerunt, ſed Hebræi ſine illo: & hinc duo ſenſus oriuntur, ut videre potes. *In virtutibus noſtris*. Sic interpretari Noſtros צְבָאוֹת, ſæpius vidimus. Hebræus: In, cum exercitibus, & copiis, inter noſtras phalanges.

13. *Da nobis*. Sic Hebræus: Affer nobis. *De tribulatione*. Loco genitivi poſitum. Auxilium ſiquidem eſt in regimine, & aliud eſt auxilium de tribulatione, tribulationis; & auxilium de, ex tribulatione. *Et vana*. Idem Hebræus: Et vanum eſt, res vana. Quia vana eſt ſalus hominis, hominum tutela, defenſio.

14. *In Deo*. Dei ope. *Virtutem*. Sic interpretantur חַיִל noſtri, ut ſæpius vidimus. Robur, vim, vel exercitum. *Ad nihilum deducet*. Non longe aliter Hebræus: Conculcabit, calcabit.

PSAL-

GRADUS SEPTIMUS.

PSALMUS LXI. Latinis LX.

למנצח על נגינת לדוד :	1. *Præfecto ſuper modulatione Davidis.*	1. In finem, in hymnis David.
שמעה אלהים רנתי הקשיבה תפלתי :	2. *Audi Deus ovationem meam, auſculta orationem meam.*	2. Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.
מקצה הארץ אליך אקרא בעטף לבי בצור ירום ממני תנחני :	3. *A fine terræ ad te clamabo, dum anxiatur cor meum, in petram, quæ elevabitur præ me, deduces me.*	3. A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.
כי היית מחסה לי מגדל עז מפני אויב :	4. *Quia factus confugium mihi, turris fortitudinis a facie inimici.*	Deduxiſti me, 4. quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis a facie inimici.
אגורה באהלך עולמים אחסה בסתר כנפיך סלה :	5. *Inhabitabo in tabernaculo tuo ſeculis, confugiam in abſconditum alarum tuarum. Selah.*	5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſecula, protegar in velamento alarum tuarum.
כי אתה אלהים שמעת לנדרי נתת ירשת יראי שמך :	6. *Quoniam tu Deus audiſti votis meis, dediſti hæreditatem timentium nomen tuum.*	6. Quoniam tu Deus *meus* exaudiſti orationem meam, dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum.
ימים על ימי מלך תוסיף שנותיו כמו דר ודר :	7. *Dies ſuper dies regis adjicies, anni ejus ſicut ætas, & ætas.*	7. Dies ſuper dies regis adjicies, annos ejus uſque in diem generationis, & generationis.
ישב עולם לפני אלהים חסד ואמת מן ינצרהו :	8. *Sedebit* in *ſeculum ante Deum, pietatem, & veritatem para, cuſtodient illum.*	8. Permanet in æternum in conſpectu Dei, miſericordiam, & veritatem *ejus* quis requiret?
כן אזמרה שמך לעד לשלמי נדרי יום יום :	9. *Sic pſallam nomen tuum in æternum, ad perficiendum me vota mea die die.*	9. Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi, ut reddam vota mea de die in diem.

ANNOTATIONES.

POſt exſilii reſtitutionem gratias agens non minimas, longam vitam, favoremque divinum eleganter poſtulat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *In hymnis*. Idem Hebræus: Super modulatione, inſtrumentali muſica Davidis, cui Davidis compoſitiones organo decantandæ mandabantur. Græcus addit ψαλμός.

2. *Exaudi*. Pro ſimplici Audi poſitum. *Deprecationem*. Non aliter Hebræus: Ovationem, quam deprecando, & gratias agendo habeo. *Intende, &c.* Sic Hebræus: Auſculta orationem meam.

3. *A*

3. *A finibus*. Hebræus ſingulariter, quod nihil refert: A fine, ab extremitate terræ, ubi exſulem vitam duco. *Clamavi*. Hebræus idem, quamvis futuro: Clamabo, clamabam. *Dum anxiaretur*. Sic etiam Hebræus: Dum anxiatur, ſyncopim patitur. Vide Theſaurum. *Exaltaſti me*. Noſtri paucis immutatis videntur ex duabus dictionibus unicam feciſſe, legiſſeque תְּרוֹמְמֵנִי, Exaltabis me, quod nunc Hebræis eſt יָרוּם מִמֶּנִּי. (quæ petra) elevabitur, alta erit præ me, quam viribus propriis incendere non valebam, illic tanquam in locum tutum, & ſecurum deduces (eſt enim futurum & hic) me. Idem fere ſenſus ubique.

4. *Factus es*. Sic etiam Hebræus: Fuiſti. *Spes mea*. Hebræus: Confugium, refugium mihi, ad quod confugimus ſalvari ſperantes. Minima varietas. *Turris fortitudinis*. Contra inimicum fortiſſima.

5. *Inhabitabo, &c.* Tropus pulcherrimus. Utinam ex tuis intimis familiaribus ſim, qui ſemper tecum domi verſantur. *In ſecula*. Idem Hebræus, quamvis ſine præpoſitione: Seculis. *Protegar*. Sæpius vidimus verbum hoc hebræum ſignificare proprie, ad aliquem locum ſervandi gratia confugere, quod ſatis commode protegendi verbo Noſtri hic transferunt. *In velamento*. In abſcondito, in protectione, & præſidio. De Selah diximus alibi.

6. *Meus*. Ad declarationem additum. *Exaudiſti*. Pro ſimplici Audiſti, ut ſuperius. *Orationem meam*. Alium fortaſſe textum habuere Noſtri, nam Hebræi nunc legunt לִנְדָרָי, votis meis, vota, quæ tibi in exſilio nuncupavi. *Timentibus*. Sic Hebræus, quamvis genitivo, nam regitur a præcedenti nomine: Timentium.

7. *Regis*. Se ipſum, vel etiam Chriſtum intelligit. *Annos*. Sic Hebræus, ſed nominativo: Anni ejus ſint. *Uſque in diem, &c.* Non longe aliter Hebræus: Sicut ætas, & ætas. Ad duas producantur ætates.

8. *Permanet*. Idem fere Hebræus, ſed futuro: Sedebit, habitabit, permanebit. *In æternum*. Idem Hebræus, quamvis ſine præpoſitione: Seculo, in ſeculum. *Miſericordiam*. Sæpius monuimus, Noſtros ſic transferre חֶסֶד, pietatem. *Ejus*. Ad declarationem a Noſtris additum ob ſequentem translationem. *Quis*. Noſtri videntur legiſſe מִי, facili tranſitu; nam Hebræis nunc verbum eſt: Para, præpara: nam a vero aberrat, quod Genebrardus arbitratur, מן Syriace poſitum hic eſſe loco כִּי. *Requiret?* Suſpicor & hic Noſtros alium habuiſſe textum, nam Hebræus nunc legit יִנְצְרֻהוּ, cuſtodient, ſervabunt illum. Sunt autem duo tropi ſane perquam elegantiſſimi, Parare pietatem, & veritatem, quæ ſervent aliquem. Conſule Theſaurum. Noſtrorum ſenſus apud alios reperies.

9. *Pſalmum dicam, &c.* Sic etiam Hebræus: Pſallam, muſico inſtrumento nomen tuum decantabo. *In ſeculum ſeculi*. Hebræus idem: Æterno, in æternum. *Ut reddam*. Hebræus ſuo tropo: Ad perficiendum me; ut perficiam. Vota ſiquidem non ſunt perfecta, integra, niſi ea perſolveris. *De die in diem*. Hebræus ſuo tropo: Die, die; per ſingulos dies.

PSAL-

PSALMUS LXII. Latinis LXI.

למנצח על ידותון מזמור לדוד:	1. *Præfecto ſuper Iduthun, pſalmus Davidis.*	1. In finem, pro Iduthum, pſalmus David.
אך אל אלהים דומיה נפשי ממנו ישועתי:	2. *Verumtamen ad Deum ſilet anima mea, ab ipſo ſalus mea.*	2. Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? ab ipſo *enim* ſalutare meum.
אך הוא צורי וישועתי משגבי לא אמוט רבה:	3. *Verumtamen ipſe eſt petra mea, & ſalus mea, exaltatio mea, non movebor multum.*	3. Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus, ſuſceptor meus, non movebor amplius.
עד אנה תהותתו על איש תרצחו כלכם כקיר נטוי גדר הדחויה:	4. *Quouſque infortunia dabitis ſuper viro? trucidabimini univerſi vos tanquam paries inclinatus, maceria depulſa.*	4. Quouſque irruitis in hominem? interficitis univerſi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ.
אך משאתו יעצו להדיח ירצו כזב בפיו יברכו ובקרבם יקללו סלה:	5. *Verumtamen ab elevatione ejus conſiliati ſunt ad impellendum, volent mendacium, in os illius benedicent, & intra ſe maledicent. Selah.*	5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti; ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.
אך לאלהים דומי נפשי כי ממנו תקותי:	6. *Verumtamen Deo ſile anima mea, quoniam ab ipſo exſpectatio mea.*	6. Verumtamen Deo ſubjecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea.
אך הוא צורי וישועתי משגבי לא אמוט:	7. *Verumtamen ipſe petra mea, & ſalus mea, exaltatio mea, non movebor.*	7. Quia ipſe Deus meus, & ſalvator meus, adjutor meus, non emigrabo.
על אלהים ישעי וכבודי צור עזי מחסי באלהים:	8. *Super Deo ſalus mea, & gloria mea, petra fortitudinis meæ, confugium meum in Deo.*	8. In Deo ſalutare meum, & gloria mea; Deus auxilii mei, & ſpes mea in Deo eſt.
בטחו בו בכל עת עם שפכו לפניו לבבכם אלהים מחסה לנו סלה:	9. *Confidite in eo in omni tempore, o popule, effundite coram illo cor veſtrum, Deus confugium eſt nobis. Selah.*	9. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus adjutor noſter *in æternum*.
אך הבל בני אדם כזב בני איש במאזנים לעלות המה מהבל יחד:	10. *Verumtamen vanitas filii hominis, mendacium filii viri, in ſtateris ad aſcendendum ipſi de vanitate ſimul.*	10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.
אל תבטחו בעשק ובגזל אל תהבלו חיל כי ינוב אל תשיתו לב:	11. *Ne confidetis in injuria, & in rapina ne evaneſcetis, ſubſtantia cum affluxerit, ne apponetis cor.*	11. Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere, divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.
		12. Se-

אחת דבר אלהים שתים זו שמעתי כי עז לאלהים:

ולך אדני חסד כי אתה תשלם לאיש כמעשהו:

12. *Unum locutus eſt Deus, duo bæc audivi, quia robur eſt Deo.*

13. *Et tibi Domine pietas, quia tu retribues viro ſecundum opus ejus.*

12. Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt.

13. Et tibi Domine miſericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera ſua.

ANNOTATIONES.

De vanitate mundana multa præclare diſſerens, ſoli Deo fidendum, in eo ſpes omnes collocandas, qui pro ſuis quemque factis remuneraturus ſit, carmine decantat pulcherrimo. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pro Iduthun*. Idem fere Hebræus: Super Iduthun; pro qua dictione noſtrum Theſaurum conſule.

2. *Nonne*. Hebræus aſſeveranter, non interrogative, a qua dictione ſex hujus pſalmi incipiunt verſiculi: Verumtamen, tamen, certe. *Deo ſubjecta erit*. Translatio ſenſus. Hebræus: Ad Deum ſilentium, ſilens, tacita eſt; ſuffert, exſpectat. Vide Theſaurum. *Enim*. Non habetur in Hebræo. *Salutare*. Ut interpretantur Noſtri ſæpius: Salus, auxilium meum.

3. *Nam &c.* Eadem particula in Hebræo, ut ſuperius: Verumtamen. *Deus meus*. Translatio ſenſus. Hebræus: Petra mea. Divinorum nominum unum eleganti metaphora ſic dictum. *Salutaris*. Salus, auxilium, ut ſuperius. *Suſceptor meus*. Jam vidimus Noſtros ſic interpretari dictionem hanc מִשְׂגַּבִּי, exaltatio mea, qui me exaltandum ſuſcipis, & protegendum. *Amplius*. Hebræus: Multum. Minima varietas.

4. *Irruitis in hominem?* Verbum hebræum non invenitur alibi, nec ſatis certum eſt, quid proprie ſignificet. Conſule Theſaurum. Ego ex הוּה deductum eſſe cenſeo, pro Infortunia, calamitates facere, inferre, ut ſit ſenſus: Quouſque calamitates confertis ſuper viro? Super me? nam de ſe loquitur in tertia perſona. Non maximi momenti varietas. *Interficitis*. Hebræus futuro, ſed lectione incerta, nam active, & paſſive ſumi poteſt: Interficietis, vel interficiemini. *Tanquam parieti, &c.* Græciſmus: ut docte notat Genebrardus, quod ὡς, in hac ſignificatione, & aliæ ſimiles particulæ cum dativo conſtruantur. Ideſt, ac ſi paries eſſet disjectus, maceria convulſa, & ad injuriam omnia expoſita. Hebræus: Interficitis ad inſtar parietis inclinati, maceriæ impulſæ, a quibus incauti ſæpius opprimuntur.

5. *Pretium meum*. Noſtri putarunt Mem eſſe nominis conſtitutivum, legentes מַשְׂאֵתִי, elevationem, ſublimitatem, pretium meum, quod nunc Hebræis eſt præpoſitio, leguntque מִשְּׂאֵתוֹ, ab elevatione, de ſublimitate ipſius viri, de quo in ſuperiori verſiculo: ideſt, Mea. Idem fere ſenſus ubique. Poſſes etiam interpretari: Propter elevationem ejus; & alter erit ſenſus. *Cogitaverunt*. Non longe aliter Hebræus: Conſiliati ſunt, deliberarunt. *Repellere*. Sic Hebræus: Ad impellendum, compellendum. *Cucurri*. Noſtri procul dubio punctis immutatis legerunt יָרֻצוּ, current, a radice רוץ, & Græce reddiderunt ἔδραμον, cucurrerunt, quamvis latinus poſtea ſingulariter protulerit, quod nunc Hebræis eſt יִרְצוּ, volent, diligent, a רָצָה. *In ſiti*. Suſpicor etiam hic Noſtros legiſſe בְּצָמָא, qnod nunc Hebræis eſt כָּזָב, Mendacium. Horum ſenſus patet. Noſtrorum eſt hujuſmodi: Summo ardore eorum improba conſilia conatus ſum effugere, vel ma-

gno ſtudio ad me depellendum de ſtatu cucurrerunt, ut etiam ſitim contraherent. *Ore ſuo*. Noſtri ad improbos referunt, quaſi בְּפִיהֶם legerint. Non aliter Hebræi, quamvis ſingulariter ſcribatur בְּפִיו, in ore ejus, ſuo, cujuslibet improbi. Ego potius exponerem: In os illius viri, Davidis videlicet, ut ſit ſenſus: Me, quem intrinſecus odio proſequuntur maximo, in faciem laudare non erubeſcunt. *Benedicebant, maledicebant*. Sunt futura in Hebræo, eodem ſenſu: Benedicent, maledicent. *Et corde ſuo*. Non longe aliter Hebræus: Et intra ſe, in medio ſui, intrinſecus. De Selah, quod bis legitur in hoc pſalmo, dictum eſt alibi.

6. *Subjecta eſto*. Hebræus: Sile. Vide ſuperius verſ. 2. *Patientia mea*. Hebræus: Exſpectatio mea, ſpes ſalutis meæ ab eo pendet.

7. *Quia*. Hebræus: Verumtamen, ut ſuperius. Sic etiam cetera, quæ ſequuntur, ut verſ. 3. Ibi vide; nam eadem ſunt præter ultimam dictionem, quæ non habetur hic.

8. *In Deo ſalutare meum*. Idem fere Hebræus: Super Deo ſalus, auxilium meum, Deo acceptum refero, quicquid auxilii, vel gloriæ, vel roboris, vel confugit tandem in me eſt. *Deus*. Hebræus: Petra, ut verſ. 3. *Auxilii mei*. Suſpicor Noſtros facili tranſitu legiſſe עֶזְרִי, quod nunc Hebræis eſt עֻזִּי, roboris, fortitudinis meæ. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Spes mea*. Hebræus: Confugium, perfugium, quæ ſpes Noſtris dicitur.

9. *Sperate*. Hebræus: Confidite; quod oritur ex ſpe. *Omnis congregatio populi*. Noſtri paucis immutatis facili tranſitu legerunt כָל־עֲדַת עַם, quod nunc Hebræis eſt בְכָל־עֵת עָם, in omni tempore, o popule. *Coram illo*. Sic Hebræus ſuo tropo: Faciebus ejus. *Corda veſtra*. Hebræus ſingulariter: Cor. Effundere cor, idiotiſmus, pro Animi deſideria, affectus omnes in Deum rejicere. *Adjutor noſter*. Translatio ſenſus. Hebræus: Confugium, refugium nobis; ut in ſuperiori verſiculo. *In æternum*. Ad declarationem additum. Niſi malles Noſtros hic transferre Selah, quod hic poſitum eſt.

10. *Vani, &c.* Hebræus ſubſtantivo nomine ſatis eleganter: Vanitas ſunt filii hominis. *Mendaces, &c.* Iterum hic ſubſtantivo nomine Hebræus utitur: Mendacium filii viri. Hoc eſt, tam nobiles, quam ignobiles, ut etiam ſuperius pſalmo 48. *Ut decipiant*. Genebrardo eſt Anaſtrophe. Ut etiam ipſi in ſtateris poſiti decipiant, & fallant, qui videbantur aliquid ponderis in ſe continere, cum tamen vanitas in altera lance poſita præponderatura ſit. Hebræus ſuo tropo eumdem ſenſum adhibet ſatis clare: In ſtateris ad aſcendendum ipſos de vanitate ſimul. Magis elevantur etiam cuncti ſimul in lance poſiti, quam ipſa vanitas; leviores ſunt vanitate. Minimi momenti varietas.

11. *Nolite ſperare*. Hebræus futuro: Ne confidetis, confidatis. Vide v. 9. ubi idem habetur verbum. *Iniquitate*. Hebræus neſcio quid gravius habet: Injuria. Fit autem עֹשֶׁק proprie, quando rapiuntur aliena fraude, dolo malo, & furtim. *Rapinas*. Hebræus ſingulariter: In rapina, quæ fit vi rapiendo. *Nolite concupiſcere*. Suſpicor Noſtros alium habuiſſe textum, nam Hebræi nunc legunt אַל תֶּהְבָּלוּ, ne evaneſcatis, vani evadatis. *Divitiæ, &c.* Idem Hebræus, quamvis ſingulari: Subſtantia cum affluxerit, fructum fecerit. *Nolite cor apponere*. Idem Hebræus, ſed futuro: Ne ponetis cor.

12. *Semel*. Non aliter Hebræus: Unum locutus eſt Deus. Quid autem locutus ſit, mox exprimet; nempe ſe malos male perditurum, & bonis bona daturum. Sequitur deinde: Duo hæc audivi, &c. Vel Semel locutus duo hæc, quæ audivi, nempe quod ſit potentiſſimus, proinde punire poſſit, & miſericors, & errata pœnitentibus condonet. Eodem

reci-

recidunt omnia. *Poteſtas Dei eſt*. Sic etiam Hebræus: Robur, fortitudo Deo eſt. Ad puniendum.

13. *Miſericordia*. Sic transferunt Noſtri. Hebræus: Pietas. Ad condonandum. Notanda eſt nominum hæc varietas. Dei (Elohim) eſt fortitudo, Domini vero (Adonai) pietas. *Reddes unicuique*. Idem Hebræus ſuo tropo: Retribues viro. Hoc eſt unum illud, quod locutus eſt Deus. *Juxta opera ſua*. Idem Hebræus ſingulariter: Secundum opus illius.

PSALMUS LXIII. Latinis LXII.

מזמור לדוד בהיותו במדבר יהודה: אלהים אלי אתה אשחרך צמאה לך נפשי כמה לך בשרי בארץ ציה ועיף בלי מים:	1. *Pſalmus David, cum eſſet in deſerto Judææ.* 2. *Deus Deus meus es, inaurorabo te, ſitivit tibi anima mea, deſideravit tibi caro mea, in terra ſiccitatis, & laſſa ſine aqua.*	1. Pſalmus David, cum eſſet in deſerto Judææ. 2. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. In terra deſerta, & invia, & inaquoſa.
כן בקדש חזיתיך לראות עזך וכבודך:	3. *Sic in ſanctitate vidi te, ad videndum fortitudinem tuam, & gloriam tuam.*	3. Sic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.
כי טוב חסדך מחיים שפתי ישבחונך:	4. *Quoniam bona eſt pietas tua præ vita, labia mea laudabunt te.*	4. Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te.
כן אברכך בחיי בשמך אשא כפי:	5. *Sic benedicam te in vita mea, in nomine tuo levabo palmas meas.*	5. Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas.
כמו חלב ודשן תשבע נפשי ושפתי רננות יהלל פי:	6. *Sicut adipe, & pinguedine ſaturabitur anima mea, & labiis ovationum laudabit os meum.*	6. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exſultationis laudabit os meum.
אם זכרתיך על יצועי באשמרות אהגה בך:	7. *Si memor fui tui ſuper ſtratis meis, in vigiliis meditabor in te.*	7. Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te;
כי היית עזרתה לי ובצל כנפיך ארנן:	8. *Quia fuiſti auxilium mihi, & in umbra alarum tuarum ovabo.*	8. Quia fuiſti adjutor meus. Et in velamento alarum tuarum exſultabo.
דבקה נפשי אחריך בי תמכה ימינך:	9. *Adhæſit anima mea poſt te, in me ſuſtentavit dextera tua.*	9. Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.
והמה לשואה יבקשו נפשי יבואו בתחתיות הארץ:	10. *Ipſi vero deſolationi quærent animam meam, venient in inferiora terræ.*	10. Ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ.

11. Tra-

יגירהו על ידי חרב מנת שועלים יהיו:	11. *Defluere facient eum ſuper manus gladii, pars vulpium erunt.*	11. Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.
והמלך ישמח באלהים יתהלל כל הנשבע בוכי יסכר פי דוברישקר:	12. *Rex vero lætabitur in Deo, laudabitur omnis, qui jurat in eo, quoniam obſtruetur os loquentium mendacii.*	12. Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo, quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

ANNOTATIONES.

EXſulem vitam in memoriam revocans, dulciſſima præteritorum caſuum recordatione, carminibus verborum elegantiis, & locutionum tropis ornatis, ſe conſolatur. Diſtinctionum varietates ex te ipſo recognoſcas velim.

1. *Cum eſſet*. Sic Hebræus infinitivo: In eſſendo ipſius. Hiſtoria legitur 1. Sam. 22.

2. *Deus meus*. Hebræus emphatice addit, Es tu. *Ad te de luce vigilo*. Manico, mane te quæro, uti Græcus habet ὀρθρίζω. Hebræus habet verbum eleganter effictum a שַׁחַר, aurora, quaſi diceres Inaurorate, in aurora quærere. *In te*. Hebræus dativo: Tibi, ad te ſitit. *Quam multipliciter*. Videntur Noſtri punctis immutatis legiſſe כַּמָּה, quantum, quam plurimum, admirandi videlicet particula, quod nunc Hebræis verbum eſt כָּמַהּ, deſideravit, expetivit tibi, te. *Deſerta*. Non aliter fere Hebræus: Siccitatis, ariditatis, & ob id inculta, deſerta. *Invia*. Suſpicor in ſuo exemplari Noſtros aliter legiſſe, quam nunc Hebræus habet עָיֵף, & laſſa, deſatigata. Eleganter ſatis terræ dat laſſitudinem poetice, ob quam cauſſam Noſtri fortaſſe inviam eam dixerunt. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Inaquoſa*. Sine aqua, aquæ penuria laborante.

3. *In ſancto*. Idem fere Hebræus: In ſanctitate, tam ex parte loci, templi videlicet, quam ex parte mei, ſic. Eodem deſiderio, eadem, ut ita dicam, animi aviditate videndi te, in his deſertis locis afficior. *Apparui tibi*. Hebræus: Vidi, contemplatus ſum te. Minima varietas. *Ut viderem*. Hebræus: Ad videndum, ut videam. Sic etiam Græcus τοῦ ἰδεῖν. *Virtutem*. Sæpius Noſtri ſic interpretantur עֹז, robur, fortitudinem tuam, quam Virtutem nominant.

4. *Melior eſt, &c.* Jam diximus, Noſtros ſic transferre חֶסֶד. Hebræus igitur ſuo tropo totam ſic habet ſententiam: Bona eſt pietas tua præ vita. Vitæ uſura ſuavior eſt beneficiorum tuorum in me collatio. Quare merito labia mea te laudant. Nulla varietas.

5. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Manus*. Idem Hebræus: Volas, palmas. Te ſublatis in cælum oculis invocabo.

6. *Repleatur*. Idem fere Hebræus futuro: Satiabitur, ſaturabitur, laudibus videlicet, gratiarum actionibus anima mea tanquam adipe, & pinguedine, loco adipis, & pinguedinis, quæ offerri, & adoleri conſuetum eſt. Genebrardo adeps, & pinguedo, gratiæ, & conſolationum divinarum ſymbola ſunt. *Exſultationis*. Hebræus pluraliter: Ovationum. Idiotiſmus pulcherrimus.

7. *Stratum meum*. Hebræus pluraliter: Stratis meis. *In matutinis*. Hebræus: In vigiliis. Minima varietas. Tres ſunt vigiliæ noctis. Vide Theſaurum. Quotieſcumque, inquit, memor ſum tui in lectulo (recordor autem ſemper), & in vigiliis præcipue, de te cogito. Qui *ſic* pro *ſi* legunt, mendoſe faciunt.

8. *Adjutor meus*. Idem Hebræus, ſed ſubſtantivo: Auxilium mihi. *In velamento*. Hebræus: Umbra. Eſt autem idiotiſmus pulcherrimus. Ideſt, in protectio-

tectione, & tutela. *Exſultabo*. Sic Hebræus: Ovabo.

9. *Poſt te*. Tibi. Linguæ Hebraicæ loquendi modus. *Me ſuſcepit*. Adjuvandum, & ſuſtentandum. Translatio ſenſus. Hebræus: In me ſuſtentavit.

10. *In vanum*. Noſtri procul dubio punctis vocalibus immutatis, & detracto He legerunt לַשָּׁוְא, vano, in vanum, fruſtra, quod nunc Hebræis eſt לְשׁוֹאָה, deſolationi, in locis deſolatis, inviis: nullum imperſcrutatum relinquunt locum, ut me inventum opprimant. Quod Genebrardus in deſolationem, in exitium exponat, quaſi dicat: Quæſiverunt animæ meæ exitium, litteræ Hebraicæ non conſonat. Notatur maxima Saulis, & ſatellitum ejus in quærendo Davidem diligentia. *Quæſierunt*. Idem Hebræus futuro: Quærent, quærebant. *Introibunt*. Sic etiam Hebræus: Venient, intrabunt etiam loca ſubterranea, ſi forte me abditum illic reperiant.

11. *Tradentur*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe סָגְרוּ, claudentur, tradentur, quod nunc Hebræis eſt יַגִּירֻהוּ, Defluere (ſanguinem ſcilicet) facient eum. Vide Theſaurum. Saulem innuit, quem attractum per loca ſolis ibicibus pervia, quemadmodum teſtatur Scriptura, dum perſequereturDavidem, ſæpius manaſſe ſanguine veroſimilius eſt, vel quod ſpinis, & rupibus læderetur, vel quod in in locis arctis coacte ſauciarent ſemetipſos, uti videtur Davides hic innuere. *In manus*. Hebræus: Super manus gladii. Poeticus tropus ſatis elegans Hebraicæ linguæ familiaris. Vide Theſaurum. *Partes*. Hebræus ſingulariter: Pars, portio. Vaticinium, vel imprecatio, vel etiam narratio ſimplex. Veriſimile quidem eſt in illis locorum difficultatibus, aliquos a feris, vel alio caſu interemptos, vulpibus, & feris in eſcam remanſiſſe.

12. *Rex*. De ſe loquitur. *In Deo*. Noſtri connectunt cum Lætabitur, Hebræus vero ſequentibus. *Laudabuntur, &c.* Idem Hebræus, quamvis ſingulariter: In Deo laudabitur, gloriabitur omnis, qui jurat in eo, per eum Deum, voti nimirum compos factus. Jurare in Deo, præter ſenſum ſimplicem, eſt in eo firmiter credere. *Obſtructum eſt*. Idem Hebræus futuro: Obſtruatur. *Iniqua*. Non aliter fere Hebræus: Mendacii, mendacium, qui de me falſo, & mendaciter loquuntur.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS LXIV. Latinis LXIII.

למנצח מזמור לדוד:

שמע אלהים קולי בשיחי מ
מפחד אויב תצר חיי:

הסתירני מסוד מרעים מ
מרגשת פעלי און:

אשר שננו כחרב לשונם
דרכו חצם דבר מר:

לירות במסתרים תם פתאם
ירהו ולא ייראו:

יחזקו למו דבר רע יספרו
לטמון מוקשים אמרו מי יראה
למו:

יחפשו עולת תמנו חפש מ
מחפש וקרב איש ולב עמק:

ויורם אלהים חץ פתאם הי
מכותם:

ויכשילהו עלימו לשונם
יתנודדו כל ראה בם:

וייראו כל אדם ויגידו פעל
אלהים ומעשהו השכילו:

ישמח צדיק ביהוה וחסה בו
ויתהללו כל ישרי לב:

1. Præfecto, pſalmus Davidis.

2. Audi Deus vocem meam in locutione mea, a timore inimici cuſtodies vitam meam.

3. Abſcondes me ab arcano malignantium, a tumultu operantium iniquitatis.

4. Qui exacuerunt ut gladium linguam ſuam, tetenderunt ſagittam ſuam, verbum amarum.

5. Ut ſagittent in occultis integrum, ſubito ſagittabunt eum, & non timebunt.

6. Firmaverunt ſibi verbum malum, narraverunt ad abſcondendum laqueos, dixerunt, quis videbit eis?

7. Scrutabuntur iniquitates, perfecimus ſcrutinium perſcrutatum, & intimum viri, & cor profundum.

8. Et ſagittavit eos Deus ſagitta ſubito, fuerunt plagæ eorum.

9. Et impingere fecerunt (eam) ſuper ſe linguam ſuam, commovebuntur omnis videns in eos.

10. Et timuerunt omnis homo, & annunciaverunt opus Dei, & factum ejus intellexerunt.

11. Lætabitur juſtus in DOMINO, & confugiet in eum, & laudabuntur omnes recti cordis.

1. In finem, pſalmus Davidi.

2. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam.

3. Protexiſti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.

4. Quia exacuerunt ut gladium linguas ſuas, intenderunt arcum, rem amaram.

5. Ut ſagittent in occultis immaculatum.

Subito ſagittabunt eum, & non timebunt.

6. Firmaverunt ſibi ſermonem nequam.

Narraverunt ut abſconderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos?

7. Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.

Accedet homo ad cor altum.

8. Et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.

9. Et infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati ſunt omnes, qni videbant eos.

10. Et timuit omnis homo.

Et annunciaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt.

11. Lætabitur juſtus in DOMINO, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

AN-

ANNOTATIONES.

IMpiorum inſidias, & calumnias graphice deſcribens, earum auctores magna juſtorum voluptate oppreſſum iri, elegantiſſima decantat oratione. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito. Mirum eſt, quam varius ſit Vulgatus ab Hebræo etiam hic, cujus variationis cauſſas reddere nos conabimur.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, præpoſito, ut ſuperius.

2. *Exaudi*. Pro ſimplici, Audi, poſitum. *Orationem*. Sic legerant in ſuis exemplaribus Noſtri, vel certe ſenſum tranſtulerunt, nam Hebræus nunc habet: Vocem meam. *Cum deprecor*. Non longe aliter Hebræus: In locutione mea, cum loquor in oratione. *A timore*. Ne timeam, vel certe, propter timorem. Præpoſitio מִן varie transferri poteſt, ut in Theſauro. *Eripe*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe תַּצִּיל, eripies, quod nunc Hebræis eſt תִּצּוֹר, cuſtodies, ſervabis. Vel ſenſum etiam hic tranſtulerunt, non verbum. *Animam meam*. Metonymice. Hebræus: Vitam meam. Minima varietas.

3. *Protexiſti me*. Pro ſimplici poſitum, ut Hebræo concordet, qui tamen per futurum profert: Teges, abſcondes me. *A conventu*. Hebræum סוֹד arcanum, ſecretum, & conſilium occultum, nec non concilium, cœtum, & conventum ſignificat. *Malignantium*. Malorum; improborum, male agentium. *A multitudine*. Hebræus: A tumultu, quem multitudo, turba excitat. Nulla varietas. *Iniquitatem*. Sic Hebræus: Iniquitatis.

4. *Quia*. Hebræus: Qui; quod referre parum crederem. *Linguas ſuas*. Hebræus ſingulariter: Linguam ſuam; quod nihil refert. *Intenderunt arcum*. Hebræus: Tetenderunt ſagittam ſuam. Minima varietas. *Rem amaram*. Appoſitorie. Hebræus: Verbum amarum, virulentum, calumnias. Vox hebræa verbum, & rem ſignificat. Vide Theſaurum.

5. *Ut ſagittent*. Ad ſagittandum, projiciendum. *Immaculatum*. Integrum, perfectum, inſontem. *Subito*. De improviſo; de repente.

6. *Firmaverunt*. Firmiter arripuerunt ſibi. *Sermonem nequam*. Sic Hebræus: Verbum malum, quod ſuperius verbum amarum etiam dixerat. *Ut abſconderent*. Ad abſcondendum. *Eos*. Laqueos. Hebræus de more linguæ dativo utitur: Eis, laqueis, vel ſibi. Hinc duplex reſultat translatio. Quis noſtras inſidias animadvertet? vel, quis proſpiciet, cavebit ſibi? Idem tamen ſenſus.

7. *Scrutati ſunt*. Idem Hebræus, quamvis futuro: Scrutabuntur, ſcrutabantur; varias nocendi rationes, & modos excogitabant. *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio*. Arbitror, Noſtros facili tranſitu paucis nonnullis immutatis legiſſe תַּמּוּ חֹפְשִׂים חֵפֶשׂ, defecerunt ſcrutantes ſcrutinium. Et quidem ſunt etiam ex Hebræis, qui putent תַּמְנוּ poſitum eſſe pro תַּמּוּ, quamvis non Defecerunt, ſed Perſecerunt, interpretentur, non animadvertentes interim, quod patah ſub Thav poſitum grammatices rationibus repugnare videtur, legendumque potius eſſe תָּמְנוּ cum camez. Genebrardus locum hunc non ſatis clare tractat. Radix תָּמַם plura ſignificat, ut docuimus in Theſauro, & ſæpius in Cal eſt intranſitiva, nonnunquam etiam tranſitiva. Præcipue autem Abſolvi ſignificat, ſed hoc duplici ſenſu, nempe abſolutione defectiva, (ut ſcholaſtice loquar) quod deficere dicimus, vel abſolutione perfectiva, quod perfici, abſolutum, perfectum fieri, eſt. תַּמְנוּ eſt prima præteriti pluralis. Sunt autem verba illorum improborum a Davide relata. Noſtri mutarunt perſonam, ut locutio continuata fieret, & in priori ſignificatione verbum acceperunt. Scrutati ſunt, & ſcrutantes defecerunt. Hebræa hodierna ego ſic interpretor: Abſoluti ſuimus, perfecti ſuimus ſcrutinio

per-

perſcrutato: vel, ſi magis placet tranſitive: Perfecimus, abſolvimus ſcrutinium perſcrutatum. Hebraiſmus pulcherrimus. Nihil intentatum reliquimus, omnes conſiliorum lapides, ut ita dicam, movimus. *Accedet homo, &c.* Arbitror Noſtros facili tranſitu Vav in Jod, punctiſque immutatis legiſſe יִקְרַב אִישׁ לֵב עָמֹק, Accedet homo corde profundo, (ad) cor profundum, altum. Nunc Hebræis lectio cum ſuperioribus continuata eſt, ſic: Perfecti ſumus ſcrutinio perſcrutato, & intimo viri, & corde profundo; profunde, & callide omnia, quæ excogitari poſſunt, tractavimus.

8. *Et exaltabitur*. Noſtri procul dubio punctis immutatis legerunt וַיָּרֵם a radice רום, quod nunc Hebræis eſt וַיֹּרֵם, Et ſagittavit (projecit) eos, ab חוּרָה. *Sagittæ*. Hebræus ſingulariter, & ablativo, ſuperioribus conjuncto videlicet: Sagittavit ſagitta. *Parvulorum*. Noſtri facili tranſitu legerunt פְּתָאִים, ſimplicium, parvulorum, quod nunc Hebræis eſt פִּתְאוֹם, ſubito, de repente, dum talia non exſpectarent, ſed perniciem mihi potius machinarentur. *Factæ ſunt*. Hebræus: Fuerunt plagæ eorum. Idiotiſmus pulcherrimus. Ideſt, ingentibus plagis, & permanentibus: quaſi minimæ, ut vocentur plagæ, dignæ non ſint.

9. *Et infirmatæ ſunt, &c.* Suſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe in Cal וַיִּכָּשְׁלוּ, & impegerunt, debilitatæ, infirmatæ ſunt linguæ eorum, quod nunc Hebræis ſuo loquendi more ex Hiphil eſt וַיַּכְשִׁילוּהוּ, & impingere fecerunt ipſam ſuper ſe linguam ſuam: ubi relativum poſitum eſt ante antecedentem. Idem fere ſenſus ubique. Quicquid malorum contra me dicunt, in ipſos tandem recidet. *Conturbati ſunt*. Hebræus: Commovebuntur, tanquam attoniti facti. Non magni momenti varietas. *Omnes, &c.* Idem Hebræus, ſed ſingulari: Omnis videns in eos. Diſcordantia numeri: quamvis Omnis pluralem numerum repræſentet.

10. *Et timuit*. Hebræus pluraliter: Et timuerunt. Altera, ut ſuperior, diſcordantia. *Opera, & facta*. Hebræus ſingulariter: Opus, Factum, quod nihil refert. Opus Dei ſunt ſupplicia divinitus illata, quibus viſis, ad agnoſcendum, & laudandum juſta Dei judicia debemus excitari.

11. *Et ſperabit in eo*. Sæpius vidimus, Noſtros ſic transferre verbum קִוָּה. Hebræus: Et conſugiet in eum, ad eum, quod non fit ſine ſpe. *Recti corde*. Sic Hebræus: Recti cordis.

PSAL.

Digitized by Google

PSALMUS LXV. Latinis LXIV.

למנצח מזמור לדוד שיר:

לך דמיה תהלה אלהים בציון
ולך ישלם נדר:

שמע תפלה עדיך כל בשר
יבאו:

דברי עונות גברו מני פשעינו
אתה תכפרם:

אשרי תבחר ותקרב ישכן
חצריך נשבעה בטוב ביתך ק
קדש היכלך:

נוראות בצדק תעננו אלהי
ישענו מבטח כל קצוי ארץ וים
רחקים:

מכין הרים בכחו נאזר ב
בגבורה:
משביח שאון ימים שאון ג
גליהם והמון לאמים:

וייראו ישבי קצות מאותתיך
מוצאי בקר וערב תרנין:

פקדת הארץ ותשקקה רבת
תעשרנה פלג אלהים מלא מים
תכין דגנם כי כן תכינה:

1. *Præfecto pſalmi, Davidis canticum.*

2. *Tibi ſilentium* eſt *laus Deus in Sion, & tibi perſolvetur votum.*

3. *O auſcultans orationem, ad te omnis caro venient.*

4. *Verba iniquitatum prævaluerunt præ me, prævaricationes noſtras tu expiabis eas.*

5. *Beatus, quem eliges, & approximabis, inhabitabit* in *atriis tuis; ſaturabimur in bono domus tuæ ſanctæ templi tui.*

6. *Mirabilia in juſtitia reſpondebis nobis Deus ſalutis noſtræ, fiducia omnium finium terræ, & maris longinquorum.*

7. *Aptans montes (in) vi ſua, accinctus (in) potentia.*

8. *Compeſcens ſonitum marium, ſonitum undarum eorum, & tumultum populorum.*

9. *Et timuerunt habitatores extremitatum a ſignis tuis, exitus matutini, & veſpere ovare facies.*

10. *Viſitaſti terram, & deſiderio affeciſti eam, multum locupletabis eam, flumine Dei pleno aquis parabit frumentum illorum, quoniam ita aptabis eam.*

1. In finem, pſalmus David, canticum *Aggæi, Jeremiæ, & Ezechiel populo transmigrationis, quando incipiebant proficiſci.*

2. Te decet hymnus, Deus, in Sion, & tibi reddetur votum *in Jeruſalem.*

3. Exaudi orationem *meam*: ad te omnis caro veniet.

4. Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.

5. Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, *6.* mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longe.

7. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, 8. qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, *9* & timebunt, qui habitant terminos a ſignis tuis: exitus matutini, & veſpere delectabis.

10. Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.

Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio ejus.

11. Ri-

תלמיה רוה נחת גדודה ב ברביבים תמוגגנה צמחה ת תברך:	11. *Sulcos ejus inebria, deprime turmas ejus, in imbribus liqueſacies eam, germen ejus benedices.*	11. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.
עטרת שנת טובתך ומעגליך ירעפון דשן:	12. *Coronaſti annum bonitatis tuæ, & caſtra tua ſtillabunt pinguedine.*	Benedices 12. coronę anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate.
ירעפו נאות מדבר וגיל ג גבעות תחגרנה:	13. *Stillabunt amœna deſerti, & exſultatione colles accingentur.*	13. Pingueſcent ſpecioſa deſerti: & exſultatione colles accingentur.
לבשו ברים הצאן ועמקים יעטפו בר יתרועעו אף ישירו:	14. *Induti ſunt arietibus greges, & valles amicientur tritico, vociferabuntur, etiam canent.*	14. Induti ſunt arietes ovium, & valles abundabunt trumento, clamabunt, etenim hymnum dicent.

ANNOTATIONES.

UBertatem proventuum beneficentia divina provenientem carminibus deſcribens elegantiſſimis, ad laudandum Deum omnes invitat oratione ſatis artificioſa. Diſtinctionum, & ſententiarum varietates ex temetipſo recognoſcas velim. Varius etiam hic ſatis eſt Vulgatus ab Hebræo, cujus variationis cauſſas nos afferre conabimur.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pſalmus.* Vel pſalmi, ut ſit ſenſus: Canticum Davidis, illi, qui carminibus pſallendis præerat, ut decantaretur, datum. *Aggæi, &c.* Additum a Noſtris ab aliqua traditione forſitan edoctis.

2. *Te decet.* Translatio ſenſus, licet non plene, quod Hebræa vox ſignificantior ſit, quam ut unica dictione transferri poſſit: Tibi ſilentium, vel ſilens, te manet, exſpectat; vel tibi ſimilis, congrua ſcilicet, conveniens: vel ſilentium eſt major laus, quam pauca dicere videlicet: vel tandem tibi ſilens, ideſt, non laudaris. Conſule Theſaurum. *Hymnus.* Idem Hebræus: Laus. *Sion.* Ubi templum erat, extra quod Deus rite non colebatur. *Reddetur.* Sic Hebræus: Perficietur, perſolvetur. *In Jeruſalem.* Ad explicationem additum. Sion, & Jeruſalem Eccleſiæ Dei typus.

3. *Exaudi.* Pro ſimplici poſitum. Noſtri quidem punctis immutatis legerunt שמע, audi; quod nunc Hebræis eſt præſens participium שומע, O audiens, qui audis. *Meam.* Ad declarationem additum, quamvis generalius in Hebræo. Orationem omnium, non meam tantummodo. *Ad te.* Uſque ad te. *Veniet.* Sic Hebræus, ſed pluraliter: Venient. Diſcordantia vocum, non intellectus.

4. *Iniquorum.* In abſtracto. Hoc iniquum, iniqui. Ut Hebræo concordet. Verba, res, facta iniquitatum. *Prævaluerunt.* Fortiora fuerunt. *Super nos.* Videntur Noſtri legiſſe facili tranſitu מנו, a, præ nobis, quod nunc Hebræis eſt ſingulare, מני, a, præ me. Sed hæc minima. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Impietatibus noſtris, &c.* Idem fere Hebræus: Prævaricationes noſtras tu expiabis eas. Pleonaſmus Hebræus. Quamvis tam multa commiſimus peccata, ut ab eorum multitudine, vel gravitate ſuperati ad te laudandum ſimus indigni, nec aliquid bonorum abs te deberemus exſpectare, tu nihilominus dimiſſis omnibus noſtris prævaricationibus non ceſſas nos majoribus devincire beneficiis.

5. *Elegiſti, aſſumpſiſti.* Sic Hebræus, ſed futuro: Eliges, approximabis; applicabis, ad te admovebis. *In atriis.* Hebræus ſine præpoſitione de more

re

re linguæ. *Replebimur*. Non aliter Hebræus: Saturabimur, ſatiabimur. Mimeſis. *In bonis*. Idem Hebræus ſingulari: Bono. *Sanctum, &c.* Noſtri punctis immutatis legerunt קָדֹשׁ, quod nunc Hebræis eſt in regimine קְדֹשׁ, conjunctum appoſitive τῷ בֵּיתֶךָ, ſic: Saturabimur bono domus tuæ ſanctæ templi tui. Domus ſancta templi, eſt pars ſacratior, alio nomine דְּבִיר dicta. Vide Theſaurum.

6. *Mirabile*. Suſpicor Noſtros legiſſe נוֹרָא, mirabile, formidandum; & ob id ſuperioribus conjunxiſſe, quod nunc Hebræis eſt plurale נוֹרָאוֹת, mirabilia, timenda, formidanda. *In æquitate*. Idem Hebræus: In juſtitia. *Exaudi nos*. Fortaſſe legerunt Noſtri עֲנֵנוּ, reſponde nobis (quod exauditionis ſignum eſt, ut alibi diximus) hic incipientes ſententiam, quam Hebræi ſuperioribus connectunt ad hunc modum. Mirabilia in juſtitia reſpondebis nobis. Hebraiſmus. Ideſt, operaberis nobis mirabilia, & formidanda in juſtitia, cum a te fuerimus antea non ſolum electi, ſed etiam applicati, & bonis omnibus gratiarum tuarum ſaturati. *Salutaris noſter*. Sic interpretantur Noſtri vocem hanc hebraicam, ut ſæpius vidimus; & fortaſſe legerunt אֱלֹהֵינוּ, quod nunc eſt in regimine אֱלֹהֵי, Deus ſalutis, auxilii mei, a quo ſalutem, & auxilium exſpectamus. *Spes*. Hebræus: Confidentia, fiducia, quam ſpem gignere certum eſt. *Et in mari longe*. Hebræus idem prope: Et maris longinquorum. Continens pro contento. Omnium finium longinquorum tam terræ, quam maris tu fiducia; univerſi mortales in te confidunt.

7. *Præparans*. Aptans, firmans, ſtabiliens. *Tua*. Noſtri continuarunt orationem in ſecunda perſona, quæ nunc Hebræis eſt tertia; quod nihil refert: Sua. *Potentia*. Hebræus de more linguæ præpoſitionem In addit. Accingi in potentia, robore, hebraiſmus, ut in Theſauro.

8. *Qui conturbas*. Translatio ſenſus. Hebræus ſuo idiotiſmo: Laudare faciens. Conturbato mari procellæ ſic attolluntur, ut merito laudari debeant, ceu mirabilia Dei maxima, juxta illud pſalmi 107. 23. Qui deſcendunt mare in navibus, &c. Deus igitur conturbans mare, & tempeſtatem excitans eſt in cauſſa ut fluctus ſic elati jure laudentur. Hebræi hodierni exponunt in contraria ſignificatione: Compeſcens, tranquillans. Conſule Theſaurum noſtrum. *Profundum*. Suſpicor, Noſtros aliter in ſuo exemplari legiſſe, quam nunc Hebræi legunt שְׁאוֹן, ſonitum, fremitum, quam vocem mox repetitam Noſtri etiam ſonum tranſtulerunt. Niſi malles, eos dedita opera, ut ſenſum redderent clariorem, ſic tranſtuliſſe, cum alioquin Conturbare ſonitum maris, ſatis eſſet obſcura locutio. Hebræa patent. *Turbabuntur*. Arbitror, Noſtros facili tranſitu Vav in Jod legiſſe יהמון, tumultuabunt, turbas excitabunt, quod nunc Hebræis nomen eſt cum ſuperioribus continuatum, וַהֲמוֹן, & tumultum populorum.

9. *Et timebunt*. Noſtri legerunt וְיִירְאוּ, quod nunc Hebræis eſt cum Vav converſivo וַיִּירְאוּ, Et timuerunt. *Qui habitant terminos*. Sic Hebræus: Habitatores extremitatum, terræ videlicet. *A ſignis*. Propter ſigna, portenta. *Exitus, &c.* Egreſſiones mane, matutini temporis, & veſpertini. *Delectabis*. Translatio ſenſus. Hebræus: Ovare facies, exhilarabis, lætitia, & exſultatione afficies, ſerenitatem revocando. Idiotiſmo pulcherrimo dat cælo, quod hominum eſt in illis regionibus habitantium. Ideſt, orientales, & occidentales plagas incolentes, (quos extremitatum habitatores ſuperius dixerat), ſudi temporis dono, & beneficio exhilarati ovabunt, tuam prædicantes majeſtatem.

10 *Viſitaſti terram*. Siccitate, & hujuſmodi aliis plagis eam affligendo. *Et inebriaſti eam*. Suſpicor Noſtros facili tranſitu legiſſe ותשקקה, & potaſti, inebriaſti eam, a radice שָׁקָה, quod nunc

 Hebræ-

Hebræis eſt וַתְּשֹׁקְקֶהָ, & deſiderare feciſti, deſiderio affeciſti eam, a radice, שׁוק. Eſt autem poetica locutio ſatis ornata. Terra ſiccitate, & ariditate percuſſa videtur affici aquarum deſiderio non minimo. *Multiplicaſti*. Legerunt etiam hic Noſtri procul dubio punctis immutatis רַבַּת verbaliter, quod nunc Hebræis nomen eſt adverbialiter poſitum. רַבַּת, multum. *Locupletare*. Idem Hebræus, ſed futuro: Locupletabis, ditabis eam. Nulla ſenſus varietas. *Flumen Dei, &c.* Noſtri ſententiam indicative transferunt, מָלֵא verbaliter accipientes. Hebræi ſequentibus connectunt ſic. Rivulo Dei (Jordane videlicet, vel alio quovis flumine, & fortaſſe maximo: vide אלהים in Theſauro) pleno aquis, &c. Nullam tamen ſenſus varietatem eſſe crederem. *Paraſti*. Hebræus futuro: Parabis. *Cibum illorum*. A fine. Hebræus: Frumentum illorum, qui terram incolunt. *Eſt præparatio ejus*. Noſtri תְּכִינֶהָ crediderunt eſſe nomen, quod Hebræis eſt verbum, ut ſuperius, ſed hic cum affixo: Parabis, præparabis eam. Idem ſenſus. Fluviorum irrigatione redditur uberior tellus.

11. *Rivos ejus*. Alter fecundandi terram modus, pluvia videlicet. Noſtros aliud exemplar habuiſſe valde ſuſpicor; nam Hebræus nunc legit תְלָמֶיהָ, ſulcos ejus (non autem proprie ſulcos, ſed quod vulgo dicitur *concolla*, ſignificat hæc vox) inebria, madefacito, imbre copioſo demiſſo. *Multiplica*. Et hic procul dubio Noſtri legerunt aliter, quam nunc Hebræus נַחֵת, deſcendere fac, deprime. *Genimina ejus*. Vox hebræa turmam, manum militum proprie ſignificat. Quas terræ turmas Davides poetice dicit, Noſtri genimina transferunt. Alii ſulcos, vel lyras exponunt. Simplicior ſenſus eſt, ſi glebas, quæ remanent arando interpretemur, quas pluviis demiſſis rogat Deum ut madefaciat, ut ſemen citius oriri poſſit: & hinc fortaſſe Noſtri ſenſum transferentes dixerunt: Multiplica genimina ejus. Conſule Theſaurum. *In ſtillicidiis ejus*. Arbitror Noſtros paucis immutatis legiſſe בִּרְבִיבִים, in irrorationibus, roribus ejus terræ, quod nunc eſt ſine affixo בִּרְבִיבִים, in imbribus. *Lætabitur*. Alium textum habuiſſe Noſtros valde ſuſpicor: nam Hebræus hodiernus legit תְּמֹגְגֶנָּה, liqueſacies, diſſolves eam, tellurem; pluviis videlicet. *Germinans*. Germen, id quod germinat, nam arbitror illud He noſtris eſſe nominis conſtitutivum צִמְחָה, quod nunc Hebræis eſt relativum צִמְחָהּ, germen ejus, terræ. Hic Noſtris terminatur ſententia. Sed Hebræus addit Benedices, amplificabis, copioſius reddes germen ejus.

12. *Coronæ*. Noſtri procul dubio punctis immutatis legerunt עֲטֶרֶת, nomen, quod nunc Hebræis verbum eſt עִטַּרְתָּ, coronaſti, frugibus, fructibus, & hujuſmodi. *Anni*. Hebræus: Annum, ratione dictionis præcedentis. *Benignitatis*. Sic Hebræus: Bonitatis tuæ. *Campi tui, &c.* Translatio ſenſus a fine. Hebræus: Caſtra tua ſtillabunt pinguedinem. Cælos poetice caſtra Dei vocat, quorum influentiæ terris ubertatem generant. Conſule Theſaurum.

13. *Pingueſcent*. Hic etiam translatio ſenſus, non a fine quidem, ut ſuperius, ſed ex ſignificationis conſequentia. Hebræus: Stillabunt, ut ſupra; ergo pinguia. *Specioſa*. Amœna. *Et exultatione, &c.* Hæ omnes ſunt poeticæ locutiones perquam ornatæ, maximam agrorum fertilitatem innuentes, quas in Theſauro jam annotavimus.

14. *Arietes ovium*. Noſtris verbum concordat cum nomine כָּרִים, qui puris, & nitidis velleribus paſtionis copia, & bonitate congregantur, & כָּרִים poſitum eſt pro כָּרֵי, ſicut hac lingua ſæpius facere ſolet; ut in Grammaticis rebus diximus. Hebræus in figuris poeticis perſiſtens ad צֹאן nomen collectivum ſenſu, non voce, ſic illud verbum refert: Induti ſunt arietibus grex. Greges etiam

am innumeros fœtus procreabunt, quibus exornati, & tanquam pallio quodam, ut ita dicam, amicti, Dei benignitatem in omnibus vel telluris, vel pecudum fructibus nobis inſinuabunt. *Abundabunt.* Translatio ſenſus. Hebræus ſuo poetico tropo, ut ſuperius; Amicientur, plenæ erunt tritico; nihil vacui relinquetur, vel infrugiferi. *Clamabunt.* Proſopopœja. Vociferabuntur, jubilabunt ob ubertatem maximam. Latinis etiam rident agri. *Etenim, &c.* Sic Hebræus: Etiam cantabunt, cantillabunt.

PSALMUS LXVI. Latinis LXV.

למנצח שיר מזמור הריעו לאלהים כל הארץ:	1. *Præfecto cantici pſalmus.* *Jubilate Deo omnis terra.*	1. In finem canticum pſalmi *reſurrectionis.* Jubilate Deo omnis terra,
זמרו כבוד שמו שימו כבוד תהלתו:	2. *Pſallite gloriam nominis ejus, ponite gloriam laudem ejus.*	2. pſalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.
אמרו לאלהים מה נורא מעשיך ברב עזך יכחשו לך איביך:	3. *Dicite Deo, quam terribilis es operibus tuis? in multitudine roboris tui mentientur tibi inimici tui.*	3. Dicite Deo, quam terribilia ſunt opera tua, Domine? in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
כל הארץ ישתחוו לך ויזמרו לך יזמרו שמך סלה:	4. *Omnis terra adorabunt tibi, & pſallent tibi, pſallent nomen tuum. Sélah.*	4. Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.
לכו וראו מפעלות אלהים נורא עלילה על בני אדם:	5. *Venite, & videte opera Dei, terribilis actione ſuper filios hominum.*	5. Venite, & videte opera Dei; terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.
הפך ים ליבשה בנהר יעברו ברגל שם נשמחה בו:	6. *Convertit mare aridæ, in flumine pertranſibunt in pede, ibi lætabimur in ipſo.*	6. *Qui* convertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede: ibi lætabimur in ipſo.
משל בגבורתו עולם עיניו בגוים תצפינה הסוררים אל ירימו למו סלה:	7. *Dominatus in fortitudine ſua Mundi, oculi ejus in gentes reſpicient, rebelles non exaltabuntur ſibi. Sélah.*	7. *Qui* dominatur in virtute ſua *in* æternum, oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt: qui exaſperant, non exaltentur in ſemetipſis.
ברכו עמים אלהינו והשמיעו קול תהלתו:	8. *Benedicite gentes Deum noſtrum, & audire facite vocem laudis ejus.*	8. Benedicite gentes Deum noſtrum, & auditam facite vocem laudis ejus.
השם נפשנו בחיים ולא נתן למוט רגלנו:	9. *Qui poſuit animam noſtram in vitam, & non dedit commotioni pedem noſtrum.*	9. Qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.

10. Quo-

כי בחנתנו אלהים צרפתנו
כצרף כסף׃

10. *Quoniam probaſti nos Deus, examinaſti nos ſicut examinare argenti.*

10. Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.

הבאתנו במצודה שמת ם
מועקה במתנינו׃

11. *Venire feciſti nos in rete, poſuiſti affiictionem in lumbis noſtris.*

הרכבת אנוש לראשנו באנו
באש ובמים ותוציאנו לרויה׃

12. *Equitare feciſti hominem capiti noſtro, venimus in ignem, & in aquam, & eduxiſti nos faturitati.*

11. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: 12. impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.

Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.

אבוא ביתך בעולות אשלם
לך נדרי׃

13. *Veniam domum tuam in holocauſtis, perſiciam tibi vota mea.*

13. Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea, 14. quæ diſtinxerunt labia mea.

אשר פצו שפתי ודבר פי
בצר לי׃

14. *Quæ aperuerunt labia mea, & locutum eſt os meu n in tribulatione mibi.*

Et locutum eſt os meum in tribulatione mea.

עולות מחים אעלה לך עם
קטרת אילים אעשה בקר עם
עתודים כלה׃

15. *Holocauſta medullarum aſcendere faciam tibi, cum ſuffitu arietum tibi faciam boves cum bircis. Sélah*

15. Holocauſta medullata offeram tibi, cum incenſo arietum, offeram *tibi* boves cum hircis.

לכו שמעו ואספרה כל יראי
אלהים אשר עשת לנפשי׃

16. *Venite, audite, & narrabo omnes timentes Dei, quid fecit animæ meæ.*

16. Venite, audite, & narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta iecit animæ meæ.

אליו פי קראתי ורוסם תחת
לשוני׃

17. *Ad ipſum ore meo clamavi, & exaltatio ſub lingua mea.*

17. Ad ipſum ore meo clamavi, & exſultavi ſub lingua mea.

און אם ראיתי בלבי לא י
ישמע אדני׃

18. *Iniquitatem ſi vidi in corde meo, non audiet Domrnus.*

18. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

אכן שמע אלהים הקשיב
בקול תפלתי׃

19. *Certe audivit Deus, auſcultavit in voce deprecationis meæ.*

19. Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.

ברוך אלהים אשר לא הסיר
תפלתי וחסדו מאתי׃

20. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & pietatem ſuam a mecum.*

20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & miſericordiam ſuam a me.

AN-

ANNOTATIONES.

BEneficiorum commemoratione in Dei laudes erectus, Fideles omnes ad eum celebrandum, & adorandum carminibus ornatis invitat. Diſtinctionum varietates, ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Canticum pſalmi*. Vel Cantici pſalmus, vel tandem, Canticum, pſalmus, nam Hebræa diverſimode transferri poſſunt. *Reſurrectionis*. Non habetur in Hebræo, a Noſtris additum neſcio qua de cauſa. *Omnis terra*. Diſcordantia vocum, non ſenſus: Terrarum omnium incolæ.

2. *Pſalmum dicite*. Hebræus: Pſallite, vulgo: Suonate. Minima varietas. *Nomini*. Hebræus addit: Gloriam nominis ejus, quam dictionem Noſtros non tranſtuliſſe miror. *Date*. Non aliter Hebræus: Ponite. *Laudi*. Hebræus appoſitive: Laudem ejus. Nulla ſere varietas.

3. *Terribilia ſunt*. Noſtri fortaſſe legerunt נוֹרָאִים pluraliter, vel certe putarunt, idiotiſmum eſſe, quo ſingulare nomen additur plurali, ut alibi etiam fieri vidimus. Hebræus ad Deum refert. Terribilis, timendus es operibus, actionibus tuis. *Domine*. Ad declarationem additum. *Virtutis*. Sic interpretantur nonnunquam Noſtri עֹז, roboris, fortitudinis: Propter multam tuam potentiam, ſe tuos unquam infeſtaſſe, negabunt hoſtes tui. Vide 81. 16., & pone hic.

4. *Adoret, pſallat*. Hebræus futuro, & plurali: Adorabunt, pſallent. Diſcordantia vocum, non ſenſus, ut ſuperius verſ. 1. *Pſalmum, &c.* Hebræus futuro, & plurali. Pſallent (ſuoneranno) nomen tuum. Minima varietas. De Selah, quod ter legitur in hoc pſalmo, dictum eſt ſuperius.

5. *Terribilis*. Timendi, admirandi. *In conſiliis*. Hebræus ſingulariter: Actione, ope, conſilio.

6. *Qui*. Ad declarationem additum hic, & in ſequenti verſiculo. *In aridam*. Sic Hebræus, quamvis dativo, ſuo more: Aridæ. *Pede*. Hebræus de more linguæ præpoſitionem In addit. Maris rubri diviſionem, & fluxus Jordanis retentionem, ut pede ſicco tranſirent fideles, innuit. *Ibi, &c.* In illis locis, in ipsius Dei ope, & gratia lætabimur.

7. *Virtute*. Hebræus: Fortitudine, quam Virtutem Noſtri nominant. *In*. Non habetur in Hebræo, ſed additum eſt a Noſtris, quod עוֹלָם adverbialiter, ut alias fieri ſolet, acceperunt: Æterno, perpetuo, in æternum. Hebræis eſt in propria Mundi ſignificatione. *Super*. Hebræus: In gentes. Nulla varietas. *Reſpiciunt*. Hebræus futuro: Reſpicient. *Qui exaſperant*. Hebræus: Rebelles. Minima varietas. *Exaltentur, &c.* Hebræus futuro: Exaltabuntur ſibi. Scriptura nihilominus hebræa eſt ex Hiphil: Exaltabunt ſibi. Syntaxis hebræa: ſemetipſos. Idem ſenſus.

8. *Auditam facite*. Sic Hebræus: Audire facite, prædicate.

9. *Animam meam*. Noſtri fortaſſe legerunt facili tranſitu נַפְשִׁי, quod nunc Hebræis eſt plurale נַפְשֵׁנוּ, Animam noſtram, ſed hoc parum referre crederem. *Ad*. Hebræus: In. Qui animam noſtram in vita conſervavit. *In commotionem*. Hebræus dativo, ſuo more: Commotioni. Non paſſus eſt, nos in exitium labi. *Pedes meos*. Fortaſſe legerunt Noſtri רַגְלִי, facili tranſitu, quod nunc Hebræis eſt רַגְלֵנוּ, pedem noſtrum. Sed hæc minima.

10. *Igne nos examinaſti*. Idem verbum habetur ſuperius pſalmo 17. 3. Ibi vide. *Sicut examinatur*. Hebræus idem, ſed infinitivo: Sicut examinare argenti. Rebus adverſis tentaſti nos, & experimentum feciſti de nobis, de noſtra fide, & integritate.

11. *Induxiſti nos in laqueum*. Non aliter Hebræus: Venire feciſti nos in rete,

te, ut caperemur. *Tribulationes*. Hebræus ſingulariter: Afflictionem, preſſuram. *In dorſo noſtro*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, nam Hebræus nunc legit בְּמָתְנֵינוּ, in lumbis noſtris! Catenas, & vincula Sanctorum fortaſſis innuit. Minimi tamen momenti varietatem eſſe crederem. Vide etiam pſalmum *69. 24.*

12. *Impoſuiſti*. Idem Hebræus, quamvis ſuo loquendi tropo: Equitare feciſti hominem. *Super capita noſtra*. Fortaſſe legerunt Noſtri punctis immutatis לְרָאשֵׁינוּ, capitibus noſtris, quod nunc Hebræis eſt ſingulare לְרֹאשֵׁנוּ, capiti noſtro. Nulla varietas. *Tranſivimus, &c.* Sic Hebræus ſuo tropo: Venimus in ignem, & aquam; varia, & contraria ſubire coacti ſumus pœnarum, & calamitatum genera. *In refrigerium*. Translatio ſenſus. Hebræus dativo: Irrigationi, ſaturitati, in ſaturitatem, ideſt, in refocillationem.

13. *Introibo, &c.* Idem Hebræus: Veniam domum tuam in (cum) holocauſtis. *Reddam*. Hebræus: Perficiam, quaſi imperfecta remanſura vota, quæ non reddideris. Nulla varietas.

14. *Diſtinxerunt*. Noſtri verbum concordant cum פִּרְטִי: ideſt, labia mea diſtincte nuncuparunt, & promiſerunt hæc vota, quæ redditurus ſum. Hebræus ſatis eleganter poetice cum votis concordat: Quæ vota aperuerunt labia mea, ut ea loquendo voverem. Nullius momenti varietas. *Mea*. Hebræus idem dativo: Mihi.

15. *Medullata*. Hebræus idem, quamvis nomine ſubſtantivo: Medullarum; plena medullæ & ſucci, pinguia, ſelecta. *Offeram*. Sic Hebræus ſuo tropo: Aſcendere faciam tibi. *Cum incenſo*. Cum ſuffitu arietum incenſorum. *Offeram*. Hebræus: Faciam. Sic latini: Cum faciam vitulam. *Tibi*. Ad declarationem additum. *Boves*. Hebræo eſt ſingulare collectivum: Bos; quod nihil refert.

16. *Omnes, &c.* Idem Hebræus: Omnes timentes Dei, qui Deum veremini. *Quanta*. Hebræus: Quid. Minima varietas.

17. *Et exſultavi*. Mendoſa lectio pro Exaltavi, quaſi Noſtri legerint facili tranſitu וְרוֹמַמְתִּי, quod nunc Hebræis nomen eſt, vel infinitivus רוֹמַם, & exaltatio, exaltare ſub lingua mea. Idiotiſmus elegans. Ipſum laudibus lingua mea eveho, & glorifico.

18. *Aſpexi*. Sic Hebræus: Vidi. Idiotiſmus eſt, Videre in corde iniquitatem, pro Si animo fuiſſem iniquo, & improbo. *Exaudiet*. Pro ſimplici poſitum: Audiet. Ut gratiam conferat. Notanda ſunt nomina poſita in his duobus verſiculis. אֲדֹנָי, & אֱלֹהִים.

19. *Propterea*. Fortaſſe legerunt Noſtri לָכֵן facili tranſitu, quod nunc Hebræis eſt אָכֵן, certe, profecto. Minima varietas. *Exaudivit*. Pro ſimplici Audivit. Ad puniendum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Attendit, &c.* Sic Hebræus ſuo tropo: Auſcultavit, attendit in voce orationis meæ.

20. *Amovit*. Repulit, abſtulit. *Miſericordiam*. Sic transferre חֶסֶד Noſtros, ſæpius vidimus: Pietatem; beneficiorum genera omnia. *A me*. Hebræus ſuo loquendi modo: A mecum, a me ipſo.

PSAL-

PSALMUS LXVII. Latinis LXVI.

למנצח בנגינות מזמור א שיר :	1. *Præfecto in pulſationibus pſalmus canticum.*	1. In finem, in hymnis pſalmus cantici *David*.
אלהים יחננו ויברכנו יאר פניו אתנו סלה :	2. *Deus miſerebitur noſtri, & benedicet nos, illuminabit facies ſuas nobiſcum. Selah.*	2. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, *& miſereatur noſtri*.
לדעת בארץ דרכך בכל ג גוים ישועתך:	3. *Ad cognoſcendum in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutem tuam.*	3. Ut cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.
יודוך עמים אלהים יודוך עמים כלם :	4. *Confitebuntur tibi populi Deus, confitebuntur tibi populi omnes ipſi.*	4. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.
ישמחו וירננו לאמים כי תשפט עמים מישר ולאמים ב בארץ תנחם סלה:	5. *Lætabuntur, & ovabunt gentes, quoniam judicalis populos rectitudine, & gentes in terra deduces eas. Selah.*	5. Lætentur, & exſultent gentes, quoniam judicas populos *in* æquitate, & gentes in terra dirigis.
יודוך עמים אלהים יודוך עמים כלם :	6. *Confitebuntur tibi populi Deus, confitebuntur tibi populi omnes ipſi,*	6. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. 7. Terra dedit fructum ſuum.
ארץ נתנה יבולה יברכנו אלהים אלהינו :	7. *Terra dedit fructum ſuum, benedicet nos Deus, Deus noſter.*	Benedicat nos Deus Deus noſter, 8. benedicat nos
יברכנו אלהים וייראו אותו כל אפסי ארץ :	8. *Benedicet nos Deus, & metuent eum omnes fines terræ.*	Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

ANNOTATIONES.

DEi notitiam in univerſum orbem diffundi cupiens, quid ex ea fidelibus exſpectandum ſit, carmine, brevi quidem, ſed artificioſo, & ſatis eleganti demonſtrat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſupra. *In hymnis*. Hanc eamdem dictionem habes ſuperius pſalmo 4. 1. Ibi vide. *Pſalmus cantici*. Vel, Canticum. Hebræa diverſimode transferri poſſunt.

2. *Miſereatur, &c.* Omnia hæc verba ſunt futura in Hebræo, quæ aliis temporibus transferri, docuimus jam in rebus grammaticis. *Nobis*. Hebræus accuſativo: Nos. *Vultum*. Vox hebræa eſt pluralis natura: Vultus ſuos, facies ſuas. Placidas, & ſerenas exhibeat nobis facies. *Super nos*. Hebræus ſuo loquendi modo: Nobiſcum. *Et miſereatur noſtri*. A Noſtris repetitum ad majorem declarationem. De Sélah, quod bis legitur in hoc pſalmo, ſuperius dictum eſt.

3. *Ut cognoſcamus*. Hebræus infinitivo: Ad cognoſcendum viam tuam, tuam legem, & præcepta; quibus modis etiam Mundum gubernas. *Salutare*

tuum. Sic transferunt Noſtri vocem hanc, ut alias vidimus: Salutem, auxilium tuum.

4. *Confiteantur.* Hebræus futuro, ut ſuperius: Confitebuntur, celebrabunt. *Omnes.* Hebræus emphatice addit: Ipſi.

5. *Lætentur.* Omnia futura, ut diximus, in Hebræo. *Exſultent.* Sic Hebræus: Ovabunt. *Judicas.* Judicabis, reges, gubernabis. *In.* Non habetur in Hebræo, ſubintelligendum nihilominus. *Dirigis.* Hebræus de more linguæ relativum addens habet: Duces eas. Moderaberis, veluti dux itineris, & præmonſtrator.

6. *Confiteantur, &c.* Repetitio verſ. 4. ad verbum.

7. *Terra, &c.* Vel ſimpliciter de terræ frugibus intelligit; vel de proventu multarum virtutum Apoſtolorum, & Prophetarum; vel tandem de terrena ſubſtantia Virginis, quæ Chriſtum nobis protulit. *Benedicat.* Hebræus futuro: Benedicet. *Deus.* Trina repetitio nominis divini, Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium nobis innuere videtur.

8. *Benedicat.* Benedicet, ut ſuperius. *Metuant.* Metuent, colent.

PSALMUS LXVIII. Latinis LXVII.

למנצח לדוד מומור שיר:	1. *Præfecto Davidi pſalmus canticum.*	1. In finem, pſalmus cantici ipſi David.
יקום אלהים יפוצו אויביו וינוסו משנאיו מפניו:	2. *Exſurget Deus, diſſipabuntur inimici ejus, & fugient oſores ejus a facie ejus.*	2. Exſurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.
כהנדף עשן תנדף כהמס דונג מפני אש יאבדו רשעים מפני אלהים:	3. *Sicut propulſatione fumi propulſabis, ſicut colliqueſcere ceræ a facie ignis, peribunt injuſti a facie Dei.*	3. Sicut deficit fumus, deficiant, ſicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores a facie Dei.
וצדיקים ישמחו יעלצו ל לפני אלהים וישישו בשמחה:	4. *Et juſti lætabuntur, exſultabunt in conſpectu Dei, & gaudebunt in lætitia.*	4. Et juſti epulentur, & exſultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.
שירו לאלהים זמרו שמו סלו לרכב בערבות ביה שמו ועלזו לפניו:	5. *Cantate Deo, pſallite nomen ejus, exaltate equitanti in cælis in Jaba nomine ſuo, & exſultate in conſpectu ejus.*	5. Cantate Deo, pſalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. Exſultate in conſpectu ejus, *turbabuntur a facie ejus*, 6. patris orphanorum, & judicis viduarum.
אבי יתומים ודין אלמנות אלהים במעון קדשו:	6. *Pater orphanorum, & judex viduarum eſt Deus in habitaculo ſanctitatis ſuæ.*	Deus in loco ſancto ſuo:
אלהים מושיב יחידים ביתה מוציא אסירים בכושרות אך סוררים שכנו צחיחה:	7. *Deus inhabitare facit unicos domi, educit vinctos in vinculis, verumtamen rebelles habitarunt ariditatem.*	7. Deus *qui* inhabitare facit unius moris in domo. *Qui* educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulcris.

8. Deus

אלהים בצאתך לפני עמך בצעדך בישימן סלה:

ארץ רעשה אף שמים נטפו מפני אלהים זה סיני מפני אלהים אלהי ישראל:

גשם נדבות תניף אלהים נחלתך ונלאה אתה כוננתה:

חיתך ישבו בה תכין בטובתך לעני אלהים:

אדני יתן אמר המבשרות צבא רב:

מלכי צבאות ידדון ידדון ונות בית תחלק שלל:

אם תשכבון בין שפתים כ
כנפי יונה נחפה בכסף ו
ואברותיה בירקרק חרוץ:

בפרש שדי מלכים בה ת
תש־ג בצלמון:

הר אלהים הר בשן הר גבננים הר בשן:

למה תרצדון הרים גבננים ההר חמד אלהים לשבתו אף יהוה ישכן לנצח:

רכב אלהים רבותים אלפי שנאן אדני בם סיני בקדש:

8. *Deus in egredi tuo ante populum tuum, in incedere tuo in deſerto. Sélah.*

9. *Terra concuſſa eſt, etiam cæli diſtillaverunt a facie Dei hic Sinai a facie Dei, Dei Iſrael.*

10. *Pluviam liberalitatum dimovebis Deus, hereditatem tuam, & defatigatam tu ſtabiliviſti (eam).*

11. *Animal tuum habitarunt in ea, parabis in bonitate tua pauperi Deus.*

12. *Dominus dabit ſermonem euangelizantium exercitum multum.*

13. *Reges exercituum elongabuntur, elongabuntur, & ſpecioſa domus dividet ſpolium.*

14. *Si jacebitis inter chitropodes o alæ columbæ obductæ* in *argento, & alæ ejus* in *viriditate auri?*

15. *In expandendo omnipotens reges in ea, ninges in Zalmon.*

16. *Mons Dei, mons Baſan, mons caſeationum, mons Baſan.*

17. *Ut quid ſubſilietis montes? caſeationes eſt mons,* quem *concupivit Deus* pro *habitare ſuo, etiam DOMINUS habitabit in perpetuum.*

18. *Currus Dei duarum myriadum millium angelorum, Dominus in eis Sinai in ſanctitate.*

8. Deus, cum egredereris in conſpectu populi tui, cum pertranſires in deſerto.

9. Terra mota eſt, etenim cæli diſtillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Iſrael.

10. Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata eſt, tu *vero* perfeciſti eam.

11. Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi, Deus.

12. Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multa.

13. Rex virtutum dilecti, dilecti, & ſpeciei domus dividere ſpolia.

14. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.

15. Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon: 16. mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: 17. ut quid ſuſpicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare *in eo*; etenim DOMINUS habitabit in finem.

18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: DOMINUS in eis *in* Sinai, in ſancto.

Digitized by Google

עלית למרום שבית שבי ל לקחת מתנות באדם ואף ם סוררים לשכן יה אלהים :	19. *Aſcendiſti alto, captivaſti captivitatem, accepiſti dona in homine, & etiam rebelles ad inhabitandum Jaha Deum.*	19. Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus. Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.
ברוך אדני יום יום יעמס לנו האל ישועתינו סלה :	20. *Benedictus Dominus die die onerabit nobis Deus ſalutem noſtram. Sélah.*	20. Benedictus Dominus die quotidie, proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.
האל לנו אל למושעות ו וליהוה אדני למות תוצאות :	21. *Deus nobis eſt Deus auxiliis, & DOMINO Domino morti eductiones.*	21. Deus noſter, Deus ſalvos faciendi: & DOMINI Domini exitus mortis.
אך אלהים ימחץ ראש איביו קדקד שער מתהלך באשמיו :	22. *Verumtamen Deus vulnerabit caput inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantis in delictis ſuis.*	22. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.
אמר אדני מבשן אשיב א אשיב ממצלות ים :	23. *Dixit Dominus, ex Baſan reducam, reducam de profundis maris.*	23. Dixit Dominus, ex Baſan convertam, convertam in profundum maris.
למען תמחץ רגלך בדם ל לשון כלביך מאיבים מנהו :	24. *Ut vulneres pedem tuum in ſanguine, linguam canum tuorum ex inimicis ab ipſo.*	24. Ut intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipſo.
ראו הליכותיך אלהים הליכות אלי מלכי בקדש :	25. *Viderunt inceſſus tuos Deus, inceſſus Dei mei, regis mei in ſanctitate.*	25. Viderunt ingreſſus tuos, Deus, ingreſſus Dei mei, regis mei, qui eſt in ſancto.
קדמו שרי אחר נגנים בתוך עלמות תופפות :	26. *Præceſſerunt cantores, poſtea pſallentes, in medio juvenculæ tympaniſtriæ.*	26. Prævenerunt principes conjuncti pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum.
במקהלות ברכו אלהים אדני ממקור ישראל :	27. *In eccleſiis benedicite Deo, Domino de fonte Iſrael.*	27. In eccleſiis benedicite Deo Domino, de fontibus Iſrael.
שם בנימן צעיר רדם שרי יהודה רגמתם שרי זבלון שרי נפתלי :	28. *Ibi Beniamin minimus dominans eos, principes Juda obruitio eorum, principes Zabulon, principes Nephtali.*	28. Ibi Beniamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu. Principes Juda, duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtali.
צוה אלהיך עזך עוזה א אלהים זו פעלת לנו :	29. *Mandavit Deus tuus robur tuum, confirma o Deus hoc, quod operatus es nobis.*	29. Manda Deus virtuti tuæ; confirma hoc, Deus, quod operatus es *in* nobis.

Digitized by Google

מהיכלך על ירושלם לך יובילו מלכים שי׃	30. *A templo tuo ſuper Jeruſalem tibi ducent reges munus.*	30. A templo tuo in Jeruſalem, tibi offerent reges munera.
גער חית קנה עדת אבירים בעגלי עמים מתרפס ברצי כ כסף בזר עמים קרבות יחפצו׃	31. *Increpa animal cannæ, congregationem taurorum in vitulis populorum ſe conculcantis in fruſtis argenti; diſſipavit populos*, qui *bella volent.*	31. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati ſunt argento. Diſſipa gentes, *quæ* bella volunt;
יאתיו חשמנים מני מצרים כוש תריץ ידיו לאלהים׃	32. *Venient Optimates ex Ægypto, Æthiopia currere faciet manus ſuas Deo.*	32. venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.
ממלכות הארץ שירו לאלהים זמרו אדני סלה׃	33. *Regna terræ cantate Deo, pſallite Dominum. Sélah.*	33. Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino, *pſallite Deo, qui*
לרכב בשמי שמי קדם הן י יתן בקולו קול עז׃	34. *Equitanti in cælis, cælorum antiquitatis, ecce dabit in voce ſua vocem roboris.*	34. aſcendit ſuper cælum cæli, ad orientem. Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.
תנו עז לאלהים על ישראל גאותו ועזו בשחקים׃	35. *Date robur Deo, ſuper Iſrael magnificentia ejus, & robur ejus in nubibus.*	35. Date gloriam Deo ſuper Iſrael, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.
נורא אלהים ממקדשיך אל ישראל הוא נתן עז ותעצמות לעם ברוך אלהים׃	36. *Metuendus es Deus de ſanctuariis tuis, Deus Iſrael ipſe dat robur, & fortitudines populo: Benedictus Deus.*	36. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi *ſuæ*: Benedictus Deus.

ANNOTATIONES.

FIdelium de hoſtibus victorias canens, in Dei laudes excitatus, Chriſtum, & Eccleſiam carmine triumphali, & elegantiſſimo non obſcure delineat. Variat ſatis Vulgatus ab Hebræo in hoc pſalmo, cujus variationis cauſſas nos afferre conabimur. Varietates vero diſtinctionum ex te recognoſcere poteris.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Cantici*. Vel, Canticum, nam Hebræa varie transferri poſſunt. *Ipſi David*. Vel, Davidis. Hebræus autem præfert hoc nomen ſic: Præfecto Davidi, vel Davidis, pſalmus, canticum; quod parum referre crederem.

2. *Exſurgat, &c.* Verba hebræa ſunt futura quidem, ſed variis temporibus transferri poſſunt, prout in grammaticis rebus diximus: Exſurget, diſſipabuntur, fugient. *Qui oderunt eum*. Sic Hebræus: Oſores ejus.

3. *Sicut deficit, &c.* Translatio ſenſus. Hebræus: Sicut propulſatione (vel propulſare) fumi, propulſabis. Fumus propulſatus deficit. *Sicut fluit, &c.* Non aliter Hebræus, ſed infinitivo: Sicut colliqueſcere ceræ. *Pereant*. Hebræus futuro: Peribunt. *Peccatores*. Sæpius vidimus, Noſtros ſic transferre רְשָׁעִ: Injuſti.

4. *Epulentur*. Hebræus: Lætabuntur. Nullius momenti varietas, nam epulantes etiam gaudent. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Exſultent*. Hebræus: Exſultabunt. *In conſpectu*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Faciebus. *Delectentur*. Hebræus: Gaudebunt; quod nihil, vel parum refert.

5. *Pſal-*

5. *Pſalmum dicite*. Hebræus: Pſallite, inſtrumentis muſicis videlicet. *Nomini*. Hebræus accuſativo: Nomen, famam ejus. *Iter facite*. Noſtri deduxerunt verbum a מְסִלָּה, ſemita; pro Parare, aptare viam; quod nequaquam abſurdum eſt. Hebræi in propria ſignificatione: Exaltate, evehite, exponunt. Conſule Theſaurum. *Ei, qui aſcendit*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Equitanti, equitantem. *Super occaſum*. Hebræus: In cælis. Radix hebræa plura ſignificat, ut in Theſauro. עֶרֶב veſperum, ſerum, tempus veſpertinum. Hinc Noſtri: Super Veſperas, ſuper Occaſum, quo loci fiunt primum veſperæ: qui inequitat in occaſum, in occiduas regiones. Hebræi cælos, & præcipue nonam, & decimam ſphæram interpretantur, cujus expoſitionis rationem habes in Theſauro. Uterque ſenſus optimus. *Dominus nomen illi*. Hebræus: In Jaha, nomine ſuo. Habet autem ſenſum duplicem; nam vel refertur ad Exaltate Deum in Jaha nomine ſuo, ideſt, laudate eum de actionibus, quæ nomine hoc ſignificantur; vel ad equitantem, ut ſit figurata, & poetica locutio ſatis elegans, quaſi Deus nunc equitet ut Jehova, nunc ut Elohim, nunc ut Adonai, nunc tandem ut Jaha. Creator autem, & Redemptor hoc innuitur nomine. Conſule Theſaurum. *Exſultate*. Hebræus addit conjunctionem Et. *In conſpectu ejus*. Hebræus ſuo loquendi modo: Faciebus ejus; ante eum. *Turbabuntur a facie ejus*. Non habetur in Hebræo,& quo irrepſerit caſu,neſcio; cum nullam habeat hoc loco rationem, nec veriſimile ſit a LXXII. appoſitum fuiſſe.

6. *Patris, &c.* Vulgatus ſic tranſtulit, præcedenti relativo hæc omnia appoſitive conjungens. Hebræis eſt ſententiæ principium. Pater Orphanorum, & Judex viduarum eſt Deus, licet in cælis inhabitet. Nulla varietas. *In loco ſancto ſuo*. Hebræus: In habitaculo ſanctitatis ſuæ, in ſuamet ſanctitate, in qua, velut in habitaculo quodam, reſidet.

7. *Qui*. Non habetur in Hebræo, quamvis hoc parum referat. *Unius moris*. Translatio ſenſus. Hebræus: Unicos, homines unius modi, & ritus, uniuſque voluntatis, Unicos appellare poſſumus. Hebræi tamen ſimpliciori tropo Unicos, qui ſine prole ſunt, exponunt. *In domo*. Sic Hebræus: Domi. Eſt autem, Habitare facere domi, tropus elegans, pro Familiam copioſam, & prolem, liberos dare, nam בַּיִת & domum, & familiam ſignificat. Conſule Theſaurum. *Qui*. Non habetur in Hebræo. *In fortitudine*. Translatio ſenſus. Hebræus: In vinculis, catenis; fortiter ligatos. *Similiter*. Suſpicor Noſtros facili tranſitu legiſſe כָּךְ, ita, ſimiliter, quod nunc Hebræis eſt אַךְ adverſativa particula: Verumtamen, at. *Eos, qui exaſperant*. Non aliter Hebræus: Rebelles, perverſis actionibus Deum exaſperantes. *Qui habitant*. Hebræus præterito, & ſine relativo: Habitaverunt. *In ſepulcris*. Hebræus: Ariditatem, ſiccitatem, loca arida, & quæ ſepulcra Noſtri nominant.

8. *Cum egredereris*. Exitum ex Ægypto innuit. Idem Hebræus, quamvis infinitivo, de more linguæ: In egredi tuo. *In conſpectu*. Hebræus ſuo tropo: Faciebus, ante. *Cum pertranſires*. Hebræus iterum infinitivo, ſicut ſuperius: In incedere tuo, cum incederes. De Selah, quod ter legitur in hoc pſalmo, ſuperius dictum eſt.

9. *Mota eſt*. Sic Hebræus: Concuſſa eſt, ob Dei præſentiam. *Etenim*. Etiam, inſuper. *Sinai*. Hebræus addit articulum demonſtrativum: Iſte Sinai. Supple, Concuſſus eſt. *Dei*. Hebræus alterum *Dei* addit.

10. *Voluntariam*. Idem Hebræus, ſed nomine ſubſtantivo, more linguæ: Liberalitatum, munificentiarum: ex ſpontanea Dei liberalitate, & qualem homines optant, provenientem. *Segregabis*. Hebræus: Agitabis, dimovebis, demittendi cauſa. Non maxima varietas. *Hereditati tuæ*. Noſtri præcedenti verbo con-

jun-

jungentes, quaſi legerint לְנַחֲלָתְךָ, ſic transferunt. Hebræus nunc ſententiam hic incipit, & ſequenti verbo conjungit: Hereditatem tuam, montem Sinai, & loca circumvicina. *Et infirmata eſt.* Noſtri videntur putaſſe, וְנִלְאָה verbum eſſe præteriti temporis, quod (etſi maſculinum) ad hereditatem referant; non Sinai, ſed populum Iſraeliticum fortaſſis intelligentes. Hebræis nunc ſimpliciori locutione participium fœmininum eſt, nomini præcedenti appoſitive additum: Et defatigatam. Terram, quæ prius laborabat aquarum penuria, laſſam, defatigatam ſatis eleganter nominat. Hanc laſſitudinem Noſtri dixerunt Infirmitatem. Eccliptis Genebrardi, & Cimhini ante illum, eſt ſuperflua. *Vero*. Non habetur in Hebræo. *Perfeciſti*. Non aliter Hebræus: Aptaſti, ſtabiliviſti. *Eam*. In latina oratione redundat; ſed Hebræis frequens eſt loquendi ſchema.

11. *Animalia tua*. Idem Hebræus ſingulari, collective: Animal tuum, Eccleſia tua, fideles tui. Conſule Theſaurum. *Habitabunt*. Noſtri punctis immutatis videntur legiſſe per futurum יֵשְׁבוּ, quod nunc eſt præteritum יָשְׁבוּ, habitarunt, manſerunt in illa tua hereditate. *Paraſti*. Hebræus futuro, quod aliis etiam temporibus transferri poſſe, jam in Grammaticis docuimus: Parabis, præparabis. *In dulcedine*. Non longe aliter Hebræus: In bonitate, bono. *Pauperi*. Parare in bonitate, eſt idiotiſmus pulcherrimus pro Fruendum tradere bonum. Genebrardus per tuam bonitatem exponit, ſed hoc puritatem hebraicam non ſic redolet.

12. *Verbum*. Sic Hebræus: Dictum, ſermonem. *Euangelizantibus*. Quaſi legerint לַמְבַשְּׂרוֹת Noſtri, quod nunc Hebræis videtur a præcedenti nomine regi: Euangelizantium. Eſt autem in Hebræo fœmininum genere, quod mulieres ſolerent publice choris, & cantibus victorias celebrare. *Virtute*. Sic interpretari Noſtros vocem צָבָא, ſæpius vidimus. Hebræus: Exercitum multum, magnum, copioſum. Syntaxis hebræa. Pro, Exercitui multo. Faciet, inquit, ut hæc, quæ ſequuntur, annunciare poſſint.

13. *Rex*. Hoc eſt euangelium. Hebræus pluraliter: Reges, quilibet rex. *Virtutum*. Hebræus: Exercituum, ut in ſuperiori verſiculo. *Dilecti, dilecti*. Suſpicor Noſtros facili tranſitu Vav in Jod legiſſe יְדִידֵי pluraliter, vel certe putarunt eſſe cognomen Chriſti, legendumque ידודון, cum Jod radicali; nam Græcus habet ἀγαπητοῦ, genitivi caſus; ſed ſeorſim. Nunc Hebræis verbum eſt futuri temporis a radice נדד, elongabuntur, elongabuntur, terga vertent, cito aufugient. Noſtrorum ſenſus eſſe poteſt: Cedent Chriſto. In ejus venient ditionem, & ſic dilecti erunt. *Et ſpeciei domus*. Idem Hebræus, ſed caſu nominandi; quod clarius eſt: Species, pulcritudo, ſpecioſa, pulcra domus, ideſt mulier, quæ ſpecioſior eſt domi reſidens, juxta illud Eſa. 44. 13. Sicut decorem Adam (mulierem) ad manendum domi. Hanc hoſtium ſpolia diviſuram Euangeliſtæ canunt. *Dividere*. Hebræus futuro: Dividet, partietur. *Spolia*. Sic Hebræus ſingulari collectivo: Spolium. Aliorum expoſitiones, utpote a puritate ſermonis hebraici diſcedentes, nihil moror.

14. *Dormiatis*. Idem Hebræus, ſed futuro: Dormietis, cubabitis, jacebitis. *Cleros*. Translatio ſenſus. Inter ſortes, inter ipſa pericula. Hebræus: Inter tripodes; ſuper quibus ollæ diſponuntur, ita ut vel torreamini, vel ſaltem nigredinem contrahatis maximam, eritis candidi ut alæ, &c. Hæc aliorum fere omnium, quos videre contigit, eſt ſententia, quam non improbo quidem, licet purior & ſimplicior ſenſus mihi videatur, ſi legas interrogative, ut ſit euangelizantium oratio excitativa, qui columbam, quam ſuperiori verſiculo ſpecioſam domus dixerant, extra limites tripodum, ideſt extra culinam, evocant ad diſtrahenda ſpolia. Huic lectioni ſane nulla opus eſt eccliſi, prout in alia. *Pennæ*. Hebræus idem. O Alæ. Aliis: Sicut alæ. *Deargentatæ*.

Geni-

Genitivi caſus. Non aliter Hebræus: Obductæ (in) argento. *Poſteriora dorſi*. Noſtri caudam intelligunt. Hebræis eſt ſuperioris כָּנָף ſynonymum: Et alæ ejus. Vide Theſaurum. *In pallore*. Sic Hebræus: In viriditate auri.

15. *Dum diſcernit*. Dividit, diſſipat. Non longe aliter Hebræus, ſed infinitivo: In expandendo, dum expandis, hinc inde diſſipas; nam eſt ad Deum apoſtrophe, ut mihi videtur. *Cæleſtis*. Hebræus: Sadai, omnipotens. Minima varietas. *Super eam*. Hebræus: In ea, per eam. *Nive dealbabuntur*. Noſtri verbum eſſe neutrum crediderunt, pluraliter illud transferentes habita populi ratione. Ut nix exſiſtent, ideſt, exhilarabuntur. Nunc Hebræis eſt ſingulare, &, ſi placet neutra ſignificatio, erit eodem ſenſu tertia fœminina. Nive dealbabitur, ſpecioſa, & columba ſcilicet, exhilarabitur. Mihi tamen activum potius eſt, & ſecunda futuri maſculina, facta, ut diximus, ad Deum apoſtrophe, non longe tamen alieno a ſuperiori ſenſu. Ninges, nivem demittes, vel ad terrendos reges, vel ad reſocillandos tuos. *Zalmon*. Montis nomen. Vide Theſaurum.

16. *Pinguis*. Translatio ſenſus. Hebræus: Baſan. Eſt autem regio Baſan fertiliſſima, & feraciſſima. Noſtri crediderunt, Dei montem hic laudari, & ob id tranſtulerunt Baſan; at Hebræis nunc Baſan mons, quem Dei montem appellant, & omnis illa circumjacens regio laudatur a fertilitate; quod tamen parum referre crederem. *Coagulatus*. Non longe aliter Hebræus, ſed ſubſtantivo: Caſeationum, ideſt, caſeoſus, incaſeatus, uberrimus. *Pinguis*. Hebræus: Baſan, ut ſuperius.

17. *Suſpicamini*. Verbum hebræum non invenitur alibi in tota ſcriptura, & fortaſſis olim ſic exponebatur. Eſt autem ſenſus: Quid ſuſpicamini me loqui de montibus coagulatis? Quid dico montes coagulatos? imo vero laudandus eſt mons, &c. Nunc Hebræis verbum eſt idem, quod רָקַד, facta mutatione צ in ק ſolita, ut etiam videre licet in צלה & קלה, & ſimilibus, ut alludat ad illud pſalmi 114. 4. locutione poetica ſatis eleganti. Confer locos. Ait igitur: Ut quid ſubſilietis, ſaltabitis o montes? An propter feracitatem? feraciſſimus eſt etiam mons, &c. Non maxima ſenſus varietas. *Coagulatos*. Noſtri, & Hebræi omnes conjungunt hanc dictionem cum præcedenti, ceu ſit adjectiva, ſed ex ſuperiori verſiculo, ubi eadem legitur, nomen ſubſtantivum eſſe colligitur, quod nomini ſingulari ſit additum. Confer locos, & conſule Theſaurum. Quare potius ego crederem ſententiam eſſe terminandam ſic: Ut quid ſubſilietis montes? Caſeationes eſt mons, &c. Superius etiam verſ. 10. montem hunc, Sinai videlicet, hereditatem Dei nuncupaverat, quam pluvia, & aliis ingentibus bonis, feracem ex ſterili reddiderat. Hebræi de monte Sion exponunt ſequentia, ſed meo judicio male. *In quo beneplacitum eſt Deo*. Idem ſenſus in Hebraicis: Quem concupivit Deus. *Habitare*. Sic Hebræus: Habitare ſuo, ad habitandum, pro habitatione ſua. *In eo*. Ad declarationem additum. *Etenim*. Hebræus: Etiam. Non ſolum Elohim, verum etiam Jehouah. Ex variis actionibus varia ſortitur nomina Deus, licet idem ſemper ſit, ut in Cabaliſticis rebus. *In finem*. Sic interpretantur Noſtri לָנֶצַח, perpetuo, in perpetuum. Nulla varietas, ſi quis noſcat uſum loquendi græcum.

18. *Decem millibus multiplex*. Ex græco μυριοπλάσιον, quo myriadum multiplicatio deſignatur, quaſi numerum infinitum diceres. Hebræus: Duarum myriadum. Numerus finitus pro indefinito. Nullius momenti varietas. *Millia*. Vel, Millium, ut ſupradictis appoſitive legatur. *Lætantium*. Hebræus ſingulariter, ſed collective: Tranquilli, pacati, ut ſit שִׁנְאָן, quaſi שַׁאֲנָן, Angelorum epithetum, qui tranquillitate fruantur, & vere lætari poſſint. Hos Dei currum appellat poetice, ſicut & ſuperius, In cælis equitare, dixerat, & idem etiam inferius

rius habetur. *In eis*. Inter eos, vel cum eis. *In*. Non habetur in Hebræo, nec opus eſt ecclipſi, ut Genebrardus a Cimhino doctus autumat. *In ſancto*. Neutri generis: In ſanctitate, ut Hebræus. Tunc vere Sinai Dei præſentia, & tanta Angelorum caterva repletus, in ſanctitate poſitus erat.

19. *In altum*. Sic Hebræus dativo: Alto. Ad Moſem in Sinai montem, & deinde ad Chriſtum Deum in cælos aſcendentem apoſtrophe. *Cepiſti*. Hebræus: Captivaſti. Nulla ſenſus varietas. Verbum, & nomen in Hebræo ejuſdem ſignificationis ſunt. Moſes prædam, nempe legem divinam (pulcherrimo loquendi tropo) ex Sinai retulit. Quæ ſpolia, quaſve prædas, Chriſtus Patri in cælum revexerit, nullum latere credo. *Hominibus*. Sic Hebræus collective: In Adam, homine. *Etenim*. Sic transferre Noſtros dictionem hanc, ſæpius vidimus. Hebræus: Et, etiam, inſuper. *Non credentes*. Hebræus: Rebelles, a recto, & Deo deſciſcentes. Minima varietas. *Inhabitare*. Idem Hebræus: Ad inhabitandum, ut inhabitet. *Dominum Deum*. Hebræus: Jaha Deum. In rebellantium cordibus etiam Deus poſt hujuſcemodi vel Moſis, vel Chriſti triumphum inhabitavit.

20. *Die quotidie*. Redundat *die*. Hebræus ſuo tropo: Die, die; ſingulis diebus, quotidie. *Proſperum iter faciet*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, niſi malles eos ſenſum tranſtuliſſe, non verba, quamvis duriuſcule, nam Hebræus nunc legit: Onerabit, imponet nobis auxilia, & ſic proſperabit, & felicitabit. *Salutarium noſtrorum*. Sic transferant vocem hanc fere ſemper Noſtri. Hebræis tamen eſt ſingulare, dicendumque potius: Salutis, auxilii noſtri. Verum ſatius eſt aſſerere, dictionem hanc a verbo regi ſic: Deus onerabit nobis ſalutem noſtram; ut ſit idiotiſmus pulcherrimus, pro Accumulabit nobis auxilia quotidie, nam alias in הָאֵל videretur ſuperfluum He haidiiah, ut in grammaticis rebus docetur.

21. *Noſter*. Hebræus: Nobis eſt Deus. Minima varietas. *Salvos faciendi*. Idem ſenſus in Hebræo, quamvis nomine plurali, & dativo: Salvationibus, auxiliis, ad ſalvandum, auxiliandum. *Domini Domini*. In Hebræo ſunt diverſa nomina, Jehovah, & Adonai, ne putes, negationem eſſe: Domino, Domino. *Exitus mortis*. Non aliter Hebræus: Morti, ad mortem egreſſiones, eductiones. Idiotiſmus pro Diverſis modis mortem inferre poteſt. Valet ſalvare, valet etiam perdere. Exponentes hoc hemiſtichium pro Educere e morte, longius a puritate linguæ recedunt.

22. *Confringet*. Hebræus: Vulnerabit, ſauciabit. Nullius fere momenti varietas. *Capita*. Hebræus ſingulariter: Caput. *Perambulantium*. Hebræus ſingulariter: Perambulantis. Nulla varietas. Sauciare caput, & verticem capilli; Perambulare in delictis, ſunt tropi hebraici, ut in Theſauro.

23. *Convertam*. Non longe aliter Hebræus: Reducam, reducam te, vel hoſtes convertam. *In profundum*. Fortaſſe legerunt noſtri facili tranſitu בְמְצוּלוֹת, in profunditates, quod nunc eſt מִמְּצֻלוֹת, De profunditatibus, ut ſpectet potius ad juſtos eripiendos de profundo, quam ad malos demergendos in profundum.

24. *Ut intingatur, &c.* Idem ſenſus in Hebraico tropo per quam ornato: Ut vulneres tuum pedem in ſanguine. Intinctum pedem ſanguine, ſauciatum credas. *Lingua*. Hebræus: Linguam vulneres, ſaucies, dum lambere ſanguinem hoſtium facis, eodem ſcilicet tropo cum ſuperiori. *Ex inimicis ab ipſo*. Verba ſunt perturbata metri cauſſa; ſic ordinanda: Ut ſaucies pedem tuum in ſanguine ex inimicis (inimicorum) linguam canum tuorum ex ipſo (ſanguine). Canitur poetice victoria, & triumphus maximus.

25. *Ingreſſus*. Sic Hebræus: Inceſſus, itiones, ambulationes ad perdendos hoſtes. *Qui eſt*. Non habetur in Hebræo. *In ſancto*. Neutri generis, ut ſuperius: In ſanctitate.

 26. *Præ-*

26. *Prævenerunt*. Non aliter Hebræus: Præceſſerunt; præibant. *Principes*. Noſtri procul dubio legerunt facillimo tranſitu שׂ ſcin, in שׁ ſin facto, שָׂרִים, Principes, quod nunc Hebræis eſt שָׁרִים, Cantores. *Conjuncti pſallentibus*. Putarunt etiam hic Noſtri verba hebræa ſic intelligenda, & exponenda eſſe, poſt Pſallentes, accuſativi caſus, quamvis tunc potius dicendum fuerat in Hebræo אַחַר מְנַגְּנִים; & ſenſus eſſet, pſallentes præcedere, & mox principes ſubſequi. Nunc aliter Hebræi locum exponunt: Poſtea, ultimo loco, pſallentes videlicet; nam אַחַר poſt, & poſtea ſignificat. *Juvencularum tympaniſtriarum*. Quaſi regantur hæc verba a particula תּוֹךְ, ſic transferunt Noſtri, ſed aliter Hebræi hodierni, nempe: In medio juvenculæ tympaniſtriæ, tympana percutientes. Supple, erant.

27. *In Eccleſiis*. In cœtibus, congregationibus. Verba cantorum, & fidicinum. *De fontibus*. Hebræus ſingulariter: De fonte. Qui de Iſrael, tanquam ex fonte profluentes, nati eſtis.

28. *Adoleſcentulus*. Hebræus: Minimus, parvulus; ideſt tribus Beniamin parvula, Beniamitæ pauci. Synecdoche numeri. *In mentis exceſſu*. Noſtri derivarunt hanc vocem a radice רָדַם, & putarunt eſſe participium præſens ex Cal, quamvis non inveniatur alibi hæc conjugatio: Soporatus, gravi ſomno oppreſſus, in extaſi, in profunda contemplatione, in laudes divinas raptu mentis correptus. Nunc Hebræis eſt participium cum affixo a radice רָדָה, dominans eos, dominator eorum eſt; vel Eccleſiæ, ut aliis placet; vel certe hoſtium profligator, ut mihi magis arridet. *Duces eorum*. Lxxii. arbitrati ſunt fortaſſis vocem hebræam derivari ab אַרְגָּמָן, purpura, qua veſtiri ſolent Principes, licet duriuſcule; quapropter ſenſum exprimentes, non verbum, dixerunt Duces, quaſi purpurati, purpura induti; vel certe facili tranſitu legerunt רִקְמָתָם, eodem ſenſu; qua dictione Opus variatum, veſtis varia auro, & figuris intertexta ſignificatur. Nunc Hebræis aliud ſignificat, nempe obruitionem, lapidationem. Principes Juda, inquit, ſunt obruitio eorum hoſtium, eos quaſi lapidibus obruunt, & internecioni dant. Dixerat itidem, Beniamin eorum dominari. Hæc tamen interpretatio Genebrardo non placet. *Principes Zabulon, &c.* Supple, ſunt duces, vel obruitio eorum. Eſt iterum hic ſynecdoche, ideſt, tribuum omnium principes, non harum quatuor tantummodo. Erant autem inter alias hæ præcipuæ, & pene nobiliores.

29. *Manda*. Noſtri punctis vocalibus immutatis legerunt צַוֵּה, in imperativo, quod nunc Hebræis eſt præteritum צִוָּה, mandavit, præcepit. *Deus*. Hebræus addit, Tuus, & hinc patet, quod Noſtri legerint אֱלֹהִים ſine affixo, vel quod צַוֵּה, non צוה, legi debeat. *Virtuti tuæ*. Sic interpretari Noſtros עֹז, ſæpius monuimus. Hebræus accuſativo profert: Robur tuum, fortitudinem tuam. Deum mandare fortitudinem, idiotiſmo pulcherrimo, eſt Efficere ut fortiores evadamus, magis, ac magis roboremur. Tuæ, Noſtris eſt ad Deum apoſtrophe, at Hebræi pronomen hoc ad populum referunt. Idem fere ſenſus ubique. *Confirma*. Ad Deum apoſtrophe. Has fidei victorias, & triumphos robora, ſtet in æternum hoc trophæum, nunquam deficiat. *In*. Non habetur in hebræo, quod parum refert.

30. *In*. Hebræus: Super. Sic etiam Græcus: ἐπὶ ἱερουσαλὴμ. Confirma Deus dona tua, ex templo tuo vota noſtra exaudiens, & ea fac, ut ſuper Jeruſalem, univerſoque populo ſtabiliantur, permaneant in nobis ſemper, ſaluſque illa, qua ſervata omnis gens eſt, pariat fructus æternos. Genebrardus exponit A templo, propter templum; quod non placet. *Offerent*. Idem ſenſus in Hebræo: Ducent, & offerent. *Munera*. Hebræus ſingulariter: Munus; quod nihil refert.

31. *Feras*. Hebræus ſingulariter: Feram, animal, cœtum, congregationem,

ut ſuperius verſ. 11. *Arundinis*. Idem fere Hebræus: Cannæ; ideſt lanceæ, locutione poetica ſatis ornata. Increpa, (ait) perde cœtum lanceis munitum in populum tuum inſurgentem. *Congregatio*. Noſtris deſideratur ecclipſis verbi ſubſtantivi: Congregatio eſt taurorum. Hebræi legunt appoſitive ſuperioribus: Congregationem, cœtum taurorum. *In vaccis*. Hebræus: In vitulis, inter vitulos populorum. Non maxima ſenſus varietas. Perde, inquit, feram armatam, perde tauros laſcivientes inter populorum vitulos. *Ut excludant eos*. Translatio ſenſus. Hebræis hic eſt mutatio numeri, nam populorum numero multitudinis additum eſt participium ſingulare מִתְרַפֵּס, quod Noſtris eſt activum: Conculcantis; quorum populorum quilibet conculcat. Hanc conculcationem Noſtri non inſulſe quidem excluſionem nominant. Hebræis autem eſt verbum reciprocum: Se conculcantis, cujus ſenſum mox afferemus. *Qui probati ſunt argento*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum. Niſi malles eos ſenſum tranſtuliſſe, non verbum. Hebræus quidem legit בְרַצֵּי כָסֶף, In fracturis, ſegmentis argenti. Eſt autem idiotiſmus pulcherrimus, Conculcare ſe in ſegmentis argenti, pro, Laminis argenteis ſe ornare, & quodam modo ſic onerare, ut recte a ſemetipſo conculcari dicatur. Noſtri vel aliter in ſuo legerunt exemplari, prout diximus, vel certe בְּרַצֵּי, quod Judæis fit a radice רָצַץ, ipſi legentes deduxerunt a רָצָה, vel a רוּץ, quaſi nomen Toar, ideſt adjectivum, non ſubſtantivum ſit; ideſt, Volentes, vel curſores argenti, qui volunt argentum, currunt ad argentum. Hos probatos argento Noſtri duriuſcule nominant. Genebrardus exponit argento, argenti igne. Ut excludant, inquit, crucibus exploratos, & probatos, ut argentum igne. Non diſpliceret, idiotiſmum hunc, Conculcare in ſegmentis argenti, poſitum eſſe pro Vilipendere, & quaſi nihili facere argentum. Alias expoſitiones non affero. Hæc pro loci obſcuritate purior, & ſimplicior. *Diſſipa*. Noſtri punctis immutatis orationem continuantes, & fortaſſe rectius legerunt in imperativo pihel בַּזֵּר, vel בְּזֹר ex Cal, quod nunc Hebræis eſt præteritum, & initium alterius ſententiæ: Diſſipavit, diſperſit, diſtraxit: jam voti compotes facti ſumus. Nullius fere momenti varietas. *Gentes*. Idem Hebræus: Populos. *Volunt*. Hebræus futuro: Volent, appetent.

32. *Legati*. Nomen etiam hebræum eſt dignitatis: Optimates, Satrapæ venient quærentes pacem. *Præveniet*. Hebræus ſuo non ineleganti tropo: Currere faciet, feſtinabit ad munera portanda. *Ejus*. Suas. Reciproce. Affixa hebræa varios habent ſenſus, ut in grammaticis rebus inſinuatur.

33. *Domino*. Hebræus per accuſativum: Dominum; muſicis inſtrumentis eum celebrate. *Pſallite Deo, qui*. Non habentur in Hebræo, ſed a Noſtris ad majorem declarationem ſunt addita.

34. *Aſcendit*. Non aliter Hebræus ſuo loquendi modo per participium, & dativo caſu: Equitanti, qui inequitat, inſidet. *Super cælum cæli*. In cælis cælorum. *Ad Orientem*. Vox hebræa ad tempus & locum anceps eſt, ſignificatque & loci, & temporis anteriorem partem. Noſtris eſt ex ſignificatione loci. Ante, verſus Orientem, ad orientales regiones, prout in occaſum etiam inequitare, ſuperius verſ. 5. dixerat. Hebræis eſt ex ſignificatione temporis. Ante, antiquitatis, ab antiquo, ab initio, ab æterno. *Voci ſuæ*. Hebræus ſuo loquendi modo: In voce ſua. Dare in voce, eſt Vocem emittere, vociferari. *Virtutis*. Hebræus: Roboris, fortitudinis, vocem potentem, efficacem ad ſubigendum ſibi omnia. Vide ſuperius verſ. 29.

35. *Gloriam*. Hebræus: Robur, fortitudinem canendo ei tribuite, quod in gloriam divinam cedet. *Super Iſrael*. Noſtri conjungunt præcedentibus, ideſt, Qui eſt ſuper Iſrael, qui præſidet Iſrael. Hebræi ſequentibus addunt: Super Iſrael magnificentia ejus eſt; de Iſraele gloriatur.

tur. *Et virtus*. Hebræus: Vis, robur, potentia. Vide verſ. 29., & 34. *In nubibus*. Vel in cælo, nam utrumque ſignificat vox hebræa. Vide Theſaurum.

36. *Mirabilis*. Hebræus: Metuendus, terribilis, propter ea, quæ facit mirabilia. Minima varietas. *In ſanctis ſuis*. Neutro genere, ut Hebræo concordet. Hebræus: De ſanctuariis tuis. De ſacrariis tuis mittis indicia, quam terribilis, ac formidabilis ſis. Noſtri fortaſſe legerunt בְּמִקְדָשָׁיו, vel relativum propter ſequentia mutarunt. Verum hæc minima. *Dabit*. Hebræus præſenti: Dat. *Virtutem*. Hebræus: Robur, vim, fortitudinem, quo præſidio tuti fideles permanent. *Fortitudinem*. Hebræus pluraliter: Fortitudines, roborationes, confirmationes. *Plebi*. Sic Hebræus: Populo. *Suæ*. Ad declarationem additum.

PSALMUS LXIX. Latinis LXVIII.

למנצח על שושנים לדוד:	1. *Præfecto ſuper liliis, Davidis.*	1. In finem, pro his, qui commutabuntur, David.
הושיעני אלהים כי באו מים עד נפש:	2. *Salvum me fac Deus, quoniam venerunt aquæ uſque ad animam.*	2. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam *meam*.
טבעתי ביון מצולה ואין מעמד באתי במעמקי מים ושבלת שטפתני:	3. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſiſtentia: veni in profunditates aquarum, & gurges inundavit me.*	3. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.
יגעתי בקראי נחר גרוני כלו עיני מיחל לאלהי:	4. *Laboravi in clamare meo, aduſtum eſt guttur meum, defecerunt oculi mei, exſpecto Deo meo.*	4. Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.
רבו משערות ראשי שנאי חנם עצמו מצמיתי איבי שקר אשר לא גזלתי אז אשיב:	5. *Multiplicati ſunt præ capillis capitis mei oſores mei, gratis roborati ſunt exciſores mei, inimici mei mendaciter, quæ non rapui, tunc reducam.*	5. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati ſunt, qui perſecuti ſunt me, inimici mei injuſte, quæ non rapui, tunc exſolvebam.
אלהים אתה ידעת לאולתי ואשמותי ממך לא נכחדו:	6. *Deus tu cognoviſti inſipientiæ meæ, & delicta mea a te non fuerunt negata.*	6. Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea a te non ſunt abſcondita.
אל יבשו בי קויך אדני יהוה צבאות אל יכלמו בי מבקשיך אלהי ישראל:	7. *Non erubeſcant in me exſpectantes te Domine, DOMINE exercituum, non confundantur in me quærentes te Deus Iſrael.*	7. Non erubeſcant in me, qui exſpectant te Domine, DOMINE virtutum. Non confundantur ſuper me, qui quærunt te Deus Iſrael.

8. Quo-

כי עליך נשאתי חרפה ב
כסתה כלמה פני:

8. Quoniam ſuper te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam.

8. Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam.

מוזר הייתי לאחי ונכרי ל
לבני אמי:

9. Extraneus fui fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.

9. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.

כי קנאת ביתך אכלתני
וחרפות חורפיך נפלו עלי:

10. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium te ceciderunt ſuper me.

10. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

ואבכה בצום נפשי ותהי
לחרפות לי:

11. Et flevi, in jejunio anima mea, & fuit opprobriis mihi.

11. Et operui in jejunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi.

ואתנה לבושי שק ואהי להם
למשל:

12. Et dedi veſtimentum meum ſaccum, & fui illis parabolæ.

12. Et poſui veſtimentum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam.

ישיחו בי ישבי שער ונגינות
שותי שכר:

13. Loquebantur in me ſedentes portæ, & pulſationes bibentium ſiceræ.

13. Adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum.

ואני תפלתי לך יהוה עת
רצון אלהים ברב חסדך ענני
באמת ישעך:

14. Ego autem, oratio mea tibi DOMINE, tempus beneplaciti Deus, in multitudine pietatis tuæ reſponde mihi, in veritate ſalutis tuæ.

14. Ego autem orationem meam ad te DOMINE, tempus beneplaciti Deus.

In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me; in veritate ſalutis tuæ.

הצילני מטיט ואל אטבעה
אנצלה משנאי וממעמקי מים:

15. Eripe me de luto, & non infigar, liberabor ab oſoribus meis, & de profundis aquarum.

15. Eripe me de luto, ut non infigar, libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum.

אל תשטפני שבלת מים ואל
תבלעני מצולה ואל תאטר עלי
באר פיה:

16. Non me inundet gurges aquarum, neque deglutiat me profundum, neque claudat ſuper me puteus os ſuum.

16. Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.

ענני יהוה כי טוב חסדך
כרב רחמיך פנה אלי:

17. Reſponde mihi DOMINE, quoniam bona eſt pietas tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me.

17. Exaudi me DOMINE, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.

ואל תסתר פניך מעבדך כי
צר לי מהר ענני:

18. Et ne abſcondas faciem tuam a ſervo tuo, quoniam anguſtia mihi, velociter reſponde mihi.

18. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me.

19. In-

Digitized by Google

קרבה אל נפשי גאלה למען איבי פדני :	19. *Appropinqua ad animam meam, redime eam, propter inimicos meos redime me.*	19. Intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me.
אתה ידעת חרפתי ובשתי וכלמתי נגדך כל צוררי :	20. *Tu cognoviſti improperium meum, & confuſionem meam, & ignominiam meam, coram te ſunt omnes tribulantes me.*	20. Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam. In conſpectu tuo ſunt omnes, qui tribulant me.
חרפה שברה לבי ואנושה ואקוה לנוד ואין ולמנחמים ולא מצאתי :	21. *Improperium fregit cor meum, & dolore affectus ſum, & exſpectavi ad commovendum, & non fuit, & conſolatoribus, & non inveni.*	21. Improperium exſpectavit cor meum, & miſeriam. Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inveni.
ויתנו בברותי ראש ולצמאי ישקוני חמץ :	22. *Et dederunt in eſcam meam toxicum, & ſiti meæ potaverunt me aceto.*	22. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.
יהי שלחנם לפניהם לפח ולשלומים למוקש :	23. *Erit menſa eorum coram ipſis laqueo, & pacificis laqueo.*	23. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.
תחשכנה עיניהם מראות ומתניהם תמיד המעד :	24. *Obſcurabuntur oculi eorum a videndo, & lumbos eorum ſemper nutare fac.*	24. Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.
שפך עליהם זעמך וחרון אפך ישיגם :	25. *Effunde ſuper eos indignationem tuam, & furor naſi tui comprehendat eos.*	25. Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos.
תהי טירתם נשמה באהליהם אל יהי ישב :	26. *Erit domicilium eorum deſertum, in tabernaculis eorum non erit habitator.*	26. Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit, qui inhabitet.
כי אתה אשר הכית רדפו ואל מכאוב חלליך יספרו :	27. *Quoniam tu, quem percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ad dolorem vulneratos tuos narrabunt.*	27. Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.
תנה עון על עונם ואל יבאו בצדקתך :	28. *Da iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non veniant in juſtitiam tuam.*	28. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam.
ימחו מספר חיים ועם צדיקים אל יכתבו :	29. *Delebuntur de libro vitæ, & cum juſtis non ſcribentur.*	29. Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.

30. Ego

ואני עני יכואב ישועתך א אלהים תשגבני:	30. *Et ego ſum afflictus, & dolens, ſalus tua Deus exaltabit me.*	30. Ego ſum pauper, & dolens, ſalus tua Deus ſuſcepit me.
אהללה שם אלהים בשיר ו ואגדלנו בתודה:	31. *Laudabo nomen Dei in cantico, & magnificabo eum in confeſſione.*	31. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.
ותיטב ליהוה משור פר מקרן מפרים:	32. *Et placebit DOMINO præ tauro, juvenco cornua producente, & ungulas diſcindente.*	32. Et placebit Deo ſuper vitulum novellum, cornua producentem, & ungulas.
ראו ענוים ישמחו דרשי אלהים ויחי לבבכם:	33. *Viderunt humiles, lætabuntur, quærentes Deum, & vivet cor veſtrum.*	33. Videant pauperes, & lętentur, quærite Deum, & vivet anima veſtra.
כי שומע אל אביונים יהוה ואת אסיריו לא בזה:	34. *Quoniam audit ad pauperes DOMINUS, & vinctos ſuos non deſpexit.*	34. Quoniam exaudivit pauperes DOMINUS, & vinctos ſuos non deſpexit.
יהללוהו שמים וארץ ימים וכל רמש בם:	35. *Laudabunt illum cæli, & terra, mare, & omne reptile in eis.*	35. Laudent illum cæli, & terra, mare, & omnia reptilia in eis.
כי אלהים יושיע ציון ויבנה ערי יהודה וישבו שם וירשוה:	36. *Quoniam Deus ſalvam faciet Sion, & ædificabit civitates Judæ, & inhabitabunt ibi, & poſſidebunt eam.*	36. Quoniam Deus ſalvam faciet Sion, & ædificabuntur civitates Judæ. Et inhabitabunt ibi, & hereditate acquirent eam.
וזרע עבדיו ונחלוה ואהבי שמו ישכנו בה:	37. *Et ſemen ſervorum ejus poſſidebunt eam, & amatores nominis ejus inhabitabunt in ea.*	37. Et ſemen ſervorum ejus poſſidebit eam, & qui diligunt nomen ejus, inhabitabunt in ea.

ANNOTATIONES.

Miſeriarum, & ærumnarum mole preſſus, auxilium Dei poſtulans Chriſti paſſionem, Judæorum punitionem, & ædificationem Eccleſiæ carminibus elegantiſſimis, & Poetarum floſculis ornatis graphice delineat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pro his, qui commutabuntur*. Hebræus: Super liliis. Eundem habes titulum ſuperius pſalmo 41. Ibi vide. Græcus addit ψαλμός

2. *Intraverunt*. Idem Hebræus: Venerunt. *Meam*. Ad declarationem additum. Aquarum, maris, limi, & ſimilium nomine, calamitates, & pericula deſcribit eleganter.

3. *Infixus ſum*. Demerſus in limo profundi, abyſſi. *Subſtantia*. Hebræus: Subſiſtentia, locus firmus, ſtans, in quo firmiter poſſim pedibus conſiſtere. *In altitudinem*. Idem ſenſus in Hebræo, ſed plurali: In profunditates, in alta, & profunda aquarum loca. *Maris*. Fortaſſe Noſtri legerunt יָם, vel יַמִּים, quod nunc Hebræis eſt מַיִם, aquarum. Nullius momenti varietas. *Tempeſtas*. Hebræus: Gurges, rapidus aquarum curſus. Idem fere ſenſus. *Demerſit*. Inundavit, inundando demerſit.

4. *Clamans*. Hebræus infinitivo: In clamare, clamore meo; clamando ſum defeſſus. *Raucæ, &c.* Idem ſenſus in Hebræo. Aduſtum eſt guttur meum, arefactum præ vociferatione. *Oculi mei*. Oculorum vigor deficit, dum cælum inten-

tente ſuſpicio. Admodum eleganter actum implorantis, & exſpectantis auxilium exprimit. *Dum ſpero*. Noſtri, & fortaſſe verius, punctis immutatis legerunt מִיַחֵל, ab exſpectando, dum exſpecto, quod ſine ſpe non fit. Nunc Hebræis eſt participium מְיַחֵל, parum variante ſenſu: Exſpectans ſum, exſpecto licet defeſſus, gutture aduſto, & oculis conſumptus. *In Deum meum*. Hebræus dativo: Deo meo.

5. *Super capillos*. Idem Hebræus: A capillis, ſupra numerum capillorum, pluſquam capilli mei. *Qui oderunt me*. Sic Hebræus: Oſores mei. *Gratis*. Sine cauſſa, immerito. In Hebræo poteſt referri tam ad ſuperiorem, quam ad ſequentem hæc dictio. *Confortati ſunt*. Roborati, numero, & viribus aucti. Vide Theſaurum. *Qui perſecuti ſunt me*. Fortaſſis olim Noſtri legerant רֹדְפַי, quod nunc Hebræis eſt מַצְמִיתַי, exciſores mei, qui me exſcindunt, vel exſcindere cupiunt. Non magni tamen momenti varietatem eſſe crederem. *Injuſte*. Non longe aliter Hebræus: Mendaciter, falſo. *Exſolvebam*. Hebræus futuro: Reducam, reſtituam. Nulla varietas.

6. *Scis*. Hebræus præterito: Cognoviſti. *Inſipientiam meam*. Hebræus ſuo loquendi more dativo: Inſipientiæ meæ. An merito me perſequantur, quod inſipiens fuerim, & in te deliquerim. *Sunt abſcondita*. Idem fere Hebræus: Fuerunt negata. Nequaquam delicta mea nego, celo, tibi fateor, ſi quid deliqui; verum neque propter inſipientiam meam, neque propter delicta juſtam habent iſti cauſſam me perſequendi.

7. *Erubeſcant*. Hæc omnia ſunt futuri temporis in Hebræo, quæ variis temporibus transferri poſſe, & debere jam plus ſatis monuimus. *Exſpectant*. Idem Hebræus: Exſpectantes. *Virtutum*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Exercituum. *Super me*. Hebræus: In me, de me, propter me. *Qui quærunt*. Hebræus: Quærentes. Nullæ varietates.

8. *Propter te*. Sic Hebræus: Super te, cauſſa tui. Portare opprobrium, confuſionem, Operire faciem ſuper aliquem, ſunt bini idiotiſmi non inelegantes, ut in Theſauro.

9. *Factus ſum*. Idem Hebræus: Fui alienus, & extraneus nedum concivibus, ſed cognatis etiam.

10. Zelum comedere, & Opprobrium cadere ſuper aliquem, alii non minoris elegantiæ tropi. Conſule Theſaurum.

11. *Et operui*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe וָאֲכַסֶּה, contexi, obrui jejunio, vel lacrimis jejunando animam meam; quod nunc Hebræis eſt וָאֶבְכֶּה, & flevi in jejunio animam meam, me ipſum; vel in jejunio anima mea. Supple, erat. *Et factum eſt*. Vox hebræa eſt anceps; nam poteſt eſſe tertia fœminina: Et fuit, illud videlicet, quod flevi, quod jejunavi; vel ſecunda maſculina: Et fuiſti o Deus; ut ſit eadem ſententia cum ſuperiori verſiculo octavo. *In opprobrium*. Non aliter Hebræus, ſed dativo plurali, ſuo loquendi modo: Opprobriis, improperiis, in opprobria.

12. *Poſui*. Hebræus: Dedi. *Cilicium*. Saccum, veſtem craſſiorem. *Factus ſum*. Hebræus: Fui. *In parabolam*. Hebræus dativo: Parabolæ, fabulæ, ludibrio, proverbio, dum paſſim malo omine dictitant, faxit Deus, ut alter David poſſis evadere.

13. *Adverſum me*. Sic Hebræus: In me. *Qui ſedebunt in porta*. Idem Hebræus: Sedentes portæ. Judices, & Magiſtratus, vel alius quilibet. Olim in portis forum erat, & apud eas platea, ubi conveniebat populus, ut in publico. Vide Theſaurum. *Et in me pſallebant*. Idem Hebræus ſuo tropo conciſe: Et pulſationes. Supple, Eram. Carmina de me edebant, quæ ad organum muſicum canerent. Vulgo Suoni. *Qui bibebant*. Sic Hebræus: Bibentium. Vel, & pulſationibus bibentes. Supple, Loquebantur. *Vinum*. Hebræus: Siceræ. Nullius momenti varietas.

14. *Orationem meam*, &c. Eclipſis ver-

verbi. Supple, Fundo, vel aliud ſimile. Hebræus etiam ad hunc fere modum: Oratio mea tibi Domine. Supple, eſt tempus, vel tempore, &c. *Beneplaciti*. Bonæ voluntatis, favoris. *Miſericordiæ*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Pietatis, officiorum. *Exaudi me*. Hebræus: Reſponde; quod exauditionis ſignum eſt. *Veritas ſalutis*, tropus hebraicus; ideſt, Auxilium ſtabile, firmum, duraturum.

15. *Ut*. Hebræus conjunctione Et, quod parum refert. *Infigar*. Demergar. *Libera me, &c.* Idem ſenſus in Hebræo, ſed futuro paſſivo: Liberabor, liberer quæſo ab oſoribus meis.

16. *Demergat*. Inundet. *Tempeſtas aquæ*. Hebræus: Gurges aquarum. Eandem vocem habes ſuperius verſ. 3. *Abſorbeat*. Deglutiat me profundum. Epithetum maris. *Urgeat*. Contineat, comprimat, a Græco συσχέτω. Non longe aliter Hebræus: Obturet, occludat. Hæc autem omnia ſunt maximarum calamitatum ſymbola.

17. *Exaudi me*. Ut verſ. 14. Reſponde. *Miſericordia*. Hebræus: Pietas tua eſt bona, benigna. *In me*. Hebræus: Ad me. Nullius momenti varietates.

18. *Avertas*. Hebræus: Abſcondas, celes. Minima varietas. *A puero*. Servo. Sic alias, Laudate pueri, ſervi. *Tribulor*. Hebræus idem, ſed nomine; Tribulatio, anguſtia, afflictio mihi eſt. *Velociter*. Vel, accelera; nam vox hebræa nomen, & verbum eſt. Vide Theſaurum. *Exaudi me*. Hebræus: Reſponde; ut ſuperius.

19. *Intende animæ meæ*. Translatio ſenſus. Hebræus ſuo tropo: Appropinqua ad animam meam, ut ſis ei præſidio. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Libera eam*. Hebræus: Redime eam. Nulla varietas. *Propter inimicos*. Quod me perſequantur injuſte; vel, ne affligant me amplius. *Eripe*. Hebræus altero ſuperioris ſynonymo: Redime me.

20. *Scis*. Hebræus præterito: Cognoviſti. *Reverentiam*. Ἐντροπῆς: Ignominiam. Sic Paullus 1. Cor. 15. Ad reverentiam vobis loquor. *In conſpectu tuo*. Coram, vel contra te. Vox hebræa utrumque deſignat. *Qui tribulant*. Tribulantes, affligentes me.

21. *Exſpectavit*. Suſpicor quidem Noſtros legiſſe verbum hoc per ש ſiniſtrum, quod cogitare, & cogitando præſtolari, ſperare, ſignificat, ſed obſtat etiam, quod verbum fœmininum eſt, cor autem maſculinum. Niſi malles eos abjecto etiam He legiſſe שָׂבַר, cor meum præſtolatum eſt opprobrium, quod malis meis finem non videam. Nunc Hebræi legunt per ש dextrum, & cor eſt accuſativi caſus, non nominativi. שִׁבְרָה, improperium, opprobrium, ignominia, probrum fregit cor, & animum meum. Idiotiſmus pulcherrimus. *Et miſeriam*. Noſtri punctis immutatis legerunt vocem correpte וָאָנוּשָׁה, quaſi nomen eſſet: Et dolorem, doloris affectionem, quam Miſeriam ipſi nominant. Nunc Hebræis dictio producta eſt verbum, eodem fere ſenſu: Et dolui, dolore, & miſeriis confectus ſum. Vide Theſaurum. *Suſtinui*. Exſpectavi. *Qui ſimul contriſtaretur*. Idem Hebræus ſuo tropo: Ad commovendum. Τὸ Commovere (qui commoveret) verbum conſolantium actum exprimens. Conſule Theſaurum. *Et qui conſolaretur*. Hebræus dativo: Conſolatoribus, conſolantes.

22. *Fel*. Hebræus: Toxicum. Minima varietas. Dederunt pro cibo toxicum, vel illud inter eſcas meas miſcuerunt, meam augentes afflictionem. *In ſiti mea*. Hebræus dativo: Siti meæ potaverunt me, bibere fecerunt acetum.

23. *Fiat*. Idem Hebræus futuro: Erit; ſit; qualem mihi apponunt, tali & ipſi fruentur menſa. *Coram ipſis*. Hebræus ſuo loquendi modo: Faciebus illorum. *In laqueum*. Sic Hebræus dativo: Laqueo. *Et in retributiones*. Noſtri procul dubio punctis immutatis legerunt וְלִשְׁלוּמִים; & retributionibus, in pœnas iſta inhumanitate dignas; & ob id neceſſario aliam de ſuo conjunctionem addiderunt: Et in ſcandalum. Hebræi

bræi nunc legunt וְלִשְׁלוֹמִים, & pacificis, familiaribus, qui una cum illis veſcuntur, convivunt. שָׁלוֹם pacem, & pacificum ſignificat. Conſule Theſaurum. Genebrardus aliam interpretationem affert, quæ non placet, quam ſi libet, videas. *Et*. Non habetur in Hebræo, ut diximus. *In ſcandalum*. Non aliter fere Hebræus, ſed dativo: Laqueo, reti. Alterum ſuperiori ſynonymum.

24. *Obſcurentur*. Hebræus futuro: Obſcurabuntur. *Ne videant*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: A videndo. Excœcationem oculorum mentis innuit maxime. *Dorſum*. Hebræus: Lumbos ejus. Superius etiam pſalmo 66. 11 vidimus, Noſtros vocem hanc ſic transferre. Confer locos. Minimi momenti varietas. *Incurva*. Quod dorſo convenit. Hebræus vero: Mutare fac, & vacillare præ miſeria, & afflictione. Imprecationes non amore vindictæ, ſed zelo juſtitiæ in reprobos, & obduratos referendæ. Sic etiam in ſequentibus.

25. *Iram tuam*. Sic Hebræus: Indignationem, furorem. *Iræ tuæ*. Vox hebræa Naſum ſignificat, dein iram, quod in naſo dignoſcatur: Naſi tui furor. *Comprehendat*. Hebræus futuro: Comprehendet. Duo idiotiſmi ſane pulcherrimi.

26. *Fiat*. Hebræus idem futuro: Erit, ſit. *Habitatio*. Non longe aliter Hebræus: Domicilium, palatium. Vide Theſaurum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Sit*. Hebræus: Erit. *Qui inhabitet*. Habitator ex ipſis.

27. *Percuſſiſti*. Deum cauſſam malorum pœnæ, non auctorem malorum culpæ paſſim Scripturæ dictitant. *Super*. Hebræus Ad; quæ dictio nonnunquam etiam pro עַל, ſuper, uſurpatur. *Vulnerum meorum*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe חֳלָיַי, putaſſeque nomen ſubſtantivum eſſe, quod nunc Hebræis eſt חֲלָלֶיךָ, vulneratorum tuorum, vel vulneratos tuos, me videlicet, qui tuus ſum vulneratus. *Addiderunt*. Suſpicor etiam hic, Noſtros facili tranſitu legiſſe יְסַפֵּר quod nunc Hebræis eſt יְסַפֵּרוּ, narrabunt. Hebræa verba duplicem ſenſum habere poſſunt: Et ad, ſuper dolorem vulneratorum tuorum, narrabunt; de meis doloribus ſermones habent frequentes, lætantur, & geſtiunt animo in dolorum meorum narratione. Vel, ad dolorem, ſaucios tuos narrabunt; referunt multos olim a te male habitos, ut dolorem augeant. Noſtri fortaſſis hunc ſenſum reſpicientes tropum explicant hebraicum.

28. *Appone*. Hebræus: Da. Peccata peccatis punias, ſinaſque eos libere de iniquitate in iniquitatem ruere, non infundendo malitiam, ſed ſubducendo gratiam. *Intrent*. Sic Hebræus futuro: Venient in tuam juſtitiam, qua juſtificas impios.

29. *Deleantur*, *ſcribantur*. Sunt futura in Hebræo: Delebuntur, ſcribentur. *Viventium*. Vel, Vitæ. Vox hebræa utrumque denotat. Deleri de libro viventium, eſt mori. Aſt de libro vitæ deleri ponitur pro Non ſcribi in eo, quod ſecundo verbo clarius explicat: Non ſcribentur cum juſtis.

30. *Ego*. Hebræus addit conjunctionem: Et ego. *Pauper*. Vel afflictus. Nam vox hebræa utrumque ſignificat. *Suſcepit*. Exaltandum, & ſublevandum. Sic transferunt verbum hebræum. Noſtri fere ſemper. Hebræus futuro: Exaltabit, ſublevabit in locum tutum reponet auxilium tuum. Nulla varietas.

31. *Cum cantico*. Idem Hebræus: In poeſi decantanda, in cantico. *In laude*. In confeſſione, & gratiarum actione.

32. *Placebit*. Sic Hebræus: Bonum erit illud meum canticum, illa mea laus gratior erit. *Deo*. Hebræus: Domino. *Super vitulum*. Hebræus: A, præ tauro, bove. Minima varietas. *Novellum, &c.* Translatio ſenſus. Hebræus declarat qualem taurum epithetis poeticis: Juvenco producente cornua, cornuto, & ungulas diſcindente, ungulas diſciſſas habente. Nullius fere momenti varietas.

33. *Videant*. Hebræus præterito, quaſi jam voti compos effectus: Viderunt.

Pau-

Pauperes. Noſtri fortaſſe legerunt עֲנִיִּים, facili tranſitu Vav in Jod, ideſt pauperes, vel afflicti, ut ſuperius verſ. 30. quod nunc Hebræis eſt עֲנָוִים, humiles, mites; quod parum tamen referre crederem. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Lætentur*. Hebræus futuro: Lætabuntur, gaudebunt. *Quærite*. Et hic Noſtri videntur facili tranſitu Jod in Vav legiſſe דִּרְשׁוּ, quod nunc Hebræis eſt præſens participium: Quærentes Dei, Deum. Nulla ſenſus varietas. *Anima veſtra*. Vita veſtra, vos ipſi. Hebræus eodem ſenſu: Cor veſtrum, in quo vitæ ſedes eſt.

34. *Exaudivit*. Pro ſimplici Audivit poſitum: Auſcultavit. *Pauperes*. Hebræus addit præpoſitionem Ad, de more linguæ.

35. *Laudent*. Hebræus futuro: Laudabunt illum cæli, & terra, &c. Proſopopœja, vel etiam Metonymia. *Omnia reptilia*. Hebræus ſingulariter collective: Omne reptile, quod repeat, vivit in eis.

36. *Ædificabuntur, &c.* Idem ſenſus in Hebræo, ſed oratione continuata de Deo: Et ædificabit civitates Judæ. Eccleſiam ex ruinis Synagogæ. *Hereditate acquirent*. Poſſidebunt.

37. *Poſſidebit*. Hebræus plurali, ſuo loquendi modo, ad Servorum habito reſpectu videlicet: Poſſidebunt. *Qui diligunt nomen ejus*. Sic Hebræus: Amatores nominis illius. Chriſtiani, fideles.

PSALMUS LXX. Latinis LXIX.

למנצח לדוד להזכיר׃	1. *Præfecto, Davidis ad rememorandum.*	1. In finem, *pſalmus* David in rememoratione, *quod ſalvum eum fecerit Dominus.*
אלהים להצילני יהוה לעזרתי חושה׃	2. *Deus ad eripiendum me, DOMINE auxilio meo feſtina.*	2. Deus in adjutorium meum *intende*, DOMINE ad adjuvandum me feſtina.
יבשו ויחפרו מבקשי נפשי יסגו אחור ויכלמו חפצי רעתי׃	3. *Confundentur, & reverebuntur quærentes animæ meæ, avertentur retrorſum, & erubeſcent volentes mali mei.*	3. Confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam. Avertantur retrorſum, & erubeſcant, qui volunt mihi mala.
ישובו על עקב בשתם ה האמרים האח האח׃	4. *Redibunt ſuper calcaneo confuſionis ſuæ, dicentes heah, heah.*	4. Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, euge, euge.
ישישו וישמחו בך כל מ מבקשיך ויאמרו תמיד יגדל אלהים אהבי ישועתך׃	5. *Exſultabunt, & lætabuntur in te omnes quærentes te, & dicent ſemper, magnificabitur Deus, amatores ſalutis tuæ.*	5. Exſultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.
ואני עני ואביון אלהים ח חושה לי עזרי ומפלטי אתה יהוה אל תאחר׃	6. *Ego autem afflictus, & pauper, Deus feſtina mihi, auxilium meum, & liberator meus es tu, DOMINE ne moraberis.*	6. Ego autem egenus, & pauper ſum, Deus adjuva me. Adjutor meus, & liberator meus es tu, DOMINE ne moreris.

ANNOTATIONES.

FIdelibus opem, æmulis ignominiam oratione brevi, ſed ornata, & digna, quæ ſemper in manibus habeatur, precatur. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito. Hic pſalmus deſumptus eſt ex poſtrema parte pſalmi 40, nempe a verſ. 14, & deinceps, paucis immutatis. Ibi vide, & confer locos; nam ea quæ conveniunt, nos hic prætermittemus.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pſalmus*. Non habetur in Hebræo, ſed tantum, Davidis: quod parum, vel nihil refert. *In rememoratione*. Sic Hebræus: Ad rememorandum, in mentem revocandum, ad memoriam excitandum. *Quod ſalvum, &c.* Ad declarandum, qua de cauſſa hæc commemoranda ſint, a Noſtris ſunt addita, cum in Hebræo non habeantur.

2. *In adjutorium meum*. Hebræus verbo: Ad eripiendum, liberandum me. *Intende*. Ad declarationem a Noſtris additum. *Ad adjuvandum me*. Hebræus: Auxilio meo; ut etiam alio pſalmo.

3. *Confundantur, &c.* Futura in Hebræo; ut in alio pſalmo annotavimus: Confundentur, reverebuntur (paſſive), pudore, & verecundia afficientur, avertentur retrorſum, erubeſcent. *Qui quærunt, &c.* Sic Hebræus: Quærentes animæ meæ, quærentes animam meam. *Qui volunt, &c.* Non aliter Hebræus, ſed ſingulariter: Volentes mali mei, malum meum.

4. *Avertantur*. Hebræus futuro: Avertentur, redibunt. *Statim*. Translatio ſenſus, ut in alio pſalmo. Hebræus: Super calcaneo. *Erubeſcentes*. Fortaſſe legerunt Noſtri facili tranſitu בּוֹשִׁים, quod nunc Hebræis eſt בָּשְׁתָּם, confuſionis ſuæ, ut etiam in alio pſalmo. *Qui dicunt*. Dicentes. *Mihi*. Non habetur in Hebræo; ad declarationem a Noſtris additum. *Euge*. Hebræus: Heah, heah. Lætantium, & inſultantium vox.

5. *Exſultent, &c.* Futura in Hebræo, ut ſuperius: Exſultabunt; lætabuntur; dicent; magnificabitur. *Qui quærunt*. Quærentes te. *Qui diligunt*. Diligentes, amatores. *Salutare tuum*. Ut Noſtri transferunt, quemadmodum ſæpius jam monuimus: Salutis, auxilii tui.

6. *Egenus*. Hebræus: Afflictus, ut alio pſalmo. *Adjuva me*. Hebræus: Feſtina mihi, ut me adjuves. Minima varietas. *Adjutor meus*. Hebræus ut alio pſalmo: Auxilium, adjutorium meum. *Moreris*. Hebræus futuro: Tardaveris. Ne differas meam ſalutem, & liberationem.

GRA-

Digitized by Google

GRADUS OCTAVUS.

PSALMUS LXXI. Latinis LXX.

		Pſalmus David filiorum Jonadab, & priorum captivorum.
בך יהוה חסיתי אל אבושה לעולם:	1. *In te, DOMINE, confugi, non confundar in æternum.*	1. In te, DOMINE, ſperavi, non confundar in æternum.
בצדקתך תצילני ותפלטני הטה אלי אזנך והושיעני:	2. *In juſtitia tua liberabis me, & eripies me, inclina ad me aurem tuam, & ſalva me.*	2. In juſtitia tua libera me, & eripe me, inclina ad me aurem tuam, & ſalva me.
היה לי לצור מעון לבוא תמיד צוית להושיעני כי סלעי ומצודתי אתה:	3. *Sis mihi petræ habitaculi ad veniendum ſemper, mandaſti ad ſalvandum me, quoniam rupes mea, & arx mea es tu.*	3. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut ſalvum me facias. Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.
אלהי פלטני מיד רשע מכף מעול וחומץ:	4. *Deus meus eripe me de manu injuſti, de vola iniqui, & perverſi.*	4. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui.
כי אתה תקותי אדני יהוה מבטחי מנעורי:	5. *Quoniam tu es exſpectatio mea Domine, DOMINE fiducia mea a juventute mea.*	5. Quoniam tu es patientia mea Domine, DOMINE ſpes mea a juventute mea.
עליך נסמכתי מבטן ממעי אמי אתה גוזי בך תהלתי תמיד:	6. *Super te innixus ſum ex utero, de viſceribus matris meæ tu avulſor meus, in te laus mea ſemper.*	6. In te confirmatus ſum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus. In te cantatio mea ſemper,
כמופת הייתי לרבים ואתה מחסי עז:	7. *Tanquam prodigium fui multis, & tu confugium meum fortitudinis.*	7. tamquam prodigium factus ſum multis, & tu adjutor fortis.
ימלא פי תהלתך כל היום תפארתך:	8. *Replebitur os meum laude tua, tota die majeſtate tua.*	8. Repleatur os meum laude, *ut cantem gloriam tuam*, tota die magnitudinem tuam.
אל תשליכני לעת זקנה ככלות כחי אל תעזבני:	9. *Ne projicias me tempori ſenectutis, cum defecerit vis mea ne derelinquas me.*	9. Ne projicias me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.
כי אמרו אויבי לי ושמרי נפשי נועצו יחדו:	10. *Quia dixerunt inimici mei mibi, & cuſtodes animæ meæ conſilium fecerunt ſimul.*	10. Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum.

11. Di-

לאמר אלהים עזבו רדפו ותפשוהו כי אין מציל :	11. *Dicendo, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt eripiens.*	11. Dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt, qui eripiat.
אלהים אל תרחק ממני אלהי לעזרתי חישה :	12. *Deus ne elongeris a me, Deus meus auxilio meo feſtina.*	12. Deus ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum reſpice.
יבשו יכלו שטני נפשי יעטו חרפה וכלמה מבקשי רעתי :	13. *Confundentur, deficient adverſarii animæ meæ, induent confuſionem, & ignominiam quærentes mali mei.*	13. Confundantur, & deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur confuſione, & pudore, qui quærunt mala mihi.
ואני תמיד איחל והוספתי על כל תהלתך :	14. *Ego autem ſemper exſpectabo, & adjiciam ſuper omnem laudem tuam.*	14. Ego autem ſemper ſperabo, & adjiciam ſuper omnem laudem tuam.
פי יספר צדקתך כל היום תשועתך כי לא ידעתי ספרות :	15. *Os meum narrabit juſtitiam tuam, tota die ſalutem tuam, quia non cognovi numerationes.*	15. Os meum annunciabit juſtitiam tuam, tota die ſalutare tuum. Quoniam non cognovi litteraturam :
אבא בגברות אדני יהוה א אזכיר צדקתך לבדך :	16. *Veniam in potentias Domine, DOMINE memorabor juſtitiæ tuæ tibi ſoli.*	*16.* introibo in potentias Domini, DOMINE memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.
אלהים למדתני מנעורי ועד הנה אגיד נפלאותיך :	17. *Deus docuiſti me a juventute mea, & uſque nunc annunciabo mirabilia ſua.*	17. Deus docuiſti me a juventute mea, & uſque nunc pronunciabo mirabilia tua.
וגם עד זקנה ושיבה אלהים אל תעזבני עד אגיד זרועך לדור לכל יבוא גבורתך :	18. *Et etiam uſque ad ſenectam, & ſenium, Deus ne derelinquas me, donec annunciabo brachium tuum ætati, omni, qui veniet, potentiam tuam.*	18. Et uſque in ſenectam, & ſenium, Deus ne derelinquas me. Donec annunciem brachium tuum, generationi omni, quæ ventura eſt. Potentiam tuam,
וצדקתך אלהים עד מרום אשר עשית גדלות אלהים מי כמוך :	19. *Et juſtitia tua Deus uſque ad altum, qui feciſti magna, Deus quis ſicut tu?*	*19.* & juſtitiam tuam Deus, uſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia, Deus, quis ſimilis tibi?
אשר הראיתנו צרות רבות ורעות תשוב תחיינו ומתהומות הארץ תשוב תעלנו :	20. *Qui videre feciſti me tribulationes multas, & malas, redibis, vivificabis me, & de abyſſis terræ redibis, aſcendere facies me.*	20. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas, & converſus vivificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.
תרב גדלתי ותסב תנחמני :	21. *Multiplicabis magnificentiam meam, & circuibis, conſolaberis me.*	21. Multiplicaſti magnificentiam tuam, & converſus conſolatus es me.

22. Nam

גם אני אודך בכלי נבל אמתך אלהי אזמרה לך בכנור קדוש ישראל׃	22. *Et ego confitebor tibi in instrumento nabli, veritatem tuam Deus meus, pſallam tibi in cithara ſanctus Iſrael.*	22. Nam & ego confitebor tibi in vaſis pſalmi veritatem tuam Deus, pſallam tibi in cithara, ſanctus Iſrael.
תרננה שפתי כי אזמרה לך ונפשי אשר פדית׃	23. *Ovabunt labia mea, cum pſallam tibi, & anima mea quam redemiſti.*	23. Exſultabunt labia mea, cum cantavero tibi, & anima mea quam redemiſti.
גם לשוני כל היום תהגה צדקתך כי בשו כי חפרו מבקשי רעתי׃	24. *Etiam lingua mea tota die meditabitur juſtitiam tuam, quia confuſi ſunt, quia erubuerunt quærentes mali mei.*	24. Sed & lingua mea tota die meditabitur juſtitiam tuam, cum confuſi, & reveriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

ANNOTATIONES.

AB infinitis prope malis ereptus ope cæleſti, multiſque auctus honoribus, immortales agit gratias, Dei laudes extollens quam maxime, idemque auxilium, ut perpetuum ſit, precatur, carminibus non ſpernendis orationem ſententiarum, & rationum artificio plenam, & vehementem efficiens. Diſtinctionum varietates ex te ipſo recognoſcas velim. Pſalmus in Hebræo eſt ſine titulo, qui a Noſtris ex aliqua traditione forſitan edoctis, additus eſt.

1. *Speravi.* Sic transferre Noſtros verbum hoc hebræum, ſæpius vidimus: Confugi. Tres iſti verſus primi videntur deſumpti ex pſalmo 31, paucis immutatis. Confer locos. *Non confundar.* Vel, Ne confundar, pudefiam; ut in alio pſalmo.

2. *Libera, eripe.* Sunt futura in Hebræo: Liberabis, eripies me per tuam juſtitiam.

3. *Eſto.* Sic Hebræus: Sis. *In Deum, &c.* Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, & fortaſſis legerunt facili vocum tranſitu, paucis immutatis, ut habetur in alio pſalmo. לְצוּר מָעוֹז לְבֵית מְצוּדוֹת לְהוֹשִׁיעֵנִי, in petram roboris, in domum munitionum, ad ſalvandum me. Quem dicunt *Deum*, Hebræis eſt לְצוּר, petræ, in petram, quod unum ex nominibus divinis eſt. *Protectorem.* Quod מָעוֹז legerint, ideſt, roboris, fortitudinis, qua protegar. Nunc Hebræis eſt מָעוֹן, habitaculi. Eſto mihi, ait, in rupem habitaculi, in quam me recipere poſſim jugiter. *Et.* Non habetur in Hebræo. *In locum munitum.* Legentes לְבֵית מְצוּדוֹת, quod nunc Hebræis eſt לָבוֹא תָּמִיד צִוִּיתָ, ad veniendum ſemper præcepiſti; mandaſti. *Ut ſalvum me facias.* Hebræus infinitivo: Ad ſalvandum me præcepiſti, Angelis videlicet. *Firmamentum.* Hebræus: Rupes, in qua firmiter ſecurus maneo. Non magna varietas. *Refugium.* Hebræus idem fere: Munitio, arx, propugnaculum, quo confugio.

4. *Peccatoris.* Sic transferunt Noſtri רָשָׁע frequenter: Injuſti. *Et.* Non habetur in Hebræo. *De manu.* Idem Hebræus: De vola, palma. *Contra legem agentis.* Hebræus: Iniqui, pravi, quales ſunt, qui contra legem agunt. *Et iniqui.* Vox hebræa derivatur eleganter ab חָמֵץ, aceto, & pravum hominem, perverſum ſignificat, quaſi acetoſum diceres. Conſule Theſaurum.

5. *Patientia.* Sic Hebræus fere: Exſpectatio mea; quem patienter exſpecto. *Spes mea.* Hebræus: Fiducia, quæ oritur a ſpe.

6. *In te confirmatus ſum.* Non longe ali-

Digitized by Google

ge aliter Hebræus : Super te nixus, ſuſtentatus ſum. *De ventre*. Idem Hebræus : De viſceribus. *Protector*. Translatio ſenſus. Hebræus : Avulſor, extractor meus. Te protegente, & quaſi obſtetricante, e materno alvo egreſſus ſum. *Cantatio*. Idem prope Hebræus : Laus mea in te, de te eſt ſemper.

7. *Factus ſum*. Sic Hebræus : Fui tanquam prodigium, portentum ab omnibus ſuſpiciendnm propter innumera, & miranda, quæ tu in me contuliſti, beneficia. Conſule Theſaurum. *Adjutor fortis*. Hebræus : Confugium meum fortitudinis. Nullius fere momenti varietas.

8. *Repleatur*. Hebræus futuro : Replebitur. *Laude*. Hebræus addit pronomen, Tua. *Ut cantem gloriam tuam*. A Noſtris ad declarationem additum; quod parum vel nihil refert. *Magnitudinem tuam*. Sic transferunt Noſtri, quod ad Cantem reſpectum habeant. Hebræus vero ad Replebitur, & ideo ablativo dicit : Majeſtate tua. Minima varietas.

9. *In tempore*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo : Tempori. *Cum defecerit*. Idem Hebræus infinitivo : Sicut deficere. *Virtus*. Vis, vigor. Sic transferunt Noſtri ſæpius.

10. *Mihi*. De me. Vide Grammaticam, & Theſaurum in conſonanti Lamed. *Cuſtodiebant animam*. Sic Hebræus : Cuſtodes animæ meæ, obſervatores, inſidiatores, ut eam perdant. *In unum*. Simul, unà.

11. *Dicentes*. Sic Hebræus infinitivo : Dicendo. *Qui eripiat*. Eripiens, liberans.

12. *In auxilium meum*. Idem Hebræus dativo : Auxilio meo. *Reſpice*. Hebræus : Feſtina. Feſtinabis autem, modo ſemel reſpicias. Minima varietas.

13. *Confundantur, &c.* Omnia ſunt futura in Hebræo : Confundentur, deficient. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Detrahentes, &c.* Calumniantes me. Hebræus : Adverſarii, ſatanæ animæ meæ. *Operiantur, &c.* Idem Hebræus active : Induent confuſionem, & ignominiam. *Qui quærunt*. Sic Hebræus : Quærentes. *Mala mihi*. Hebræus ſingulariter : Mali mei, malum meum.

14. *Sperabo*. Hebræus : Exſpectabo corpore, & animo, & ad tuas laudes aliquid ſemper addere non deſiſtam.

15. *Annunciabit*. Idem fere Hebræus : Narrabit. *Salutare*. Ut transferre Noſtros ſæpius vidimus. Hebræus : Salutem, auxilium tuum. *Litteraturam*. Radix ספר plura ſignificat. Conſule Theſaurum. Noſtris ספורות eſt ex ſignificatione סֵפֶר, libri; ſententiam enim ſequentibus verbis copulant. Neſcio ſcripturam, litteras, & ideo ſatis eſto, quod aliis prædicem potentiam Dei maximam. Hebræi ſuperioribus conjungunt, orationem continuantes, & dictionem hanc ex numerandi ſenſu potius exponunt. Non cognovi numerationes. Tota die, inquit, ſemper juſtitiam, & ſalutem narrabo tuam, non ter, quaterve, in dies ſingulos, nolo laudandi finem facere, nolo terminos certos huic laudi præfigere, nullum laudandi numerum agnoſco, tota dies mihi conſumenda eſt in tuis laudibus. Qui numerum hunc ad beneficia reducunt exponentes : Tuorum erga me beneficiorum numerum non cognovi; a vero diſcedunt. Noſtra expoſitio ſimplicior.

16. *Introibo*. Idem Hebræus : Veniam. *In potentias Domini*. Noſtrorum ſenſus eſt. Veniam ad Dei poteſtatem, ad eam narrandam recurram, quotidie potentiam ejus, fortia facta, & juſtitiam prædicabo. Hebræis eſt idiotiſmus pulcherrimus. Veniam in potentiis, in fortitudinibus, o Domine, enitarque quam maxime, totis viribus hoc agam, ut juſtitiam tuam ad memoriam tibi revocem. Verba hebræa patiuntur utramque interpretationem, ſed ſecunda ſimplicitati litteræ congruentior eſt. *Solius*. Ad Tuæ referendum, non ad Juſtitiæ. Idem fere Hebræus : Solitudini tuæ, tibi ſoli, non aliis, ſed inter me, & te, obſignatis, ut ajunt, tabellis, agam

juſti-

Digitized by Google

juſtitiam, qua uſus es in me, tibi memorabo, ut ſcias me non ingratum, tuorum in me beneficiorum memorem ſemper eſſe futurum.

17. *A juventute mea*. Vox hebræa eſt pluralis numeri, ut etiam ſuperius verſ. 5. *Pronunciabo*. Futurum loco præteriti, ut hujus linguæ mos eſt: Annunciabo, annunciavi hactenus mirabilia tua, velim etiam, ut in poſterum, te favente, idem mihi permaneat animus.

18. *Et uſque in*. Hebræus: Et etiam uſque ad ſenectam, & ſenium, continue, deincepsque. Hæ particulæ, Uſque ad, Donec, & ſimiles, continuitatem inferunt; ne putes, quod poſtea ſe derelinqui velit Deus. *Annunciem*. Hebræus futuro: Annunciabo, prædicabo brachium tuum, auxilium, robur, potentiam. *Generationi*. Sic Hebræus: Ætati huic. *Omni*. Noſtri ad ætatem conjungunt, quamvis potius tunc dicendum erat לְכָל דּוֹר, ut uſus linguæ poſtulat. Hebræi ſequentibus addunt: Omni qui veniet, potentiam tuam. Supple, annunciabo.

19. *Juſtitiam tuam*. Noſtris etiam hoc per zeugma reducitur ad Annunciem. Hebræis hic incipit ſententia: Et juſtitia tua Deus eſt. *Uſque in altiſſima*. Idem Hebræus ſingulariter: Uſque ad altum, late patens, ad cælum uſque pertinens. *Quæ feciſti magnalia*. Genebrardo hic ineſt ordo inverſus, & Aſyntheton cum Mimeſi: Et magnalia, quæ feciſti, dicendo (ſupple) Deus quis ſimilis tibi? Hebræis nihil horum opus eſt. Qui feciſti magna, Deus quis eſt ſicut tu? אֲשֶׁר eſt indeclinabile, & omnis generis. Qui, quæ, quod. Hinc etiam eſt, quod ſequitur.

20. *Quantas*. Nam ad tribulationes admiranter Noſtri referunt: Quas tribulationes, quantas oſtendiſti mihi? &c. Hebræi ad Deum referunt: Qui. *Oſtendiſti mihi*. Sic Hebræus: Videre feciſti me. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Converſus*. Hebræus futuro: Redibis. Utuntur autem hoc verbo Hebræi ornata phraſi pro, Iterum; quod notes velim. Id Noſtros etiam non latuit, uti mox apertius videbimus. *Vivificaſti me*. Hebræus futuro, quod tamen loco præteriti poſitum eſſe de more linguæ, non abſurdum eſſe crederem: Vivificabis me iterum. *De abyſſis terræ*. Metaphora. De extremis malis, & calamitatibus. *Iterum*. Hebræus ſuo tropo, uti diximus: Redibis. *Reduxiſti me*. Hebræus futuro, ut ſuperius: Aſcendere facies me.

21. *Multiplicaſti*. Hebræus futuro: Multiplicabis. *Tuam*. Forſitan legerunt Noſtri גְּדֻלָּתְךָ, quod nunc Hebræis eſt גְּדֻלָּתִי, magnificentiam meam. Vel ſic tranſtulerunt explicationis gratia, quod hæc Davidis magnitudo a Deo proficiſceretur. *Converſus*. Hebræus futuro: Circuibis, gyrabis. Eadem phraſis cum ſuperiori verſ. 20. iterum latinam exprimens. *Conſolatus es*. Hebræus futuro: Conſolaberis.

22. *Nam & ego*. Hebræus: Etiam ego, propter hæc omnia confitebor tibi, te celebrabo, tibi gratias agam. *In vaſis pſalmi*. Hebræus ſingulariter: In vaſe, inſtrumento nabli. Non maxima varietas. Conſule Theſaurum. *Deus*. Hebræus addit pronomen, Meus. *Iſrael*. Genitivi caſus.

23. *Exſultabunt*. Idem Hebræus: Ovabunt. *Cantavero*. Hebræus: Pſallam, muſico inſtrumento ludam. Minima varietas.

24. *Sed &*. Sic Hebræus: Etiam lingua mea, &c. *Cum confuſi, &c.* Quia confuſi ſunt, quia erubuerunt, ideo canam, &c. *Reveriti*. Paſſive. Verecundia, & ignominia affecti erubuerunt. *Qui quærunt, &c.* Hebræus: Quærentes mali mei, malum meum. Nulla varietas.

Digitized by Google

PSALMUS LXXII. Latinis LXXI.

לשלמה אלהים משפטיך ל למלך תן וצדקתך לבן מלך:	1. *Salomonis.* *Deus judicia tua regi da, & juſtitiam tuam filio regis.*	1. *Pſalmus in* Salomonem. Deus judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio regis.
ידין עמך בצדק ועניך ב במשפט:	2. *Judicabit populum tuum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio.*	2. Judicare populum tuum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio.
ישאו הרים שלום לעם ו וגבעות בצדקה:	3. *Ferent montes pacem populo, & colles in juſtitia.*	3. Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam.
ישפט עניי עם יושיע לבני אביון וידכא עושק:	4. *Judicabit pauperes populi, auxiliabitur filiis pauperis, & conteret defraudantem.*	4. Judicabit pauperes populi, *&* ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.
ייראוך עם שמש ולפני ירח דור דורים:	5. *Timebunt te cum ſole, & ante lunam ætate ætatum.*	5. *Et* permanebit cum ſole, & ante lunam, in generationem, & generationem.
ירד כמטר על גז כרביבים זרזיף ארץ:	6. *Deſcendet ſicut pluvia ſuper detonſam herbam, ſicut imbres ſtillatio terræ.*	6. Deſcendet ſicut pluvia in vellus, *&* ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.
יפרח בימיו צדיק ורב שלום עד בלי ירח;	7. *Florebit in diebus ejus juſtus, & multitudo pacis, donec non ſit luna.*	7. Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.
וירד מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ:	8. *Et dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad fines terræ.*	8. Et dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos *orbis* terrarum.
לפניו יכרעו ציים ואיביו עפר ילחכו:	9. *Coram illo genuflectent Aridi, & inimici ejus pulverem lingent.*	9. Coram illo procident æthiopes, & inimici ejus terram lingent.
מלכי תרשיש ואיים מנחה ישיבו מלכי שבא וסבא אשכר יקריבו:	10. *Reges Tharſis, & Inſulæ munus reducent, reges Sabæ, & Sabæ donum offerent.*	10. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent.
וישתחוו לו כל מלכים כל גוים יעבדוהו:	11. *Et ſe incurvabunt ei omnes reges, omnes gentes ſervient ei.*	11. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient ei.
כי יציל אביון משוע ועני ואין עזר לו:	12. *Quia liberabit pauperem clamantem, & pauperem, & non eſt adjutor ei.*	12. Quia liberabit pauperem a potente, & pauperem, cui non erat adjutor.
יחס על דל ואביון ונפשות אביונים יושיע:	13. *Miſerebitur ſuper paupere & inope, & animas pauperum ſalvas faciet.*	13. Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum ſalvas faciet.

14. Et

מתוך ומחמס יגאל נפשם ויקר דמם בעיניו :	14. *Ex fraude, & violentia redimet animam eorum, & pretioſus erit ſanguis eorum in oculis ejus.*	14. Ex uſuris, & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.
ויחי ויתן לו מזהב שבא ויתפלל בעדו תמיד כל היום יברכנהו :	15. *Et vivet, & dabit ei de auro Sabæ, & orabit pro eo ſemper, tota die benedicet eum.*	15. Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei.
יהי פסת בר בארץ בראש הרים ירעש כלבנון פריו ויציצו מעיר כעשב הארץ :	16. *Erit particula frumenti in terra in vertice montium, ſtrepitum edet ſicut libanus fructus ejus, & florebunt de civitate ſicut herba terræ.*	16. *Et* erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus ejus, & florebunt de civitate ſicut fœnum terræ.
יהי שמו לעולם לפני שמש ינין שמו ויתברכו בו כל גוים יאשרהו :	17. *Erit nomen ejus in ſeculum, ante ſolem filiabitur nomen ejus, & benedicent ſe in ipſo omnes gentes, beatum prædicabunt eum.*	17. Sit nomen ejus *benedictum* in ſecula, ante ſolem permanet nomen ejus. Et benedicentur in ipſo *omnes tribus terræ*, omnes gentes magnificabunt eum.
ברוך יהוה אלהים אלהי ישראל עשה נפלאות לבדו :	18. *Benedictus DOMINUS Deus, Deus Iſrael, faciens mirabilia ſolitudini ſuæ.*	18. Benedictus DOMINUS Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus.
וברוך שם כבודו לעולם וימלא כבודו את כל הארץ אמן ואמן :	19. *Et benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum, & replebitur majeſtate ejus omnis terra. Amen, amen.*	19. Et benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum, & replebitur majeſtate ejus omnis terra. Fiat, fiat.
כלו תפלות דוד בן ישי :	20. *Finierunt orationes Davidis filii Jeſſe.*	20. Defecerunt laudes David filii Jeſſe.

ANNOTATIONES.

SAlomonis regnum juſtum, pacificum, amplum, felixque fore deprecando vaticinatur, ſed interim Chriſti regnum, in quem pſalmum hunc apertius, & ſignificantius, quam in Salomonem, quadrare certum eſt, elegantiſſimo deſcribit carmine. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *Pſalmus in*. Non habetur in Hebræo, ſed tantummodo לִשְׁלֹמֹה, quod Salomoni, vel Salomonis interpretari potes. Hoc authorem pſalmi Salomonem aſſerit, illud vero Salomoni dumtaxat dedicatum fuiſſe. *Judicium*. Hebræus pluraliter: Judicia. Conſule Theſaurum ſuper hac dictione. *Filio regis*. Salomon fuit rex, & regis filius, David rex tantum.

2. *Judicare*. Noſtri videntur legiſſe facili tranſitu לָדִין, ad judicandum, quod nunc Hebræis eſt futurum יָדִין, judicabit, ſententiam feret. Nullius momenti varietas.

3. *Suſcipiant*. Idem Hebræus, ſed futuro: Levabunt, vel portabunt. Eſt autem idiotiſmus duplex. Levare pacem populo eſt, quod Noſtri dixerunt, Suſcipe pacem, omnia ſcilicet bonorum & felicitatum genera populo diſtribuenda; vel populo, ideſt pro populo; ſic enim

optime transferri poteſt Lamed ſervile, ut in rebus grammaticis docetur. Alter idiotiſmus claret; Portare ſcilicet pacem alicui. Non longe tamen hi tropi diſtant inter ſe, ut acutius perſpicienti patebit. Montes, & colles vel ſimpliciter intelligendi ſunt, qui ſolent eſſe latronum receptatores, & ſævarum belluarum latibula, vel metaphorice, ideſt, principes, magnates. *Juſtitiam*. Noſtri fortaſſe legerunt צְדָקָה, quod nunc Hebræis eſt cum præpoſitione בִּצְדָקָה, in juſtitia. Supple, manent, erunt, vel etiam ferent pacem æquam, non iniquam, non malo dolo partam. Minima varietas.

4. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Filios*. Idem Hebræus, ſed dativo: Salvos faciet, auxiliabitur filiis. *Pauperum*. Hebræus ſingulariter: Pauperis. *Humiliabit*. Non longe aliter Hebræus: Conteret. *Calumniatorem*. Sycophantam. Hebræus: Defraudantes, fraude rapientes aliena. Variatio non maxima. Conſule Theſaurum.

5. *Et permanebit*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, nec quid legerint, conjectare valeo. Hebræi nunc habent יִירָאוּךָ, timebunt te, colent te. Genebrardus autumat, Noſtros ſic vertiſſe, ut explicarent, ad quem referri debeat hic timor, ſive cultus, nempe ad Chriſtum, licet Hebræi nunc referant ad Deum. *Cum ſole*. Semper quamdiu ſol exſtiterit. *Et ante lunam*. Hebræus ſuo tropo: Faciebus lunæ; quoad luna permanſerit. *In generationem, & generationem*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo: Ætate ætatum, per ætates ſingulas.

6. *In vellus*. Vox hebræa tonſionem ſignificat, & in Bibliis dicitur tantum de tonſione lanæ, & herbæ. Conſule Theſaurum. Noſtri pro tonſione lanæ accipiunt, Hebræi vero pro herba reſecta, & detonſa. Deſcendet, inquit, de cælis Meſſias tam optatus, & utilis, quam pluvia ſuper herbam detonſam, quam denuo ſuccreſcere cito facit. *Stillicidia, &c.* Non longe aliter Hebræus: Sicut imbres, pluvia tenuior, quæ citius penetrat, & quæ (appoſitive ſcilicet) eſt ſtillatio, conſperſio terræ. *Stillantia*. Vox hebræa incertum eſt, quid proprie ſignificet, nec invenitur alibi. Conſule Theſaurum. Pluvia, & ſtillicidia metaphorice ſunt gratiarum divinarum ſymbola.

7. *Oriatur*. Noſtri fortaſſe legerunt יִזְרַח, facili tranſitu, quod nunc Hebræis eſt יִפְרַח, florebit, pullulabit; quamvis non maxima ſit inter Oriri, & Germinare varietas. *Juſtitia*. Etiam hic arbitror, Noſtros legiſſe צֶדֶק, quod nunc Hebræis eſt צַדִּיק, juſtus, tranſitu per quam facili, quam tamen varietatem parum, vel nihil referre crederem. *Abundantia*. Sic Hebræus: Multitudo pacis. *Donec auferatur luna*. Non aliter Hebræus: Donec non ſit luna; ideſt, perpetuo.

8. *Uſque ad terminos orbis terrarum*. In Hebræo non habetur Orbis, ſed tantum, Uſque ad fines terræ. Hinc exponunt Hebræi, a flumine Euphratis uſque ad terminos illarum regionum, quas Deus olim patribus promiſerat, quouſque ſcilicet Davidis, & Salomonis regnum vix pertinebat. Verum hoc nihil refert, nam & Chriſti regnum a Judæis principium ſumpſit; quod poſtea dilatatum eſt in univerſum orbem ab Oceano Orientis ad Oceanum Occidentis, prout latius in ſequentibus habetur. Quæ neque Salomoni, neque alii cuiquam ulla ratione congruere poſſunt.

9. *Procident*. Sic Hebræus: Genuflectent. *Æthiopes*. Hebræus: Aridi, ſqualentes, qui habitant in locis deſertis. *Terram*. Hebræus idem prope: Pulverem lingent, ſe humillime ſubjicientes, & proſternentes, adeo ut terram oſculentur, & pulverem lingere videantur, ad teſtificandam ſervitutem.

10. *Tharſis*. Conſule Theſaurum ſuper hac dictione, quam Indiam, & Ciliciam ſignificare putant. *Inſulæ*. Nominativi caſus pluralis: Inſulani. Poſſes etiam transferre: Et Inſularum re-

reges videlicet. *Munera*. Idem Hebræus ſingulariter: Munus. *Offerent*. Idem Hebræus fere ſuo tropo: Reducent, redire facient; quamvis Hebræi vaniloqui multa ſuper hac dictione philoſophentur. *Reges Arabum*, & *Saba*. Quid ſint proprie שְׁבָא, & סְבָא, vide in Theſauro. Senſus eſt: Orbis univerſi reges Chriſtum adoraturos eſſe. *Dona*. Hebræus ſingulariter: Donum, munus. *Adducent*. Offerent, offerendum approximabunt.

11. *Adorabunt eum*. Non aliter Hebræus: Se incurvabunt ei, adorandi cauſſa; & ſervient ei. Hoc ſoli Chriſto competit. Græcus addit τῆς γῆς.

12. *A potente*. Noſtri punctis immutatis legerunt מִשּׁוֹעַ cum Mem præpoſitione: A divite, potente, qui debiliores opprimit. Nunc Hebræis Mem eſt Benoni conſtitutivum: Clamantem, vociferantem, auxilium implorantem. *Cui non erat adjutor*. Sic Hebræus: Et non eſt adjutor ei; qui auxilium ferat.

13. *Parcet pauperi*, & *inopi*. Hebræus non aliter fere, ſua dialecto: Miſerebitur ſuper paupere, & inope, & animas pauperum, pauperes ipſos ſalvos faciet.

14. *Ex uſuris*. Hebræus ſingulariter: A fraude. Hanc fraudem uſuris Noſtri applicant, quod parum referre puto. *Iniquitate*. Hebræus: Violentia, injuria. Non magni momenti varietas. *Animas*. Hebræus ſingulariter: Animam; illos ipſos. *Et honorabile*, &c. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum; nam Hebræus nunc legit: Et pretioſus erit ſanguis eorum in oculis ejus. Vita eorum illi erit cara, & pretioſa, neque impunes habebit eos, qui ſe eorum ſanguine cruentarint. Et quidem Genebrardus hunc concilians locum ait in Græco haberi ἔντιμον, pretioſum; nam τιμὴ honorem, & pretium ſignificat. Conjectat inſuper, illud, quod nunc eſt ὄνομα, fortaſſis olim a lxxii. verſum fuiſſe αἷμα, ſanguis: quæ ſi vera ſunt, jam perſpicuum fit, unde principium habuerit hæc varietas. Quid vero ſi ſenſum, non verba tranſtulerint, ut tropi hebraici amphibolam ſignificationem evitarent? Videtur ſane, Sanguinem eſſe pretioſum in oculis alicujus, exponi poſſe, pro Illum expetere, ut exſugat. Carum autem eſſe ſanguinem, vel nomen honorabile, eumdem ſenſum referunt, ſi quis penitius cogitet.

15. *Et vivet*. Chriſtus meus, quia mors illi non dominabitur. Hebræis autem pauper, inops ille vivet ereptus de medio calamitatum. *Dabitur*. Noſtri fortaſſe legerunt punctis immutatis יִתֵּן, quod nunc Hebræis eſt וְיִתֶּן, & dabit, quilibet ſupradictorum. Idem ſenſus. *Arabiæ*. Hebræus: Sabæ, ut ſupra verſ. 10. *Et adorabunt de ipſo*. Pro ſimplici Orabunt poſitum. Hebræus ſingulariter, ut ſupra, quod nihil refert: Et orabit pro ipſo ſemper, pro ipſius incolumitate, & regni ampliatione, ut ſine timore de manu inimicorum liberati fideles omnes ferviant illi. *Benedicent ei*. Hebræus ſingulariter, & accuſativo: Benedicet eum. Nulla varietas.

16. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Firmamentum*. Hoc epitheto frumentum, quo vita hominis continetur, & ſuſtentatur, appellant Noſtri, ut etiam pſalmo 105. 16. Hebræus autem: Particula frumenti, vel certe, Defectus tritici; hoc eſt, parva tritici copia, quæ ſata fuerit illis diebus in terra, in maximam excreſcet ſegetem, &c. Eſt enim hyperbole, quam notes. *In ſummis montium*. Sic Hebræus: In capite, in vertice montium. *Superextolletur*, &c. Translatio ſenſus. Hebræus poetica, & hyperbolica locutione: Strepitum edet ſicut libanus fructus ejus, tritici. Tanta proveniet ex paucis illis granis, & tam maxima ſeges, ut altitudine, & ſono ventis agitata ſcilicet libani cedros altiſſimas etiam ſuperet. *Et florebunt*, &c. Altera hyperbole, qua fidelium proventus incredibilis ſignificatur. De ſingulis urbibus prodeuntes oppidani florebunt, & multiplicabuntur ad inſtar graminis in agris. *Fœnum*. Herba terræ.

17. *Sit*

17. *Sit*. Idem Hebræus futuro: Erit. *Benedictum*. Ad declarationem additum. Nomen ejus benedictum, ait, fama ejus ſit, permaneat in ſeculum, ut ſemper vivus volitet per ora virûm. *Ante ſolem*. Hebræus ſuo tropo: Faciebus ſolis, quandiu ſol ſtabit, vel ante ſolis creationem. *Permanet*. Translatio ſenſus. Vox hebræa non invenitur alibi, & dubitatur, quid proprie ſignificet. Vero ſimilius eſt, ut a נין, filio formetur, & ſit nomen proprium Meſſiæ, Inòn, quaſi dicas: filius ille, qui ſolus ſic dici poteſt, quod ſēper Patrem habeat. Poteſt etiam eſſe tertia futuri, verbo ex eadem ſignificatione ſatis eleganter efficto, ideſt, filiabitur, filius erit, vel appellabitur, & ſic permanebit. Conſule Theſaurum, & expende locum accuratius. *Benedicentur*. Se benedicent, bona ſibi, & felicia imprecabuntur in illius nomine. *Omnes tribus terræ*. Genebrardus autumat, hæc a lxxii. prophetice interjecta fuiſſe, ut ſignificarent eſſe alluſum ad promiſſionem Abrahæ factam Gen. 12. & alibi. Ego potius ſuſpicor, hæc in Hebræis codicibus deſiderari, quod ex ſecundo verbo diligentius intuenti ſatis apparebit. *Magnificabunt*. Idem fere Hebræus: Beatum feliceṃque prædicabunt.

18. *Deus*. Hebræus addit ſecundo: Deus Iſrael. *Qui facit*. Sic Hebræus: Faciens mirabilia. *Solus*. Hebræus idem ſuo tropo: Solitudini ſuæ. Quanta putas faciat Deus mirabilia nobis ſingulis quotidie, quæ neſcimus? Multum debemus Creatori, plus Redemptori, maximum Conſervatori, ut propter hoc ſemper indefeſſe a nobis laudandus ſit.

19. *Majeſtatis*. Gloriæ. *Fiat, fiat*. Translatio ſenſus. Hebræus: Amen, amen. Stabile, firmum, ratumque ſit hoc totum. Vide Theſaurum.

20. *Defecerunt*. Sic Hebræus: Finierunt, finiunt (nam præteritum etiam pro præſenti uſurpant Hebræi, ut in rebus grammaticis docetur), completæ ſunt. *Laudes*. Quaſi legerint Noſtri תְּהִלּוֹת, facili tranſitn, quod nunc Hebræis eſt תְּפִלּוֹת, Orationes, preces. Nullius tamen fere momenti eſt varietas. Hinc patet, pſalmum hunc fuiſſe conſcriptum a Davide poſtremum omnium, licet hic poſitus fuerit a collectoribus pſalmorum; nam in ſequentibus etiam Davidis nomen invenietur poſitum in titulis decem & octo pſalmorum. Hactenus vero nomen Davidis in titulis quinquaginta ſex pſalmorum præcedentium legitur, quod notes velim.

Explicit liber ſecundus Pſalmorum, & incipit tertius, juxta Hebræorum diviſionem.

PSAL-

PSALMUS LXXIII. Latinis LXXII.

מזמור לאסף אך טוב ל לישראל אלהים לברי לבב:	1. *Pſalmus Aſaph.* *Verumtamen bonus eſt Iſraeli Deus, mundis corde.*	1. Pſalmus Aſaph. Quam bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde.
ואני כמעט נטוי רגלי כאין שפכה אשרי:	2. *Et ego ut minimum declinaverunt pedes mei, ut nihilum effuſi ſunt greſſus mei.*	2. Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei.
כי קנאתי בהוללים שלום רשעים אראה:	3. *Quia zelavi in ſtultos, pacem injuſtorum videbo.*	3. Quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.
כי אין הרצבות למותם ו וברוא אולם:	4. *Quia non ſunt ligamina morti eorum, & pinguis eſt fortitudo eorum.*	4. Quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.
בעמל אנוש אינימו ועם אדם לא ינגעו:	5. *In labore hominis non ipſi, & cum homine non flagellabuntur.*	5. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.
לכן ענקתמו גאוה יעטף שית חמס למו:	6. *Ideo collo circumdedit eos ſuperbia, involvet poſitio violentiæ eis.*	6. Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.
יצא מחלב עינמו עברו מ משכיות לבב:	7. *Egreſſus eſt ex adipe oculus eorum, tranſierunt cogitationes cordis.*	7. Prodiit *quaſi* ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt *in* affectum cordis.
ימיקו וידברו ברע עשק ממרום ידברו:	8. *Putreſcere facient, & loquentur in malo, fraudem de excelſo loquentur.*	8. Cogitaverunt, & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt.
שתו בשמים פיהם ולשונם תהלך בארץ:	9. *Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum diſcurret in terra.*	9. Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra.
לכן ישיב עמו הלם ומי מלא ימצו למו:	10. *Ideo convertetur populus ejus hic, & aquæ pleni exprimentur illis.*	10. Ideo convertetur populus meus hic, & dies pleni invenientur *in* eis.
ואמרו איכה ידע אל ויש דעה בעליון:	11. *Et dixerunt, quomodo ſcivit Deus? & eſt ſcientia in excelſo?*	11. Et dixerunt, quomodo ſcit Deus? & *ſi* eſt ſcientia in excelſo.
הנה אלה רשעים ושלוי ע עולם השגו חיל:	12. *Ecce iſti injuſti, & pacifici ſeculi auxerunt ſubſtantiam.*	12. Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo, obtinuerunt divitias.
אך ריק זכיתי לבבי וארחץ בנקיון כפי:	13. *Verumtamen fruſtra purificavi cor meum, & lavi in munditie palmas meas.*	13. *Et dixi*, ergo ſine cauſa juſtificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas.
ואהי נגוע כל היום ו ותוכחתי לבקרים:	14. *Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea matutinis.*	14. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea *in* matutinis.

15. Si

אם אמרתי אספרה כמו הנה
דור בניך בגדתי:

15. Si dicebam, narrabo quo modo, ecce in ætatem filiorum tuorum prævaricatus ſum.

15. Si dicebam, narrabo ſic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

ואחשבה לדעת זאת עמל
היא בעיני:

16. Et cogitabam ad cognoſcendum hoc, labor iſtud eſt in oculis meis.

16. Exiſtimabam, ut cognoſcerem hoc; labor eſt ante me.

עד אבוא אל מקדשי אל א
אבינה לאחריתם:

17. Donec veniam ad ſanctuaria Dei, intelligam noviſſimo eorum.

17. Donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam *in* noviſſimis eorum.

אך בחלקות תשית למו צ
הפלתם למשואות:

18. Verumtamen in lubricitatibus pones eis, dejeciſti eos deſolationibus.

18. Verumtamen propter dolos poſuiſti eis, dejeciſti, eos dum allevarentur.

איך היו לשמה כרגע ספו
תמו מן בלהות:

19. Quomodo fuerunt deſolationi quaſi ſubito, conſumpti ſunt, defecerunt a conſternationibus.

19. Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam.

כחלום מהקיץ ארני בעיר
צלמם תבזה:

20. Velut ſomnium ab expergefaciendo, Domine in excitando imaginem ipſorum contemnes.

20. Velut ſomnium ſurgentium Domine, in civitate *tua* imaginem ipſorum ad nihilum rediges.

כי יתחמץ לבבי וכליותי
אשתונן:

21. Quia acetum efficietur cor meum, & renibus meis acuar.

21. Quia inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt.

ואני בער ולא אדע בהמות
הייתי עמך:

22. Et ego pecuinus, & non cognoſcam, jumenta fui tecum.

22. Et ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi: *ut* jumentum factus ſum apud te.

ואני תמיד עמך אחזת ביד
ימיני:

23. Et ego ſemper tecum, apprehendiſti in manum dexteram meam.

23. Et ego ſemper tecum: tenuiſti manum dexteram meam.

בעצתך תנחני ואחר כבוד
תקחני:

24. In conſilio tuo deduces me, & poſtea gloria ſuſcipies me.

24. *Et* in voluntate tua deduxiſti me, & *cum* gloria ſuſcepiſti me.

מי לי בשמים ועמך לא ח
חפצתי בארץ:

25. Quis mihi eſt in cælo? & tecum non volui in terra.

25. Quid *enim* mihi eſt in cælo? & a te quid volui ſuper terram?

כלה שארי ולבבי צור לבבי
וחלקי אלהים לעולם:

26. Defecit caro mea, & cor meum, petra cordis mei, & pars mea eſt Deus in æternum.

26. Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

כי הנה רחקיך יאבדו ה
הצמתה כל זונה ממך:

27. Quia ecce elongantes tui peribunt, excidiſti omnem fornicantem abs te.

27. Quia ecce qui elongant ſe a te, peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.

28. Mi-

ואני קרבת אלהים לי טוב
שתי באדני יהוה מחסי לספר
כל מלאכותיך׃

28. *Et ego, approximare Dei mihi bonum eſt, pónere meum in Domino Domino confugium meum, ad narrandum omnia opera tua.*

28. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.

Ut annunciem omnes prædicationes tuas *in portis filiæ Sion.*

ANNOTATIONES.

QUæſtionem difficilem de miſeriis Bonorum, & Improborum felicitate, carminibus artificio mirabili præclaris, & poetarum floſculis quammaxime reſperſis, dilucide tractans, fideles ex fine, & exitu rerum mundanarum conſolatur, ſua quemque tandem manere præmia decantans. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *Aſaph.* Levites, & Muſicus nobilis Davidis tempore, qui ſequentes aliquot pſalmos edidit. Conſule Theſaurum. *Quam.* Hebræus: Verumtamen; attamen; hoc enim præmittit proemium, ne putaretur ſerio dicere ſequentem querimoniam, quaſi crederet Deum hæc inferiora nihil curare. Quæſtio hæc de felicitate malorum probos omnes perpetuo exercuit, ut Jeremiam, Abacuc, Job, & alios. Lege ſacras Hiſtorias. Licet, ait, ſatis ſuperque me exagitent malorum proſperitates, tamen (fatendum enim eſt) ſoli integri viri, ſcelerumque puri, qui Deo cari ſunt, vera fruuntur felicitate. *Iſrael.* Dativi caſus. Et ſtatim, qui ſint Iſraelitæ, declarat. *His qui recto ſunt corde.* Idem fere Hebræus: Mundis cordis, corde; qui purum habent cor.

2. *Mei autem, &c.* Non aliter fere Hebræus ſua dialecto: Et ego, ut parum, minimum, pene declinaverunt pedes mei. *Pene.* Sic Hebræus: Ut non, ut nihilum, fere. Pedes declinare, & Greſſus effundi, ſunt hebraici tropi, pro Deficere ab aliqua re. Scriptura hebræa hujus verſiculi eſt ſingularis; licet Hebræi, ex Maſſarah edocti, cum Noſtris legant pluraliter: Pene inclinatus eſt pes meus, pene effuſus greſſus meus.

3. *Super iniquos.* In gloriabundos, ſtultos, qui de mundana felicitate glorientur, quamvis ipſi improbi ſint, graviter commoveor. Minima varietas. *Peccatorum.* Sic transferre Noſtros רָשָׁע, ſæpius vidimus: Injuſtorum pacem, & proſperitatem. *Videns.* Sic Hebræus, licet futuro: Videbo; quod videam.

4. *Non eſt reſpectus.* Translatio ſenſus. Non reſpiciunt ſuam mortem, ad eam non attendunt: tam blande, & ſuaviter moriuntur. Hebræus ſuo tropo: Non ſunt ligamina morti eorum, quæ detineant eos, ut difficile moriantur; nulla cognoſcunt in morte tormina, vel aliorum morborum genera. Non diſplicet quod Genebrardus notat, in Noſtris legendum fortaſſe, Deſpectus, non, Reſpectus; Nam Græcus habet ἀνάνευσις, renutus, deſpectus, repulſa: Non renuunt mortem, vel paſſive, non deſpiciuntur, non rejiciuntur in morte. Suſpicatur inſuper, an lxxii. potius ἀνάδεσι verterint; quæ vox religationem, conſtrictionemque ſignificat. Dictio hebræa bis tantum in Scriptura Sacra legitur. Conſule Theſaurum, & expende locum accuratius. *Et firmamentum in plaga eorum.* Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum; nam Hebræus nunc legit: Et pinguis, craſſa eſt fortitudo eorum; fortes, & obeſi ſunt; licet Genebrardus autumet, lxxii. hic ſenſum dumtaxat ſequi. Firmum, inquit, eſt robur in plaga eorum; ne eis quidem plaga nocet, morbus, res adverſa. Ego potius, ſi conjectare licet, arbitror, eos paucis immutatis, nempe altero Aleph in Beth, & al-

tero in Heth, legiſſe וּבָר בְּחוּלִים, & frumentum in ægritudine eorum. Vidimus etiam in præcedenti pſalmo verſ. 16. dictionem בָּר ab illis transferri, Firmamentum, quod notes velim. Quod ſi umquam accidit, ut ægrotent, ait, victus illis non deficit, habent quo abunde, & opipare in ægritudinibus nutriri, & curari poſſunt.

5. *Hominum*. Hebræus ſingulariter, collective: Hominis. Sic etiam mox. *Cum hominibus*. Cum homine. *Non ſunt*. Idem Hebræus: Non ipſi. Supple, ſunt.

6. *Tenuit eos*. Translatio ſenſus. Verbum hebræum eleganter deductum eſt a עֲנָק, torque, pro Velut torquem collum cingere, circumdare; ſicut a עֲטָרָה, corona fit עָטַר, coronare. Latini carent voce correſpondente. Superbia velut torques collum iſtorum cinxit, incedunt ornati ſuperbia, velut torque pulcherrimo. Tropus elegans poeticus, velut & ſequens. *Operti ſunt, &c.* Verbum hebræum eſt activum futurum, & ſingulare, & dicitur tam de homine, qui induat aliquid, quam de rebus operientibus: Operiet, induet, involvet. *Iniquitate, & impietate ſua*. Et, non habetur in Hebræo, nec conjectare valeo, qua ratione noſtri verterint Iniquitatem. Hebræus ſic habet totam periodum: Involvet poſitio (ornatus, vide Theſaurum) violentiæ eis (eos). Ornantur violentia, & injuria, qua probos opprimunt. Idem fere ſenſus in Noſtris.

7. *Prodiit*. Idem Hebræus: Egreſſus eſt, exivit. *Quaſi*. Non habetur in Hebræo. *Ex adipe*. Ob pinguedinem. *Iniquitas eorum*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu Jod in Vav legiſſe עֲוֹנֵימוֹ, quod nunc Hebræis eſt עֵינֵימוֹ, oculus eorum. Eſt autem duplex ſenſus; vel, Egreſſus eſt, ſe extulit, prodiit oculus horum ob pinguedinem: vel, Exivit, abiit, evanuit oculus eorum: Secundus ſenſus eleganti locutione ſimplicior eſt, quod in obeſis oculi vix appareant præ pinguedine. *In*. Non habetur in Hebræo. *Affectum*. Votum, deſiderium. Non longe aliter Hebræus, ſed pluraliter: Imaginationes, cogitationes. Noſtrorum ſenſus eſt, quod improbi tranſeunt in continua deſideria, quæ cohibere non valent, quin ea perficiant, & quicquid corde expetiverint, exſequantur. Hebræorum autem, quod etiam imaginationes cordis, quas recogitant, & multa deſideria, quæ confingunt, reipſa prætereant: tam felices, & abundantes ſunt, proſpereque omnia illis cadunt; ita ut, verbi gratia, ſi quis concupiſcat fieri Dux, fiat Rex, & hujuſmodi. Minimi momenti varietas.

8. *Cogitaverunt*. Suſpicor, Noſtros aliter legiſſe, quam nunc Hebræus: Putreſcere facient. Et, ſi conjectare licet, fortaſſis olim ſcriptum erat יַעֲמִיקוּ, profundarunt; cogitationem ſcilicet. Nunc Hebræis, detracto Ain, alium tropum efficit. Putreſcere facere, & loqui; ideſt putida loqui. Conſule Theſaurum. *Locuti ſunt*. Hebræus futuro: Loquentur. *Nequitiam*. Idem Hebræus cum præpoſitione, ſuo tropo ſcilicet: In malo, malum, vel male, nequiter. *Iniquitatem*. Non longe aliter Hebræus: Fraudem, vel fraude. Vide Theſaurum. *In excelſo*. Quaſi legerint Noſtri בַּמָּרוֹם, quod nunc Hebræis eſt מִמָּרוֹם, de alto, excelſo. Noſtris eſt nomen ſubſtantivum, quaſi e cælo, vel e loco eminentiore, e ſublimi ſtatu, & potentia, unde ceteros deſpiciant. Hebræis autem eſt epithetum Dei. De Deo Optimo Maximo, inquit, fraudem, vel fraude loquuntur, nempe quod non ſit, vel ſaltem non curet hæc inferiora. *Locuti ſunt*. Hebræus futuro: Loquentur.

9. *Tranſivit*. Idem fere Hebræus, ſed futuro: Diſcurret, perambulabit. Ponere in cælum os, & Linguam diſcurrere in terra, ſunt phraſes hebraicæ non inelegantes, pro Licenter, audacter, & temere de cæleſtibus, & mundanis rebus obloqui, in omnes linguam laxare, nemini parcere, neque Diis, neque hominibus.

10. *Po-*

10. ***Populus meus*.** Arbitror, Noſtros facili tranſitu Vav in Jod, & fortaſſe lectione veriori legiſſe עמי, quaſi verba Dei ſint hæc, vel vatis, quod nunc Hebræis eſt עמו, populus ejùs, Dei ſcilicet; videnturque illorum improborum eſſe verba, qui dicant: propter hanc noſtram proſperitatem convertetur, redibit populus Dei; fideles, pii venient frequenter in felicitatis noſtræ conſiderationem, & ſuarum miſeriarum deplorationem. Poſſunt nihilominus verba eſſe Vatis, qui de ſe, & de populo Dei loquatur in tertia perſona, pronomenque Ejus referendum eſt ad Excelſum verſ. 8. Noſtra lectio magis placet, & fortaſſis illud Vav eſt Jod protractum ob aliquod myſterium, ut ſæpius vidimus, quamvis a Maſſarah non fuerit annotatum. *Hic*. Huc, ad improborum felicitatem conſiderandam. *Et dies*. Noſtri procul dubio legerunt ימי, quod nunc Hebræis detracto Jod eſt ומי, & aquæ. *Pleni*. Subaudi, calicis. Eſt enim genitivi caſus ſingularis. Hinc non male Genebrardus, quod in Græco eſt πλήρεις, legendum eſſe πλήρης autumat. *Invenientur*. Legerunt etiam hic Noſtri ימצאו, quod nunc Hebræis detracto Aleph eſt ימצו, exprimentur. *In*. Non habetur in Hebræo, ſed dativo tantum: Eis. Aqua pleni (calicis) exprimi alicui, eſt phraſis trita & elegans, non obſcura, ut Genebrardus aſſerit, pro Tribulationum, & miſeriarum omnium genera largiter in aliquem effundi. Conſule Theſaurum. Idem ſenſus in Noſtris eſt. Dies pleni, calicis, plenæ afflictionis invenientur eis. Impios habere felices ſucceſſus, ſe autem plene, & abunde affligi conſiderant. Aphæreſis, & ſynæreſis Genebrardi non placent.

11. *Scit*. Idem Hebræus præterito: Scivit, cognovit. Verba fidelium proſperitatem improborum, & ſuam ipſorum miſeriam admirantium. *Si*. Non habetur in Hebræo, quod nihil refert. *Scientia*. Mundanarum rerum notitia.

12. *Ipſi*. Sic Hebræus: Iſti, hi. *Peccatores*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Injuſti. *Abundantes in ſeculo*. Idem fere Hebræus: Pacifici ſeculi, qui mundo fruuntur pacato, quibus omnia proſpere cadunt. *Obtinuerunt*. Non longe aliter Hebræus: Auxerunt, multiplicarunt, creſcere fecerunt. *Divitias*. Hebræus ſingulariter: Subſtantiam.

13. *Et dixi*. A Noſtris additum, quod arbitrati ſunt ſequentia Vatis eſſe verba. Hebræis eſt verborum populi conquerentis continuatio. *Ergo*. Hebræus: Attamen, verumtamen. Minima varietas. *Sine cauſſa*. Fruſtra, vane. *Juſtificavi*. Idem ſenſus in Hebræo: Purificavi, purum, & mundum reddidi cor meum. *Inter innocentes*. Quaſi legerint Noſtri בנקיים, facili tranſitu, quod nunc Hebræis ſubſtantivum eſt בנקיון, in puritate, munditie. *Manus*. Hebræus: Palmas, volas. Lavare palmas in munditie, tropus pulcherrimus. Sic ſuperius pſalmo 26., verſ. 6. Idem fere ſenſus in Noſtris. Manus meas inter probos lavo, ab omni improborum conſortio me conſervo.

14. *In*. Non habetur in Hebræo, ſed tantum dativo: Matutinis. Matutino tempore caſtigor, ſi quid nocte deliqui.

15. *Si dicebam*. Verba Vatis. Sic Hebræus: Si dixi, cogitavi. *Sic*. Hebræus idem fere: Quemadmodum, quo modo & bonis improbi, & malis probi afficiantur, nulla finis habita conſideratione. *Nationem*. Non aliter Hebræus: Ætatem, generationem. *Reprobavi*. Translatio ſenſus. Hebræus: Prævaricatus ſum (in) generationem filiorum tuorum. A fide tuorum deficio, eos deſerere firmum eſt propoſitum, quod videam, hos calamitatibus affici perpetuis, illos vero felicitate non contemnenda perfrui; quaſi nihil curæ vel bonorum, vel improborum tibi ſit.

16. *Exiſtimabam*. Hebræus futuro, & addit conjunctionem: Et cogitabo. *Ut cognoſcerem*. Sic Hebræus: Ad cognoſcendum. *Eſt*. Hebræus idem pronomine: Iſtud. Supple, eſt. *Ante me*. He-

bræus idem ſuo tropo: In oculis meis. Difficultas laborioſa mihi objicitur, dum cognoſcere ſtudeo humanis rationibus, qua de cauſſa bonis mala, & malis bona dentur.

17. *Intrem*. Hebræus ſuturo: Veniam. *In ſanctuarium*. Hebræus pluraliter: Ad ſanctuaria; ad rationes Theologicas, quæ hujuſmodi quæſtionum tricas, & difficultates valent diſſolvere. *Et*. Non habetur in Hebræo; quod nihil refert. *In*. Neque hoc habetur in Hebræo; ſed tantum dativo ſingulari: Noviſſimo eorum. Quis futurus ſit improborum exitus, & quid eis eveniet ad extremum, conſiderabo.

18. *Propter dolos*. Hebræus: In lubricitatibus. Has lubricitates Noſtri dolos, fallacias interpretantur, & præpoſitionem Beth *propter* exponunt, ut ſæpius invenitur. Hebræi ſimpliciter lubricitates, lubrica intelligunt. *Poſuiſti eis*. Conſtructio hebraica. Eos. Ponere aliquem in lubricitatibus, eſt tropus elegans, veluti in lubrico loco, unde facillime in præcipitium labatur, conſtituere. In Noſtris ecclipſis deſideratur: Poſuiſti eis. Supple, mala. Græcus habet κακά deſcriptum. *Dejeciſti*. Cadere feciſti eos. *Dum elevarentur*. Noſtri procul dubio legerunt למשואות per Scin ſiniſtrum, ideſt, Exaltationibus, phraſi non ineleganti, pro, Dum exaltantur, in ſublime extolluntur, eos dejicis; tolluntur in altum, ut lapſu graviore cadant. Nunc Hebræi per Scin dextrum legunt לְמַשּׁוּאוֹת deſolationibus, in deſolationes, vaſtationes eos dejicis. Neutra lectio diſplicet.

19. *Facti ſunt*. Idem Hebræus: Fuerunt. *In deſolationem*. Sic Hebræus dativo, ſuo tropo: Deſolationi. *Subito*. Hebræus addit ſimilitudinis particulam: Quaſi ſubito, quaſi minimo temporis ſpatio. Mirum eſt admodum, quam cito felicitates mundanæ tranſeant. Noſtri addunt hoc adverbium ſequentibus, Hebræi vero ſententiæ præcedenti, quod referre nihil, vel parum crederem. *Defecerunt*, *perierunt*. Idem prope Hebræus: Conſumpti ſunt, defecerunt. *Propter iniquitatem ſuam*. Suſpicor, Noſtros aliter legiſſe in ſuis exemplaribus, quam nunc Hebræus habet: A conſternationibus. Conſternati, & nimio terrore perculſi ob ingruentia mala.

20. *Surgentium*. Idem ſenſus in Hebræo, qui ſuo loquendi modo ſic habet: Velut ſomnium ab expergiſcendo, expergefaciendo. Cum excitatur dormiens, ſomnium evaneſcit. *In civitate*. Vox hebræa quidem עיר ſignificat civitatem, verum nunc Hebræis hic eſt verbum ex conjugatione Hiphil per contractionem ſolitam pro בהעיר, in expergiſci facere, in excitando imaginem, animam illorum, cum reſurrexerint videlicet ad judicium, audient illud omnium terribilium ultimum, Ite maledicti, &c. *Tua*. Non habetur in Hebræo. Imaginem, animam exponunt Hebræi, quæ Dei imaginem refert. Noſtrorum ſenſus eſt, quod in ipſorum urbibus, in quibus florebant, imaginem, ideſt imaginariam, & umbratilem felicitatem abolere frequenter Deus ſolet. *Ad nihilum rediges*. Non longe aliter Hebræus: Contemnes, deſpicies.

21. *Inflammatum eſt*. Hebræus non longe aliter, ſed futuro ſatis eleganter a חָמֵץ, aceto, efficto verbo. Aceſcet, acetum efficietur cor meum, perturbabitur, & quodam modo inflammabitur in horum conſideratione. Antitheſis, & hyperbaton Genebrardi nullo modo placere poſſunt. *Commutati ſunt*. Translatio ſenſus. Niſi malles, Noſtros facili tranſitu legiſſe אֶשְׁתַּנֶּה, commutabor renibus, quod nunc Hebræis eſt אֶשְׁתּוֹנָן, acuar renibus, dum attentius hæc omnia mente revolvo.

22. *Ad nihilum redactus ſum*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, nec tamen quid legerint, conjectare valeo. Nunc Hebræus habet: Et ego pecuinus, inſipiens, bruti more præſentia tantum contemplans. *Et neſcivi*. Hebræus futuro: Et non cognoſcam; harum rerum cauſſas ex me ipſo percipere non valeo. *Ut*. Non habetur in Hebræo;

quod

quod nihil refert. *Jumentum, &c.* Hebræus pluraliter, auxeſis cauſſa: Jumenta fui tecum. Non unum brutum, ſed omnia jumenta ſtoliditate refero, dum in judiciorum tuorum profunditatem intrare non timeo.

23. *Et ego, &c.* Licet aliquando pene vacillare videar in fide (ut ſuperius verſ. 2.), ſemper nihilominus ad te ſubinde recurro mente, quemadmodum & tu verſa vice numquam me deſeris in ſolis rationibus humanis, quibus ex hiſce tricis me expedire non poſſum. *Tenuiſti, &c.* Idem Hebræus ſuo tropo: Apprehendiſti in manum dexteram meam. Me quaſi manu ad hæc percipienda deduxiſti; mihi ductor, & ſuſtentator fuiſti.

24. *Et*. Non habetur in Hebræo; quod nihil refert. *In voluntate tua*. Translatio ſenſus. Me tuam voluntatem edoces. Hebræus: In tuo conſilio. Tuis me conſiliis inſtruis. *Deduxiſti*. Hebræus futuro: Deduces. *Cum*. Non habetur in Hebræo: ſubintelligendum nihilominus, vel aliud quid ſimile; ſed additur particula, Poſtea, tandem, non ut de ſceleſtorum exitu ſuperius dixeram, ſed gloria, cum gloria, ad, vel in gloriam, ad regna cæleſtia, ad te perfruendum. *Suſcepiſti me*. Hebræus futuro: Accipies, ſuſcipies me.

25. *Quid*. Quaſi legerint Noſtri מָה, facili tranſitu, quod nunc Hebræis eſt מִי, quis? Idem tamen ſenſus ubique. *Enim*. Non habetur in Hebræo. Quis mihi eſt in cælo? præter te videlicet. Te excepto, nullum Deum agnoſco. *Et a te*. Præter te. Hebræus eodem ſenſu, ſuo tropo: Et tecum non volui in terra. Nihil aliud volo tecum, te unum expeto, te ſolo frui cupio.

26. *Defecit, &c.* Phraſis hebræa, pro, Maximo, & fere intolerabili afficior deſiderio. Vide Theſaurum. *Deus*. Hebræus: Petra; unum ex divinis nominibus, ut alias etiam vidimus. Nulla varietas.

27 *Qui elongant ſe a te*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Elongantes tui. *Perdidiſti*. Sic Hebræus: Excidiſti. *Omnes, qui fornicantur*. Hebræus ſingulariter: Omnem fornicantem abs te. Qui a tua fide, & cultu deficit. Metaphora a conjugibus matrimonii fidem violantibus deſumta.

28. *Mihi autem, &c.* Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Et ego, approximare Dei mihi bonum eſt. *Ponere*. Hebræus addit pronomen, Meum. *Deo*. Hebræus: Domino; ſunt enim duo nomina divina, Adonai, & Jehováh. *Spem meam*. Hebræus: Confugium meum; locum, in quem confugiam in adverſitatibus, quaſi in tutum; quod ſine ſpe non fit. *Ut annunciem*. Idem prope Hebræus: Ad narrandum, ut enarrem. *Omnes prædicationes tuas*. Noſtri vocem hebraicam, ſatis eleganter, & docte derivant a מַלְאָךְ, angelo, nuncio, quaſi diceres, annunciationes, narrationes, prædicationes tuas, de te, laudes tuas. Hebræi nunc a מְלָאכָה, opera tua exponunt, ideſt, operum tuorum præconia. Idem fere ſenſus.

PSALMUS LXXIV. Latinis LXXIII.

משכיל לאסף למה אלהים
זנחה לנצח יעשן אפך בצאן
מרעיתך :

זכר עדתך קנית קדם גאלת
שבט נחלתך הר ציון זה ש
שכנת בו :

הרימה פעמיך למשאות נצח
כל הרע אויב בקדש :

שאגו צורריך בקרב מועדך
שמו אותתם אתות :

יודע כמביא למעלה בסבך
עץ קרדמות :

ועת פתוחיה יחד בכשילו
וכלפות יהלמון :

שלחו באש מקדשך לארץ
חללו משכן שמך :

אמרו בלבם נינם יחד שרפו
כל מועדי אל בארץ :

אתותינו לא ראינו אין עוד
נביא ולא אתנו יודע עד מה :

עד מתי אלהים יחרף צר י
ינאץ אויב שמך לנצח :

1. *Intellectus Aſaph.*
Ut quid Deus repuliſti æterno? fumabit naſus tuus in oves paſcuæ tuæ?

2. *Memor eſto congregationis tuæ,* quam *poſſediſti initio, redemiſti virgam hereditatis tuæ montem Sion hunc, habitaſti in eo.*

3. *Leva pedes tuos deſolationibus æterni, omnia male tractavit inimicus in ſancto.*

4. *Rugierunt tribulantes tui in medio ſolemnitatum suarum, poſuerunt ſigna ſua ſigna.*

5. *Cognoſcetur, ſicut adducens ſuperne in denſitate lignorum ſecures.*

6. *Et nunc ſculpturas ejus ſimul in ſecuri, & aſciis quaſſabunt.*

7. *Dimiſerunt in ignem ſanctuarium tuum, terræ polluerunt tabernaculum nominis tui.*

8. *Dixerunt in corde ſuo, affligemus eos ſimul, combuſſerunt omnes conventus Dei in terra.*

9. *Signa noſtra non vidimus, non eſt amplius propheta, neque nobiſcum eſt cognoſcens uſque ad aliquid.*

10. *Uſquequo Deus improperabit tribulator? irritabit inimicus nomen tuum in perpetuum?*

1. Intellectus Aſaph.
Ut quid Deus repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ.

2. Memor eſto congregationis tuæ, *quam* poſſediſti ab initio.
Redemiſti virgam hereditatis tuæ, mons Sion, in quo habitaſti in eo.

3. Leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem, quanta malignatus eſt inimicus in ſancto?

4. *Et* gloriati ſunt, qui oderunt te, in medio ſolemnitatis tuæ.
Poſuerunt ſigna ſua ſigna, 5. *&* *non* cognoverunt, ſicut in exitu ſuper ſummum.
Quaſi in ſilva lignorum ſecuribus 6. exciderunt januas ejus in idipſum, in ſecuri, & aſcia dejecerunt *eam*.

7. Incenderunt igni ſanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

8. Dixerunt in corde ſuo, cognatio eorum ſimul, quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei a terra.

9. Signa noſtra non vidimus, jam non eſt propheta, & nos non cognoſcet amplius.

10. Uſquequo Deus improperabit inimicus? irritat adverſarius nomen tuum in finem?

11. Ut

למה תשיב ידך וימינך מקרב חוקך כלה:

11. *Ut quid reduces manum tuam? & dexteram tuam de medio ſinus tui deficere fac.*

11. Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio ſinu tuo in finem?

ואלהים מלכי מקדם פעל ישועות בקרב הארץ:

12. *Deus autem rex meus ab initio, operans ſalutes in medio terræ.*

12. Deus autem rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.

אתה פוררת בעזך ים שברת ראשי תנינים על המים:

13. *Tu diſſipaſti in robore tuo mare, confregiſti capita draconum ſuper aquis.*

13. Tu confirmaſti in virtute tua mare, contribulaſti capita draconum in aquis.

אתה רצצת ראשי לויתן תתננו מאכל לעם לציים:

14. *Tu confregiſti capita leviathan, dabis eum eſcam populo, Aridis.*

14. Tu confregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam populis Æthiopum.

אתה בקעת מעין ונחל אתה הובשת נהרות איתן:

15. *Tu diſſecuiſti fontem, & torrentem, tu ſiccaſti fluvios fortitudinis.*

15. Tu dirupiſti fontes, & torrentes, tu ſiccaſti fluvios Ethan.

לך יום אף לך לילה אתה הכינות מאור ושמש:

16. *Tibi eſt dies, etiam tibi eſt nox, tu aptaſti lumen, & ſolem.*

16. Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram, & ſolem.

אתה הצבת כל גבולות ארץ קיץ וחרף אתה יצרתם:

17. *Tu conſtituiſti omnes terminos terræ, æſtatem, & hiemem tu formaſti ea.*

17. Tu feciſti omnes terminos terræ, æſtatem, & ver tu plaſmaſti ea.

זכר זאת אויב חרף יהוה ועם נבל נאצו שמך:

18. *Memor eſto hujus, inimicus improperavit DOMINO, & populus nebulo irritarunt nomen tuum.*

18. Memor eſto hujus, inimicus improperavit DOMINO, & populus inſipiens incitavit nomen tuum.

אל תתן לחית נפש תורך חית עניך אל תשכח לנצח:

19. *Ne tradas beſtiæ animæ turturem tuam, cœtum afflictorum tuorum ne obliviſcaris in perpetuum.*

19. Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem.

הבט לברית כי מלאו מחשכי ארץ נאות חמס:

20. *Reſpice fœderi, quia repleta ſunt obſcura terræ domiciliis violentiæ.*

20. Reſpice in teſtamentum *tuum*, quia repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terra, domibus iniquitatum.

אל ישב דך נכלם עני ואביון יהללו שמך:

21. *Ne revertatur pauper confuſus, afflictus, & inops laudabunt nomen tuum.*

21. Ne avertatur humilis *factus* confuſus; pauper, & inops laudabunt nomen tuum.

קומה אלהים ריבה ריבך זכר חרפתך מני נבל כל היום:

22. *Exſurge Deus, defende cauſſam tuam, memor eſto improperii tui a nebulone tota die.*

22. Exſurge Deus, judica cauſſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, *eorum*, *quæ* ab inſipiente *ſunt* tota die.

23. Ne

אל תשכח קול צרריך שאון קמיך עלה תמיד׃

23. *Ne obliviſcaris vocem tribulantium tuorum, ſtrepitus inſurgentium in te aſcendit ſemper.*

23. Ne obliviſcaris voces inimicorum tuorum, ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.

ANNOTATIONES.

DEvaſtationem, & calamitatem populi Domini, templique deplorans, Deum, ut ſuccurrat tandem, carminibus ornatis, ad miſericordiam incitantibus, obteſtatur. Diſtinctionum varietates ex temetipſo recognoſcas velim.

1. *Intellectus.* De hac voce ſuperius dictum eſt, & apertius in Theſauro. *In finem.* Sic transferre noſtros לָנֶצַח, ſæpius vidimus: Æterno, in æternum, ſemper. *Iratus eſt, &c.* Translatio ſenſus. Hebræus idiotiſmo per quam ornato dicit: Fumabit naſus tuus in gregem paſcuæ tuæ?

2. *Ab initio.* Hebræus ſine præpoſitione: Initio, ab orbe condito. *Virgam.* Vox hebræa virgam, ſceptrum, & tribum ſignificat. Vide Theſaurum. *Mons Sion.* Quæ virga ſcilicet eſt mons Sion. *In quo, &c.* Dialectus hebræa. Latinis vacat, In eo. Hebræus ſimpliciter ſuo modo: Montem Sion hunc, habitaſti in eo.

3. *Manus tuas.* Sic transferunt Noſtri propter ſequentem dictionem, licet Hebræus habeat, Pedes tuos; nam quid tandem eſſet, obſecro, Levare pedes in ſuperbias alicujus? Metaphoram igitur inuſitatiorem bene verterunt, pro, Ad feriendum, & percutiendum manus attollere. *In ſuperbias.* Legerunt ſiquidem Noſtri, quemadmodum & in ſuperiori pſalmo verſ. 18. per Scin ſiniſtrum לְמַשְׂאוֹת, exaltationibus, in exaltationes, extollentias, ſuperbias; quod nunc Hebræis eſt cum Scin dextro לְמַשְּׁאוֹת, deſolationibus, in deſolationes, devaſtationes. *Eorum.* A Noſtris additum ad declarationem. *In finem.* Eadem vox, quæ ſuperius verſ. 1. Æterni, perpetui. Et ſic accipitur a Noſtris toto hoc opere, prout ſuperius diximus. Levare pedes deſolationibus æterni, eſt pergere ad inſpectandas devaſtationes æternas, diuturnas. *Quanta.* Quam magna! Admirative. Hebræus abſolute: Omnia; nihil intactum relictum. *Malignatus eſt in ſancto.* Male tractavit in ſanctuario, omnia corrupta, nihil ſani reliquum.

4. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Gloriati ſunt.* Translatio ſenſus. Hebræus: Rugierunt gloriantes, & inſultantes. *Qui oderunt te.* Non longe aliter Hebræus: Tribulantes, infeſti tui. *Solemnitatis tuæ.* Hebræus pluraliter: Solemnitatum tuarum. Dictio מוֹעֵד, conventum, diem, tempus, & locum, ubi convenitur quavis de cauſſa, ſignificat. Conventus divini fiebant ad celebranda feſta. Hebræi pro templo, & ſynagogis hic exponunt, quibus locis hoſtes poſuerunt ſigna, & vexilla ſua, tanquam victoris ſigna.

5. *Et non.* Hæc non habentur in Hebræo, quæ tamen fortaſſis olim Noſtri legerant. *Cognoverunt.* Quaſi literis tranſpoſitis Noſtri legerint יִוָּדַע, quod nunc Hebræis eſt ex Niphal futurum: Cognoſcetur, cognoſcebatur, ſe agnoſci faciebat. Noſtri ſuperioribus hunc verſiculum conjungentes, alium generant ſenſum, nempe quod illi ſceleſti poſuerunt ſigna ſua, ut eſſent in ſigna, & trophæa (& quid agerent non cognoverunt, templum ab exitu, ſive compito non diſcernentes videlicet) ſicut in exitu, ideſt, ſicut in compito, & loco profano, ſuper ſummum, templi ſcilicet. Genebrardus eccliſim hic, & ſingulare pro plurali diſtributive poni, perperam exiſtimat: Ut cognoſcantur. Hebræorum ſenſum incipientium hic ſententiam paullo poſt aperiemus. *Sicut in exitu.* Vox hebræa כְּמֵבִיא eſt participium ex Hiphil: Ire, venire faciens. Noſtri ſatis eleganter intelligunt de compito, in quo exeunt, & deſinunt multi vici, & a

quo

quo ſit introitus ad multos vicos, quod hominem in diverſa poſſit deducere. Hinc indifferenter exitum, vel introitum transferre potes, quaſi dicas, Venire, vel ire faciens, licet Genebrardus ſatis argute ſuſpicetur, lxxii. fortaſſis εἴσοδον, non ἔξοδον olim vertiſſe. In Hebræo deficit præpoſitio, ſubintelligenda. Ego tamen non compitum, ſed locum ſimpliciter, quo aſcendebatur ad Sion, potius exponerem, ut, Super ſummum, non referatur ad Poſuerunt, ſed hic: Tanquam (in loco) adducente ſuper ſummum; in ipſo ſtatim principio aſcenſus Sion, & templi. *Super ſummum.* Ὑπεράνω ſuper, ſupra templum. Hebræus: Superne; ſuperius, in altum. *Quaſi in ſilva*. Suſpicor Noſtros facili tranſitu Beth in Caph legiſſe כְּסְבָךְ, ſic interpretantes, quod ſequentibus iſta conjunxerint: Sicut *in* denſitate, ſilva. Hebræus: In denſitate. *Lignorum*. Hebræus ſingulariter, collective: Ligni, arboris. Denſitas arboris, Hebraiſmus, ideſt, arbores condenſæ, ſilvæ ſpiſſiores. *Securibus*. Ob continuitatem orationis ſic translatum. Hebræus: Secures; qui etiam totam periodum ſic habet: Cognoſcetur ſicut adducens, immittens in denſitate ligni ſecures. Genebrardus de hoſtibus dici putat, quaſi dicat: Videntibus nobis inimicus immiſit in templa, ut in ſilvam aliquam, ſecures. Ego propter ſequentem particulam *Et nunc*, antitheſim potius hic eſſe cenſeo, ut de cædentibus ligna in ædificatione templi ſermo ſit. Cognitus erat, ait, quiſquis ſecurim elevans arbores condenſas in uſum fabricæ templi cæderet, nobilis erat, digito oſtendebatur, dicebaturque, hic eſt. Ire facere ſuperne ſecurim, eſt Elevare ad cædendum. Cæſores lignorum fabricæ templi tunc ab omnibus cognitos, & in pretio fuiſſe, credendum eſt.

6. *Exciderunt*. Suſpicor Noſtros aliter legiſſe, quam nunc Hebræus, qui habet וְעַתָּה, & nunc. Genebrardus non inſulſe putat, Ain poſitum eſſe pro Heth; licet ego potius credam, Noſtros paucis immutatis, & tranſpoſitis legiſſe proprie חִתְּתוּ, fregerunt, confregerunt, exciderunt. Hebræis eſt antitheſis virorum. Mihi, ut ingenue, quod ſentio, fatear, actionis tantum eſt antitheſis; nam de Hebræis tantummodo toto hoc pſalmo ſermonem eſſe cenſeo. Non Chaldæi, ſed Hebræi ſceleſti templum combuſſerunt, ait, ſuis actionibus pravis Deum ad hoc incitantes. Omnia ſceleſta hac ſua vita male tractarunt in ſanctuariis ſuis rugientes (nam rugitum, non orationem appellare libet) in medio ſolemnitatum, afferentesque ſigna ſua, non Dei, falſa videlicet, tanquam vera, quibus pſeudoprophetæ doctrinæ ſuæ fidem aſtruere conantur, & quemadmodum olim Majores noſtri ſummo ſtudio perfecerunt ædificationem templi, ſic verſa vice nunc hi ſceleſti, &c. *Januas ejus*. Aperturas ejus, ut ita dicam, quaſi idem ſit cum פְּתָחִים. Niſi malles, Noſtros proprie legiſſe פְּתָחֶיהָ, facili tranſitu. Nunc Hebræi Sculpturas, & hujuſmodi, exponunt. Conſule Theſaurum. In templo ſculpturas, & cælaturas varias exſtitiſſe notum eſt. Minima varietas. *Ejus*. In Hebræo eſt feminini generis, fabricæ videlicet, nempe מְלָאכֶת; quod notes. *In idipſum*. Simul. Nullam vel locorum, vel rerum differentiam agnoſcentes. *Aſcia*. Hebræus pluralirer: Aſciis. *Dejecerunt*. Non longe aliter Hebræus, ſed futuro: Quaſſabunt. *Eam*. A Noſtris additum neceſſario, propter verbum ſuperius Exciderunt. Supple, hereditatem, vel ſolemnitatem. Hebræus: Quaſſabunt, conſtringent ſculpturas, & cælaturas ejus.

7. *Incenderunt*, *&c.* Translatio ſenſus. Hebræus tropo non ineleganti: Miſerunt in ignem ſanctuarium tuum. *In terra*. Sic Hebræus dativo: Terræ. In terram dejicientes profanarunt.

8. *Dicere in corde*, eſt Cogitare. *Cognatio eorum*. Vox hebræa eſt æquivoca. Noſtris formatur a נִין, quod filium ſignificat. Filius eorum collective eſt progenies, cognatio. Hebræis autem eſt verbum futuri temporis a יָנָה, ideſt affligemus eos. Vide Theſaurum. *Quieſcere fa-*

ciamus, &c. Tranſlatio ſenſus, quod מוֹעֵד hic Noſtri acceperint pro die feſto, uti ſuperius diximus verſ. 4. Hebræus: Combuſſerunt omnes conventus, ſynagogas Dei in terra. Minima varietas.

9. *Signa noſtra*, &c. Verba ſceleſtorum de ſalute deſperantium. Significationes, prædictiones, quæ de ſalute noſtra factæ ſunt a prophetis, debitum non videmus aſſequi finem. *Jam non eſt propheta*. Idem fere Hebræus: Non eſt amplius propheta, qui de hiſce rebus certiores nos faciat. *Et nos*, &c. Quin & ſurrecturum amplius non eſſe prophetam certo ſcimus. Noſtri, paucis immutatis, legerunt וְלֹא אֹתָנוּ יֹדֵעַ עוֹד, ad prophetam referentes, quod nunc Hebræis de aliis etiam dicitur, qui ſacris litteris aliquam vel parvam dederint operam: Neque nobiſcum eſt cognoſcens uſque aliquid.

10. *Inimicus*. Hebræus: Tribulator, affligens; hujuſmodi ſceleſti loquentes talia. *Irritat*. Hebræus futuro: Irritabit. *Adverſarius*. Inimicus, hoſtis. Nullius momenti varietates. *In finem*. Sic transferre Noſtros לָנֶצַח, ſæpius vidimus. Victoriæ, in victoriam, in perpetuum, in æternum.

11. *Avertis*. Idem fere Hebræus, ſed futuro: Reduces, redire facies. *Sinu tuo*. Idem Hebræus genitivo: Sinus tui. *In finem*. Quaſi legerint Noſtri facillimo tranſitu כָּלָה nominaliter: Conſummatione, in conſumptionem, exitium, finem omnimodum; quod nunc Hebræis verbum eſt כַּלֵּה, deficere fac. Eſt autem Hebraiſmus perquam ornatus, quo fingitur Deus ab hoſtium percuſſione manum retrahere, & in ſinu eam continere. Qua de cauſſa, inquit, manum tuam avertis, retrahis, ne ſceleſtos hoſce percutias? Dexteram tuam extrahe de ſinu tuo, non amplius eam in ſinu contineas, exſere eam, cæde hoſtes, debella ſuperbos. Genebrardus non recte, meo quidem judicio, locum intelligit.

12. *Rex noſter*. Quaſi legerint Noſtri מַלְכֵּנוּ, facili tranſitu, quod nunc Hebræis eſt מַלְכִּי, rex meus. Nullius momenti varietas. *Ante ſecula*. Idem Hebræus: Ab initio. *Operatus eſt*. Hebræus præſenti participio: Operans, operatur. *Salutem*. Hebræus pluraliter: Salutes. *In medio terræ*. In Jeruſalem, & Judæa, palam, & manifeſte.

13. *Confirmaſti*. Tranſlatio ſenſus a contrario. Hebræus: Diſſipaſti, rupiſti, & firmum, ſolidumque feciſti, ne diffueret, tranſeuntibus Hebræis. *In virtute tua*. Sic transferunt Noſtri vocem hanc ſæpius pro, Fortitudine, robore, vi tua. *Contribulaſti*. Hebræus: Contriviſti, confregiſti. Non magni momenti varietas. *In aquis*. Hebræus ſuo modo: Super aquis. Ægyptios fortaſſis intelligit.

14. *Draconis*. Hebræus: Leviathan, ceti immanis, Pharaonis fortaſſe. *Dediſti*. Sic Hebræus futuro: Dabis. *Populis Æthiopum*. Non longe aliter Hebræus: Populo, Aridis; videlicet, qui loca incolunt arida, ſqualidaque. Hos Æthiopes Noſtri vertunt; Genebrardus populum, belluas marinas exponit, quod non eſt penitus abſurdum. Vide Theſaurum.

15. *Dirupiſti*. Idem Hebræus: Diſſecuiſti; ut effueret, feciſti. *Fontes, & torrentes*. Hebræus ſingulariter: Fontem, & torrentem. Exodi 17., & alibi. *Ethan*. Vox hebræa a Noſtris non tranſlata, ne vix intelligibilem idiotiſmum facerent. Fluvios fortitudinis vocant Hebræi vehementes, & rapidos, ut Jordanem, Joſue 3., & hujuſmodi alibi. Vide Theſaurum.

16. *Tuus eſt dies*, &c. Sic etiam Hebræus ſuo loquendi modo: Tibi eſt dies, & tibi eſt nox. Diei, & noctis creator, & moderator es. *Fabricatus es*. Idem fere Hebræus: Aptaſti. *Auroram*. Hebræus: Lumen, lucem, non אוֹר quidem, ſed aliam ex illa, fere corpoream, modo lunam cum Hebræis, vel auroram cum Noſtris intelligas.

17. *Feciſti*. Sic Hebræus fere: Conſtituiſti, poſuiſti. *Ver*. Suſpicor, Noſtros

by Google

ſtros alium habuiſſe textum;nam Hebræus nunc legit חֹרֶף, hiemem, nec tamen valeo conjectare, quid Noſtri legerint, licet hoc parum, vel nihil referre crederem. *Plaſmaſti*. Formaſti, creaſti. *Ea*. Syntaxis hebræa, ut in grammaticis rebus docetur. Vacat autem in oratione latina.

18. *Hujus*. Rei ſcilicet. Hoc mente revolvas, quod dicturus ſum, inimicum videlicet improperaſſe, blaſphemaſſe Dominum, &c. *Inſipiens*. Vox hebræa inſipientiam, & pravitatem includit. Nebulonem hinc ad latinos fluxiſſe puto. *Incitavit*. Hebræus idem pluraliter: Irritarunt, contumeliis incitarunt, blaſphemiis provocarunt. Diſcordantia vocis, non ſenſus; nam populus multitudinem includit.

19. *Tradas*. Idem Hebræus futuro: Trades, dabis. *Beſtiis*. Quaſi legerint לְחַיּוֹת Noſtri, facili tranſitu, quod nunc Hebræis eſt ſingulare לְחַיַּת, beſtiæ. *Animas*. Hebræus, prout & Græcus, ſingulariter collective: Animam, ut exponunt omnes fere, quaſi חַיַּת ſit forma nominis abſoluta, non in regimine, quod non placet. Mihi beſtia animæ ſunt hoſtes feroces, & rationis expertes, qui more ferarum lacerantes animam, vitam ipſam eripere conantur. Animal ferum, non cicur, manſuetum. Noſtri vero legentes לְחַיּוֹת, non coacte verterunt Animas, prout faciunt, qui לְחַיַּת cum Hebræis legunt. *Confitentes tibi*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu reſc in daleth legiſſe תּוֹדֶיךָ, quaſi nomen Toar eſſet, ut ajunt Grammatici, quod nunc Hebræis eſt תּוֹרֶךָ, turturem tuam. Sic appellat fideles, qui turturis inſtar, voce flebili, & querula Deum colunt, & celebrant. Non magni momenti varietas. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Animas*. Tranſlatio ſenſus. Quaſi legerint etiam hic Noſtri חַיּוֹת pluraliter, quod nunc Hebræis eſt ſingulare חַיַּת. Porro חַיָּה multa ſignificat, ut in Theſauro. Noſtris animas vivas, viventes, quæ vivunt cum corpore. Hebræis vero animal metaphorice, ideſt cœtum, congregationem. *Pauperum*. Idem Hebræus: Afflictorum, qui miſeriis opprimuntur humanis, *Obliviſcaris*. Sic Hebræus futuro: Obliviſcéris. *In finem*. Jam diximus ſic transferre Noſtros. Hebræus ſuo tropo: Victoriæ, in victoriam, in perpetuum, in æternum.

20. *In teſtamentum*. Hebræus dativo: Fœderi, teſtamento, ad pactum, promiſſa. *Tuum*. Ad declarationem additum. *Quia repleti ſunt, &c*. Idem ſenſus in Hebræo, licet Noſtri ad homines transferant, quod Hebræus ad res ipſas. Noſtris ſiquidem מַחֲשַׁכִּים, obſcuros, Hebræis obſcura ſignificat. Obſcuri terræ, tropo ſane per quam eleganti, miſeros, & infelices deſignat, uti fideles in captivitate poſitos. Sic obſcura terræ ſunt loca ſancta, quæ nunc infideles poſſident. Noſtrorum ſenſus eſt: Obſcuri terra, nos videlicet miſeriarum & calamitatum pleni, replemur inſuper domibus iniquitatum, dum infidelibus cohabitare cogimur. Hebræi vero ſic exponunt. Obſcura terræ; regio tua illa quondam gratiis omnibus, nunc autem miſeriis, deſolationibus, & devaſtationibus per quam abundans, repletur domibus infidelium, &c. Genebrardus aliud comminiſcitur. *Domibus*. Domiciliis, habitationibus. *Iniquitatum*. Hebræus ſingulariter: Violentiæ, injuriæ, rapinæ. Domus injuriæ eſt, quam violenti homines, latrones, ſicarii, & graſſatores occupant,

21. *Avertatur*. Sic Hebræus futuro: Revertetur, redibit confuſus, uti fruſtratus ſua ſpe. *Humilis*. Ad humilitatem redactus, pauper. *Factus*. Ad declarationem additum. *Pauper*. Afflictus, miſeriis oppreſſus.

22. *Judica*. Non aliter fere Hebræus: Defende cauſſam tuam; horum, quæ in te quotidie jactantur, vindex eſto. *Improperiorum tuorum*. Hebræus, & græcus ſingulariter: Improperii tui, quo te nebulones iſti ſemper im-

properant. *Eorum, quæ, ſunt*. Ad declarationem addita. *Ab inſipiente*. Hebræus: A nebulone, ut ſuperius verſ. 18.

23. *Oblivíſcaris*. Idem Hebræus futuro: Oblivíſcéris. *Inimicorum*. Non aliter fere Hebræus: Tribulantium, affligentium. *Superbia*. Quaſi legerint Noſtri שְׂאוֹן, per Scin ſiniſtrum, quod nunc Hebræis eſt cum dextro שְׁאוֹן, ſtrepitus, tumultus. *Eorum, qui te oderunt*. Hebræus: Surgentium tuorum, inſurgentium in te. Hæ omnes minimi quidem momenti varietates ſunt. Strepitus inſurgentium aſcendere ſemper, eſt tropus elegans, pro Voces impias, & blaſphemas Judæorum quotidie magis, ac magis creſcere, & invaleſcere.

PSALMUS LXXV. Latinis LXXIV.

למנצח אל תשחת מזמור לאסף שיר:	1. *Præfecto Ne corrumpas. Pſalmus Aſaphi canticum.*	1. In finem, Ne corrumpas, pſalmus cantici Aſaph.
הודינו לך אלהים הודינ וקרוב שמך ספרו נפלאותך	2. *Confeſſi ſumus tibi Deus, confeſſi ſumus; & propinquum nomen tuum, narraverunt mirabilia tua.*	2. Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & invocabimus nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua:
כי אקח מועד אני משירים אשפט:	3. *Cum accepero tempus ſtatutum, ego recta judicabo.*	3. cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo.
נמגים ארץ וכל ישביה א אנבי תכנתי עמודיה סלה:	4. *Liquefacti ſunt terra, & omnes habitatores ejus, ego aptavi columnas ejus. Sélah.*	4. Liquefacta eſt terra, & omnes, qui habitant in ea, ego confirmavi columnas ejus.
אמרתי להוללים אל תהלו ולרשעים אל תרימו קרן:	5. *Dixi gloriabundis, ne inepte gloriabimini, & injuſtis, ne exaltabitis cornu.*	5. Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu.
אל תרימו למרום קרנכם תרברו בצואר עתק:	6. *Ne extollatis alto cornu veſtrum, loquemini in collo duro.*	6. Nolite extollere in altum cornu veſtrum, nolite loqui adverſus Deum iniquitatem.
כי לא ממוצא וממערב ולא ממדבר הרים:	7. *Quia non ab exitu, & ab occidente, neque a deſerto elevare.*	7. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a deſertis montibus,
כי אלהים שופט זה ישפיל וזה ירים:	8. *Quoniam Deus judex, hunc humiliabit, & hunc exaltabit.*	8. quoniam Deus judex eſt. Hunc humiliat, & hunc exaltat,
כי כוס ביד יהוה ויין חמר מלא מסך ויגר מזה אך שמריה ימצו ישתו כל רשעי ארץ:	9. *Quia calix in manu DOMINI, & vinum erubuit, plenus mixtione, & defluere fecit ex hoc, verumtamen fęces ejus exprimtent, bibent omnes injuſti terræ.*	9. quia calix in manu DOMINI vini meri, plenus mixto. Et inclinavit ex hoc *in hoc*, verumtamen fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.

11. Ego

Digitized by Google

ואני אגיד לעלם אזמרה לאלהי יעקב:	10. *Ego autem annunciabo in ſeculum, pſallam Deo Jacob.*	10. Ego autem annunciabo in ſeculum, cantabo Deo Jacob,
וכל קרני רשעים אגדע תרוממנה קרנות צדיק:	11. *Et omnia cornua injuſtorum confringam, exaltabuntur cornua juſti.*	11. Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua juſti.

ANNOTATIONES.

DEi judicia profundiſſima, nobis quidem nunc incognita, ſed aliquando omnibus tandem manifeſta fore, ut bonis bona, & malis mala dentur, carmine poetarum tropis, & figuris obſcuriſſimo, ſed perquam ornato, decantat. Chriſto judici competit. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſupra. *Ne corrumpas*. Hebræus idem futuro: Ne corrumpes. Eumdem titulum ſuperius habes pſalmo 57. Ibi vide. *Pſalmus, &c.* Hebræus: Pſalmus Aſaphi, canticum. Eſt enim Oda muſico inſtrumento, & voce, decantanda. Non allius fere ſenſus in Noſtris.

2. *Confitebimur*. Idem Hebræus, ſed præterito: Confeſſi ſumus tibi, te celebravimus. *Et invocabimus*. Noſtri procul dubio facili tranſitu Beth in Aleph videntur legiſſe וְקָרוֹא, vel certe ſuppreſſo Aleph ſic וְקָרוֹ בְשִׁמְךָ, & invocando in nomine tuo; quod nunc Hebræis eſt וְקָרוֹב, & propinquum nomen tuum. *Narrabimus*. Etiam hic legerunt Noſtri סִפַּרְנוּ, quod nunc Hebræis eſt tertia סִפְּרוּ, narraverunt. Eſt autem Hebraiſmus pulcherrimus. Mirabilia tua o Deus, narraverunt, nomen tuum eſſe propinquum, proximum: ex miraculis facile dignoſcitur, quam tuos complectaris fideles, & quanto eos amore proſequaris. Genebrardus, & alii, qui exponunt: Et propinquum (erit) nomen tuum (iis, qui) narraverunt mirabilia tua; ideſt, nobis tua miracula narrantibus, longius a puritate linguæ diſcedunt. Sunt autem fidelium verba.

3. *Tempus*. Statutum, & certum, quod voce deſignatur hebraica, ut in ſuperiori pſalmo verſ. 4. Conſule Theſaurum. Sunt Vatis verba, vel certe Dei, & Chriſti. *Juſtitias*. Non aliter fere Hebræus: Recta, & æqua.

4. *Liquefacta eſt, &c.* Idem Hebræus plurali: Liquefacti ſunt terra, & habitatores ejus. Omnia in adventu Chriſti igne liqueſcent: 2. Petr. 3. *Confirmavi*. Aptavi, corroboravi columnas ejus. Montes ad litteram; probos, qui ſunt terræ columnæ. Dei, & Chriſti verba. De Sélah dictum eſt alibi.

5. *Iniquis*. Hebræus: Fatuis, ſtolidis, gloriabundis proprie (Pazzaroni, vantatori). Sic quod ſequitur. *Nolite inique agere*. Hebræus ejuſdem ſignificationis verbo, & futuro: Ne gloriabimini. Conſule Theſaurum. *Et delinquentibus*. Hebræus: Et injuſtis. *Nolite exaltare*. Hebræus futuro: Ne exaltabitis. Hæ omnes nullius fere momenti varietates ſunt.

6. *Nolite extollere*. Hebræus iterum futuro: Ne extolletis. *In altum*. Sic Hebræus dativo: Alto. *Nolite loqui*. Hebræus futuro: Loquemini. *Ne* ſuperius repetendum eſt hic de more linguæ: Ne loquamini. *Adverſus Deum iniquitatem*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu legiſſe בְּצוּר, in petram (Epithetum Dei, ut alibi diximus), contra Deum, durum, iniquum, perverſum; quod nunc Hebræis eſt בְצַוָּאר, in collo duro. Elevare cornu in altum, & Loqui in collo duro, ſunt bini tropi per quam ornati, quibus ſuperbia, & arrogantia alicujus, tam in inceſſu, quam in locutione deſignantur: quæ omnia diſplicere Deo, quis neget? Idem ſenſus in Noſtris.

7. *Ne-*

7. *Neque ab oriente.* Idem ſenſus in Hebræo. Non ab exitu, ſolis videlicet. *Neque.* In Hebræo non habetur negativa particula, quamvis ex præcedenti ſubintelligatur: Et (neque) ab Occaſu. *A deſertis.* Hebræus ſingulariter: A deſerto. *Montibus.* Hebræus: Montium. Sunt enim bina ſubſtantiva, Deſertum, & Mons. Qui ſic interpretantur, neceſſe eſt, ut legant מִדְבַּר cum pathah ſub Beth, quemadmodum docetur in Grammatica de nominibus in regimine poſitis, quod Noſtros feciſſe nullum eſt dubium; ſed tunc addendum eſt aliquid per apoſiopeſim; ideſt, a nulla terræ parte vobis erit evaſio, liberatio, auxilium, exaltatio, extollentia, vel quid ſimile. Hebræis eſt oratio continua, de ſuperbia, & faſtu humano loquens: הָרִים ſiquidem eſt vox æquivoca; plurale nominis הַר videlicet, & infinitivus verbi הָרִים, ob id conſtanter מִדְבָּר ſcribitur cum camez, & ſic exponitur ſententia: A nulla mundi parte elevare, elevatio (ſupple, erit, vel veniet). Non aderit facultas extollendi, & elevandi vos. Nullis artibus humanis dignitatum, honorum, vel divitiarum culmina inſcendere valebitis. Non caſu, fortunave, ſed Deo ita diſponente quidam ditiores Crœſo, quidam mendiciores, pauperiores Iro evadunt. Sunt in hoc verſiculo tres dictiones æquivocæ מוֹצָא, מַעֲרָב, מִדְבָּר, quarum prima de quocumque exitu, vel egreſſione dicitur, ſecunda occaſum, & mercaturam, tertia vero deſertum, & locutionem ſignificat. Conſule Theſaurum. Hinc exponunt aliqui dignitates, honores, divitias firmas, & ſtabiles, neque ex natalibus, neque cura, & ſollicitudine, neque tandem eloquentia, ſed Deo concedente nos poſſe conſequi.

8. *Humiliat, exaltat.* Idem Hebræus futuro: Humiliabit, exaltabit. *Hunc.* Poteſt etiam nominativo transferri: Iſte humiliat, & iſte exaltat; idem Deus deprimit, & elevat. Noſtrorum tranſlatio magis placet. Deus, qui recta ſemper judicat, nec falli poteſt, alium erigit, & alium deprimit, ut vult, præcipueque bonis præmia non minima conferens, malos in hoc Mundo tandem ſæpius, in altero ſemper, maximis pœnis, & cruciatibus æternis afficit.

9. *Calix, &c.* Pœnarum, & ſuppliciorum ſymbolum. Conſule Theſaurum. *Vini meri.* Hebræus: Et vinum rubuit, vel turbidum fuit, ut quando fit expreſſum ex uvis nondum aqua dilutum. Atrocitatis videlicet, & magnitudinis pœnarum ſymbolum. Non magna varietas. *Mixto.* Mixtione rerum infectarum, veneno, & hujuſmodi. Suppliciorum apparatum deſcribit. *Et inclinavit.* Tranſlatio ſenſus. Quaſi propter liquoris venenati copiam neceſſe ſit illum in varia pocula infundere. Hebræus idem fere, ſed de calice unico: Et affluere fecit ex hoc. Ne putes, inquit, dimidium calicem Deum injuſtis propinare, ad ſummum replet illum, ita ut etiam diffluat. Plenos, & fœcundos calices, non dimidiatos, pœnarum, & malorum omnium genera deſignantes, peccatoribus ad bibendum porriget. Minimi momenti varietas. *In hoc.* Ad declarationem ſenſus Noſtrorum additum. *Fæx ejus non eſt exinanita.* Suſpicor, Noſtros aliter legiſſe, quam nunc Hebræus: & fortaſſe punctis vocalibus immutatis, negationem addentes, legerunt אַךְ שְׁמָרֶיהָ לֹא יִמָּצוּ, verumtamen fæces ejus non exprimentur; nondum exhauſta eſt fæx ejus; adhuc ſupereſt, quam expreſſam omnes bibent. Hebræus autem: Verumtamen fæces ejus exprimentur, bibent. Mirum eſt, inquit, eos tam avide bibere, ut fæces etiam ipſas exſugant, licet tam vaſto, & pleno calice potentur, qui ad ſitim multorum ſedandam ſatis eſſet. Omnia pœnarum genera tandem in impios penitus exercebuntur. *Peccatores.* Sic transferunt Noſtri. Hebræus: Injuſti.

10. *Cantabo.* Hebræus: Pſallam, inſtrumento muſico ludam. Nullius momenti varietas. Vatis, vel Chriſti verba.

11. *Peccatorum.* Hebræus: Injuſtorum, ut verſ. 9. *Et.* Non habetur in Hebræo. Chriſti verba.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS LXXVI. Latinis LXXV.

למנצח בנגינה מזמור לאסף שיר :	1. *Præfecto in modulationibus pſalmus Aſaph. Canticum.*	1. In finem, in laudibus, pſalmus Aſaph, canticum *ad Aſſyrios.*
נודע ביהודה אלהים ב בישראל גדול שמו :	2. *Notus in Judæa Deus, in Iſrael magnum nomen ejus.*	2. Notus in Judæa Deus, in Iſrael magnum nomen ejus.
ויהי בשלם סכו ומעונתו בציון :	3. *Et fuit in Salem caſula ejus, & habitatio ejus in Sion.*	3. Et factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion.
שמה שבר רשפי קשת מגן וחרב ומלחמה סלה :	4. *Ibi confregit prunas arcus, ſcutum, gladium, & bellum. Sélah.*	4. Ibi confregit potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum.
נאור אתה אדיר מהררי טרף :	5. *Lucidus tu, præpotens præ montibus prædæ.*	5. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.
אשתוללו אבירי לב נמו ש שנתם ולא מצאו כל אנשי ח חיל ידיהם :	6. *Spoliandos præbuerunt ſe fortes corde, dormierunt ſomnum ſuum, & non invenerunt omnes viri roboris manus ſuas.*	6. Turbati ſunt *omnes* inſipientes corde. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum *in* manibus ſuis.
מגערתך אלהי יעקב נרדם ורכב וסוס :	7. *Ab increpatione tua Deus Jacob, conſopitus eſt & currus, & equus.*	7. Ab increpatione tua Deus Jacob, dormitaverunt, qui aſcenderunt equos.
אתה נורא אתה ומי יעמד לפניך מאז אפך :	8. *Tu metuendus tu, & quis ſtabit faciebus tuis? ex tunc naſus tuus.*	8. Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua.
משמים השמעת דין ארץ יראה ושקטה :	9. *De cælo audire feciſti judicium, terra timuit, & quievit.*	9. De cælo auditum feciſti judicium, terra tremuit, & quievit.
בקום למשפט אלהים ל להושיע כל ענוי ארץ סלה :	10. *In ſurgendo judicio Deus, ad ſalvandum omnes manſuetos terræ. Sélah.*	10. Cum exſurgeret in judicium Deus, ut ſalvos faceret omnes manſuetos terræ.
כי חמת אדם תודך שארית חמת תחגר :	11. *Quoniam furor hominis confitebitur te, reliquum furorum accinges.*	11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.
נדרו ושלמו ליהוה אלהיכם כל סביביו יובילו שי למורא :	12. *Vovete, & perficite DOMINO Deo veſtro, omnes circuitus ejus ducent munus formidabili.*	12. Vovete, & reddite DOMINO Deo veſtro, omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.
יבצר רוח נגידים נורא ל למלכי ארץ :	13. *Vindemiabit ſpiritum nobilium, timendus regibus terræ.*	Terribili 13. & *ei, qui* aufert ſpiritum principum, terribili apud reges terræ.

AN-

ANNOTATIONES.

Fidelium victorias ex hoſtibus divino favore partas eleganti carmine deſcribens, eos ad Deum colendum brevibus invitat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *In laudibus*. Non longe aliter Hebræus: In modulationibus, laudibus, quæ muſico cantantur inſtrumento. Nelli ſuoni. Hunc eumdem titulum habes ſuperius pſalmo 4. & alibi. *Ad Aſſyrios*. Additum ex aliqua fortaſſe traditione, quod hi ſæpius in Judæa profligati ſint. Porro quid ſit Pſalmus canticum, vide in ſuperiori pſalmo.

2. *Notus, &c.* Cognoſcitur Deus a fidelibus ex Scripturis ſacris fide, & ex miraculis inauditis, quæ pro eorum ſalute, & gloria patrare ſolet.

3. *Factus eſt*. Idem Hebræus: Fuit. *In pace*. Noſtri legerunt punctis immutatis בְּשָׁלֹם, in pace, in urbe pacifica; quod nunc Hebræis eſt בְּשָׁלֵם, in Salem. Eſt autem Salem Urbis nomen, quæ poſtea Jeruſalem dicta eſt. Vide Theſaurum. *Locus ejus*. Non aliter fere Hebræus: Caſula, tugurium ejus. *Habitatio*. Vox hebræa de luſtro ferarum proprie dicitur, ſed transfertur etiam ad hominum habitationem. Tugurium, & luſtrum Dei, templum innuunt.

4. *Ibi confregit, &c.* In Sion, in Jeruſalem. Sic etiam ſuperius pſalmo 48. *Potentias*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, niſi cum Genebrardo malles eos ſenſum transtuliſſe, & jacula volitantia, & alia tela Potentias appellaſſe. Hebræus idiotiſmo pulcherrimo, prunas, vel ſcintillas arcus habet, ideſt, ſagittas. Eſt nihilominus parvi momenti varietas. De Sélah, quod bis in hoc pſalmo legitur, ſuperius dictum eſt.

5. *Illuminans*. Idem Hebræus: Lucidus, clarus ſic, ut nos etiam illuſtres. *Mirabiliter*. Hebræus: Fortis, potens, mirabilis. Noſtri vocem adverbialiter exponunt. Minima varietas. *A montibus*. Hebræa præpoſitio מִן comparationem etiam aliquando facit, ut Hebræis hic: Præ montibus; potentior, mirabilior montibus. *Æternis*. Noſtri procul dubio legerunt aliter, quam nunc Hebræus, qui habet: Prædæ, rapinæ. Montes rapinæ vocat, in quibus rapaces feræ ad prædandum, & lacerandum homines reſident. Hoſtes fidelium deſignantur hoc nomine. His licet montibus formidabiles ſint, Deus potentior, & formidabilior eſt. Vel (ſi præpoſitio magis placet) de montibus prædæ, potes Judææ montes exponere, prædatoriis montibus comparatos, quod illic innumerabiles copiæ, quæ illos occupant, ad internecionem deletæ ſint.

6. *Turbati ſunt*. Translatio ſenſus. Hebræus: Spoliatum, direptum ſe præbuerunt. Nimio terrore perciti ob Dei præſentiam ſic conturbati ſunt, ut ſpoliantibus non modo non reſiſterent, quin potius libere ſe ſpoliandos, & diripiendos offerrent. *Omnes*. Ad declarationem additum. *Inſipientes*. Senſus iterum translatio. Hebræus: Fortes, potentes, audaces corde, quos inſipientes Noſtri vocant, quod viribus, non Deo fidant. *Dormierunt ſomnum ſuum*. Ideſt, vehementem, ut fortium, qui viribus confiſi ſecuri dormiunt. Idiotiſmus pulcherrimus. Videntes ſe fore ſpoliandos non aufugerunt, ceu profundiori ſomno detenti. Mortis interpretatio, quam Genebrardus affert, huic loco minime quadrat. *Nihil*. Hebræus ſola negativa particula: Non. Hinc Noſtris diverſa verborum gignitur ſententia. *Divitiarum*. Vox hebræa plura ſignificat, ut in Theſauro. Hebræis hic pro robore ſumitur: Viri fortitudinis, roboris; fortiſſimi. *In*. Additum a Noſtris, ut ſententiam ſuam exprimerent. *Manibus ſuis*. Hebræus: Manus ſuas. Noſtrorum ſenſus patet. Non invenire manus, Hebræis eſt idiotiſmus pulcherrimus. Facile

cile diripiuntur, ait, quod dormiant, quod manus ad confligendum non inveniant, ſic exterriti videlicet, ut ſibi non videantur eas habere.

7. *Dormitaverunt, &c.* Noſtri procul dubio paucis immutatis legerunt נִרְדְּמוּ רֹכְבֵי סוּס, conſopiti ſunt aſcenſores equi; quod nunc Hebræis eſt נִרְדָּם וְרֶכֶב וָסוּס, conſopitus eſt & currus, & equus. Nedum hoſtes ipſi, ſed currus, & equi, quadrigæ, quibus contra nos invehebantur, propter increpationem tuam, & minas conſopiti loco dimoveri nequeunt. Non magni momenti varietas.

8. *Terribilis.* Metuendus, formidabilis. *Es.* Idem Hebræus pronomine: Tu. *Et quis reſiſtet tibi?* Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Et quis ſtabit faciebus tuis? ante conſpectum tuum. *Ira tua.* Vox hebræa naſum, & iram ſignificat. Vide Theſaurum. Genebrardus exponit: Ex tunc (ideſt, e longo tempore, ab ævo) iram apud te aluiſti, ut non ſit brevis, quæ ſimul ac oritur, deponatur. Verum ſimplicior, & purior loquendi tropus eſt, ſi exponas: Ex tunc, ideſt, ex eo tempore, quo iraſceris. Conjunctim ſiquidem ſententia ſic legenda eſt: Quis valet tibi reſiſtere, tum iraſceris? cum iratos oſtendis vultus? Nullus profecto.

9. *Auditum feciſti.* Idem Hebræus: Audire feciſti judicium, ultionem, & vindictam de cælo, tonitribus, & tempeſtatibus excitatis videlicet. Hyperbole. *Tremuit.* Hebræus: Timuit, & quievit. Proſopopœja. Timentis, & obſtupeſcentis actum exprimit.

10. *Cum exſurgeret, &c.* Idem Hebræus ſuo loquendi modo: In ſurgendo judicio (ad profligandos hoſtes) Deus, ad ſalvandum, &c.

11. *Cogitatio.* Suſpicor, Noſtros non difficili tranſitu vocum, Scin, & Beth additis, legiſſe מַחְשֶׁבֶת, quod nunc Hebræis eſt חֲמַת, ſuror, ira hominis celebrabit te. Vel certe eſt Idiotiſmus perquam elegans. Ex hoc hoſtium furore, qui fideles tuos debellare contendunt, laudem reportabis non minimam, cum eos profligaveris; honori profecto tibi erunt, qui ira conciti temere contra te in prælium prodire auſi ſunt. *Tibi.* Hebræus accuſativo: Te. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Reliquiæ.* Hebræus ſingulariter, & accuſativo: Reliquum. *Cogitationis, &c.* Etiam hic ſuſpicor, Noſtros non admodum difficili vocum tranſitu, paucis immutatis, & nonnullis additis, legiſſe שְׁאֵרִית מַחְשָׁבוֹת תְּחַגֶּךָ, vel certe תָּחֹג לָךְ, quod nunc Hebræis altero idiotiſmo non minoris elegantiæ eſt שְׁאֵרִית חֵמוֹת תַּחְגֹּר, reliquum furorum accinges. Si qui reſidui ſunt ex hoſtibus iratis in nos, eos debella, & profliga; ſi quid minarum hoſtilium reliquum eſt, illud tu nequaquam obliviſcaris velim, ſed veluti cingulum deferas, ut ultionis meminiſſe poſſis.

12. *Reddite.* Idem Hebræus: Perficite, vota ſcilicet ob victoriam hanc adeptam, quæ, non reddita, ſunt imperfecta. *Omnes qui in circuitu ejus.* Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Omnes circuitus ejus. Metonymia. Quotquot circumquaque degitis. *Afferetis.* Propter mutationem verborum ſuperiorum hac ſecunda perſona redditum. Hebræus: Ducent, afferent, circuitus illi ſcilicet. Idem ſenſus. *Munera.* Hebræus ſingulariter: Munus. *Terribili.* Formidabili, metuendo propter mirabilia ſupradicta.

13. *Et ei qui aufert.* Noſtri mutato Jod in Vav legerunt וּבֹצֵר, & vindemianti; quod nunc Hebræis eſt futurum. יִבְצֹר, vindemiabit. Metaphora. Tanquam racemos præſcindet ſpiritum, animam, vitam. *Principum.* Nobilium, & potentum. *Terribili.* Hebræus nominativo, nam ſupradicto verbo concordat: Metuendus, formidandus. *Apud reges.* Hebræus dativo: Regibus. Nullius fere momenti varietates.

PSALMUS LXXVII. Latinis LXXVI.

למנצח על ידיתון לאסף מזמור:	1. *Præfecto ſuper Jeduthun Aſapho pſalmus.*	1. In finem pro Iduthun, pſalmus Aſaph.
קולי אל אלהים ואצעקה קולי אל אלהים והאזין אלי:	2. *Vox mea ad Deum, & clamabo, vox mea ad Deum, & auſcultando ad me.*	2. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi.
ביום צרתי אדני דרשתי ידי לילה נגרה ולא תפוג מאנה הנחם נפשי:	3. *In die tribulationis meæ Dominum exquiſivi manu mea, nocte defluxit, & non remiſsa erit, renuit conſolari anima mea.*	3. In die tribulationis meæ Deum exquiſivi, manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus.
אזכרה אלהים ואהמיה אשיחה ותתעטף רוחי סלה	4. *Memor ero Dei, & fremam, loquar, & ſyncopim patietur ſpiritus meus. Sélah.*	Renuit conſolari anima mea: 4. memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.
אחזת שמרות עיני נפעמתי ולא אדבר:	5. *Apprehendiſti cuſtodias oculorum meorum, perculſus ſum, & non loquar.*	5. Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, & non ſum locutus.
חשבתי ימים מקדם שנות עולמים:	6. *Cogitavi dies ab initio, annos ſeculorum.*	6. Cogitavi dies antiquos, & annos æternos
אזכרה נגינתי בלילה עם לבבי אשיחה ויחפש רוחי:	7. *Recordabor pulſationem meam in nocte, cum corde meo loquar, & ſcrutatus eſt ſpiritus meus.*	7. in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.
הל עולמים יזנח אדני ולא יסיף לרצות עוד:	8. *Numquid ſeculis repellet Dominus, & non addet ad volendum adhuc?*	8. Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc?
האפס לנצח חסדו גמר אמר לדר ודר:	9. *Num defecit perpetuo pietas ejus? perfecit dictum ætati, & ætati?*	9. Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, a generatione in generationem?
השכח חנות אל אם קפץ באף רחמיו סלה:	10. *Num oblitus eſt miſereri Deus? num continuit in ira miſerationes ſuas? Sélah.*	10. Aut obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira *ſua* miſericordias ſuas?
ואמר חלותי היא שנות ימין עליון:	11. *Et dixi, profanari meum eſt mutare dexteræ excelſi.*	11. Et dixi, *nunc* cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi.
אזכיר מעללי יה כי אזכרה מקדם פלאך:	12. *Memor ero actionum Jaha, quia memor ero ab initio miraculi tui.*	12. Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

13. Et

והגיתי בכל פעלך ו ובעלילותיך אשיחה:	13. *Et meditabor in omni opere tuo, & in actionibus tuis loquar.*	13. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor.
אלהים בקדש דרכך מי אל גדול כאלהים:	14. *Deus in ſanctitate via tua, quis Deus magnus ſicut Deus?*	14. Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus *noſter*?
אתה האל עשה פלא הודעת בעמים עזך:	15. *Tu es Deus faciens mirabile, notam feciſti in populis fortitudinem tuam.*	15. Tu es Deus qui facis mirabilia, notam feciſti in populis virtutem tuam.
גאלת בזרוע עמך בני יעקב ויוסף סלה:	16. R*edemiſti in brachio populum tuum, filios Jacob, & Joſeph. Selah.*	16. Redemiſti in brachio *tuo* populum tuum, filios Jacob, & Joſeph.
ראוך מים אלהים ראוך מים יחיסו אף ירגזו תהמות:	17. *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, dolebunt, & contremiſcent abyſſi.*	17. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timnerunt, & turbatæ ſunt abyſſi.
זרמו מים עבות קול נתנו שחקים אף חציך יתהלכו:	18. *Inundatione effuſæ ſunt aquæ nubium, vocem dederunt æthera, etiam calculi tui diſcurrent.*	18. Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt: 19. vox tonitrui tui in rota.
קול רעמך בגלגל האירו ברקים תבל רגזה ותרעש הארץ:	19. *Vox tonitrus tui in ſphæra, illuminarunt coruſcationes orbem, tremuit, & concuſsa eſt terra.*	Illuxerunt coruſcationes *tuæ* orbi terræ, commota eſt, & contremuit terra.
בים דרכך ושביליך במים רבים ועקבותיך לא נודעו:	20. *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis, & veſtigia tua non ſunt cognita.*	20. In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.
נחית כצאן עמך ביד משה ואהרן:	21. *Deduxiſti ſicut oves populum tuum, in manu Moyſi, & Aharon.*	21. Deduxiſti ſicut oves populum tuum, in manu Moyſi, & Aharon.

ANNOTATIONES.

FIdeles in rebus prope deſperatis ad conſiderationem Divinarum actionum revocans, ut Deo fidant, licet infinitis malis premantur, excitat oratione ob verba, & tropos poeticos obſcuriſſima, ut mirum non ſit, Vulgatum ab Hebræo non parum diſſentire, cujus variationis cauſſas afferre, Deo favente, conabimur. Dictinctionum vero varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſupra. *Pro Iduthun*. Hebræus: Super Iduthun. Idem titulus habetur pſalmo 62. Ibi vide. Scribitur autem hic vox iſta cum Jod ידיתון, Jedithun, quamvis conſtanter legatur ex Maſlara cum Vav, quaſi decurtatum ſit ob aliquod myſterium. *Pſalmus Aſaph*. Idem Hebræus: Aſapho pſalmus.

2. *Dominum*. Hebræus: Deum. Minima variatio. *Clamavi*. Hebræus futuro, præpoſitionem etiam addens variat nonnihil orationem; ut non ablativo dicendum ſit, Voce mea, ſed Vox

mea ad Deum (ſupple, eſt), & clamabo, vox mea ad Deum. *Et intendit mihi*. Quaſi legerint punctis immutatis וְהַאֲזִין, Et auſcultavit, quod nunc eſt infinitivus: Et auſcultando ad me, mihi. Nullius momenti variatio.

3. *Deum*. Hebræus: Adonai, Dominum. *Manibus meis*. Quaſi legerint Noſtri יָדַי, quod nunc eſt ſingulare יָדִי, manu mea. Noſtri connectunt cum ſequentibus, ut ſit ordo inverſus: Nocte manibus meis ex adverſo ipſius ſum; per totam noctem manus ſupplices ad eum tendo. Hebræi etiam ſequentibus addunt, ſed nominativo, Manus mea, quam vulnus, vel plagam interpretantur, quod placere nullo modo poteſt, ut alibi docebimus. Ego potius cōnecterem cum ſuperioribus ſic: Manu mea quæſivi Dominum. *Contra eum*. Noſtri procul dubio facili tranſitu Reſc in Daleth videntur legiſſe נֶגְדּוֹ, coram eo, quod nunc Hebræis verbum eſt femininum: Defluxit, labitur manus, plaga ſcilicet, ut illi vellent, vel certe tribulatio, afflictio, ut arbitror. Nam manum diffluere, quid tandem eſt, obſecro? *Sum deceptus*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, nec, quid legerint, conjectare valeo. Hebræus futuro: Remiſſa erit, remittetur, ceſſationem accipiet manus, plaga, ut illis placet; mihi vero tribulatio, afflictio.

4. *Memor fui*. Hebræus futuro: Memor ero. *Et delectatus ſum*. Verbum hebræum in lætam partem uſurparunt Noſtri. Hebræus in triſtem, & futuro: Et fremam, ſonitum edam. Præ lætitia, & gaudio. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in græco. *Exercitatus ſum*. Utuntur hoc verbo Noſtri pro Meditari, exerceri in prece, & ſimilibus contemplationis operibus. Hebræus non longe aliter futuro: Loquar. *Defecit*. Idem prope Hebræus, ſed futuro: Deficiet, ſyncopim patietur. Vide Theſaurum. De Sélah, quod ter legitur in hoc pſalmo, ſuperius dictum eſt.

5. *Anticipaverunt*, &c. Fortaſſe Noſtri paucis immutatis legerunt אָחֲזוּ אַשְׁמֻרוֹת עֵינָי, apprehenderunt vigilias oculi mei, ſomnum capere non poſſunt, inſomnes traducunt noctes totas præ doloris magnitudine. Niſi malles, eos ſenſum tranſtuliſſe, non verba. Hebræus: Apprehendiſti cuſtodias oculorum meorum. Cuſtodes oculorum ſunt palpebræ. Attoniti, & cogitabundi geſtum eleganter exprimit. Oculos attonitos præ dolore, & cogitatione profunda, claudere non poſſum. Conſule Theſaurum. *Turbatus ſum*. Non longe aliter Hebræus: Perculſus, quatiatus ſum; animus me percellit meus. *Sum locutus*. Hebræus futuro: Loquar. Exaggerat per quam eleganter ſtatum rerum ſuarum poetice. Non minus ornate Poeta Vulgaris geſtum hunc exprimit.

per maraviglia
Stringer le labbra, & inarcar le ciglia.

6. *Antiquos*. Sic Hebræus: Ab initio; qui fuerunt antea. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Æternos*. Non aliter Hebræus ſuo loquendi modo: Seculorum annos, æternitatis ſecula, ut præteritorum contemplatione in præſenti rerum ſtatu me conſoler. Hic terminat ſententiam Hebræus. Noſtri vero ſequenti verbo conjungunt, quod aliter in ſuo exemplari legerint, uti mox dicemus.

7. *In mente habui*. Hebræus futuro: Memor ero, recordabor. *Et meditatus ſum*. Noſtri procul dubio non admodum difficili tranſitu legerunt paucis immutatis וְהָגִיתִי, & meditabor, quod nunc Hebræis eſt נְגִינָתִי, pulſationem meam, muſicales cantiones, quas olim temporibus felicibus cantillare in tui laudem ſolitus eram. *Nocte*. Hebræus addit præpoſitionem: In nocte. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco: ſed verbum ſequens cum ſuperioribus connectitur. *Exercitabar*. Meditabar, ut ſuperius verſ. 4. Hebræus futuro: Cum corde meo, apud me loquar. *Et ſcopebam ſpiritum meum*. Tanquam ſcopis purgando volutabam, ver-

verſabam cogitando, quæ ſequuntur. Non longe aliter Hebræus, ſed tertia perſona: Et ſcrutatus eſt ſpiritus meus; ſequentia ſcilicet. Niſi mallemus referre verbum ad cor, & transferre: Et ſcrutatum eſt ſpiritum meum. Summam diligentiam in inquirenda rerum harum cauſſa denotat: Scrutatur ſiquidem tria, nempe ſcire, velle, & poſſe Dei; quæ ſi non deficiant, nulla aderit cauſſa, cur fidelibus non opituletur. Græcus alia metaphora habet ἔσκαλλον, ſarriebam, retractatum cogitationum ſuarum metaphoricè (ut ait Divus Hieronymus ad Juniam) a ſarculo demonſtrans.

8. *In æternum*. Idem Hebræus, ſed dativo, ſuo loquendi modo: Num ſeculis. Prima voluntatis divinæ inquiſitio. *Projiciet*. Sic Hebræus: Repellet, elongabit. *Aut non apponet, &c.* Non aliter Hebræus ſuo loquendi modo: Et non addet ad volendum, velle adhuc? quaſi dicat, Volet ſane, & favebit iterum, propitiumque ſe exhibebit, uti præteritorum temporum exemplis manifeſtum fit.

9. *Aut*. Hebræus ſemper eamdem particulam interrogativam repetit: Num, vel ſi; & verbum hic addit, quod in Noſtris poſtponitur. Num defecit, conſumpta eſt? Secunda potentiæ divinæ inquiſitio. *In finem*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Victoriæ, perpetuo. *Miſericordiam ſuam*. Sic transferre Noſtros vocem hanc hebræam, ſæpius vidimus. Transferunt autem per accuſativum, quod ſequenti verbo copulent. Hebræus autem ſuperiori verbo conjungens, quod a Noſtris poſtpoſitum eſſe diximus, nominativum habet: Pietas ſua. *Abſcindet*. Hebræus neutraliter. Niſi malles, Noſtros legiſſe facili transitu גזר, vel גזז, quod nunc Hebræis eſt גמר, perfecit, completum eſt. Idem tamen fere Abſcindendi ſenſus. Hebræus rem perfectam, completam addit. Num perfecit verbum? ſermo completus eſt? Promiſſiones propheticæ finem receperunt? hactenus tantum propheticarum conſolationum verba pervenerunt? *A generatione in generationem*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Ætati, & ætati.

10. *Aut obliviſcetur*. Tertia ſcientiæ divinæ inquiſitio. Hebræus præterito: Num oblitus eſt miſereri Deus? Scientiam miſerendi amiſit? *Aut continebit*. Hebræus iterum præterito: Continuit in ira, præ ira cohibuit. *Sua*. Ad declarationem additum. *Miſericordias*. Miſerationes ſuas, & beneficia.

11. *Nunc*. Non habetur in Hebræo. *Cœpi*. Noſtri videntur legiſſe facili transitu vocis הַחִלּוֹתִי, incepi, tandem reſpirare ſcilicet, vel reſipiſcere, & intelligere, undenam mea proficiſcantur mala. Vox hebræa חַלּוֹתִי ambigua, & æquivoca eſt, nam a חָלָה derivari poteſt, ut ſit infinitivus ex pihel cum affixo, Deprecari, orare meum (aliquibus etiam Infirmari, ægrotare meum), & a חָלַל, infinitivus itidem ex Cal, Profanari, vel ſauciari meum. *Hæc*. Hebræus: Ipſa; eſt, ſcilicet; nam pronomina vices ſubſtantivi verbi ſupplent, ut in grammatica docuimus. *Mutatio*. Vox hebræa æquivoca eſt, plurale nominis שָׁנָה, Anni, ut ſuperius etiam verſ. 6., & infinitivus verbi Cal, Mutare, vel iterari. Ex his omnibus hos ſenſus elicere poſſumus. Infirmitas mea eſt, hoc mutare, hæc mutatio dexteræ excelſi. A ſtatu felici ad hunc infelicem mutatio me acerbiſſime vexat; Infeliciſſimum enim, ut Boetius ait, infortunii genus fuiſſe felicem. Huic proxime accedit ſauciandi, & profanandi intelligentia. Saucior, diſcrucior animo propter hanc dexteræ excelſi mutationem. Vel profanari meum eſt; profanor, male tractor, in peſſimum rerum omnium ſtatum reducor propter hanc mutationem; vel certe profanor, profane ago, male, & perverſe cogito, dexteram Dei mutari, cum a Scriptura de ſtabilitate, & firmitate ejus edoctus ſim. Quia ego Deus (Malachias ait 3. 8.) non שָׁנִיתִי, mutatus ſum. Vel deprecari meum eſt, deprecor, hic orationum mearum ſcopus eſt.

eſt, ut mutetur in melius, vel iteretur, ad priſtinum ſtatum revertatur dextera excelſi. Vides in quantas ſententias hæc verba poſſunt trahi. Verum profanationis interpretatio ſimplicior, & magis argumento, & conſequentiæ pſalmi conſentanea mihi videtur. De favore divino dubitaverat ſuperius, an ſciret Deus, poſſet, & vellet opitulari amplius, tandem vero reſipiſcens errorem fatetur ſuum, & revertitur ad exempla ſuperiorum ætatum, ex quibus Deum ſcire, poſſe, & velle fidelibus ſuis auxiliari, & ſemper firmum, & immobilem manere perſpicue apparet. Ex infinitis exemplis, quæ poſſunt in hanc ſententiam adduci, ſolam eductionem ex Ægypto commemorabo, quæ ſatis ſuperque ſtabilitatem divinam in ſervandis fidelibus ſuis edocere poteſt. Verum quid ago? inquit. Satin' ſanus ſum hæc de Deo recogitans? Deum mutari cenſeo? Apage a me hujuſmodi cogitatio, quæ profanationem potius, quam timorem divinum mihi affert. Ad beneficia, quæ Majoribus olim Deus contulit, me convertam.

12. *Memor fui*. Hebræus futuro: Memor ero, recordabor. *Operum*. Actionum. *Domini*. Jaha. Unum ex nominibus divinis. *Mirabilium tuorum*. Hebræus ſingulariter: Miraculi tui, operis tui mirabilis initio, antiquorum, priſcorum, jam pridem facti. Ex multis ſolum egreſſum ab Ægypto commemorat, ut diximus.

13. *In omnibus operibus tuis*. Hebræus ſingulariter: In omni opere tuo. *In adinventionibus tuis*. Sic interpretari ſolent Noſtri vocem hanc hebræam, ideſt, ſtudium, conſilium, aliquid præclare inventum. Hebræus: In actionibus tuis. *Exercebor*. Hebræus: Loquar, ut ſuperius verſ. 4. in, de factis, & geſtis tuis, ut in ſequentibus.

14. *In ſancto*. Neutri generis. Sic Hebræus: In ſanctitate, via tua. Idiotiſmus. Actiones, & opera tua ſancta. *Noſter*. Ad declarationem additum.

15. *Mirabilia*. Hebræus ſingulariter: Faciens mirabile ſupra naturam opus. *In populis*. Ægypti, & Chanaam præcipue, & aliis omnibus. *Virtutem*. Hebræus: Robur, fortitudinem, quam Virtutem Noſtros transferre, ſæpius vidimus.

16. *Tuo*. Ad declarationem additum. *Joſeph*. Cujus opera tempore famis ſervati ſunt.

17. *Viderunt te aquæ*. Proſopopœja. Maris rubri trajectum innuit. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Timuerunt*. Hebræus futuro: Dolebunt, cruciabuntur. A torminibus parturientium metaphora. *Et*. Hebræus: Etiam. *Turbatæ ſunt*. Non aliter fere Hebræus: Contremiſcent.

18. *Multitudo ſonitus aquarum*. Suſpicor, Noſtros aliter legiſſe, quam nunc Hebræus habet, &, ſi conjectare licet, arbitror eos abjecta dictione עָבוֹת, paucis immutatis legiſſe זֶרֶם מַיִם, inundatio aquarum. Hanc aquarum profuſionem maximam, quæ ſine ſtrepitu fieri non poteſt, Multitudinem ſonitus appellarunt. Hebræus nunc legit verbaliter זֹרְמוּ, inundatione profuſæ ſunt aquæ nubium, vel (a) nubibus. Aquæ e nubibus cum magno ſono manantes Ægyptios inundantes obruerunt. Non magna varietas. *Nubes*. Æthera, cæli tonitru dederunt perſequentibus terrorem incutientes. Vide Theſaurum. *Etenim*. Sic transferunt Noſtri particulam hebræam אַף, pro Etiam. *Sagittæ tuæ*. Noſtri procul dubio legerunt חִצֶּיךָ, facili vocis tranſitu, ſagittæ, ſulgura, fulmina; quod nunc Hebræis eſt חֲצָצֶיךָ, calculi, lapilli tui, grandines videlicet. Minimi momenti varietas. *Tranſeunt*. Hebræus futuro: Diſcurrent, hinc inde permeabunt. Tempeſtatem maximam deſcribit, Deum aquas ex abyſſis evocantem fingens, & præcipue maris.

19. *In rota*. In ſphæra, in cælis. Genebrardo eſt ſynecdoche numeri, pro In votis Ægyptiorum; quod a puritate & ſimplicitate loci longius eſt. *Illuxe-*

Digitized by Google

luxerunt. Hebræus active: Illuminarunt. Nulla varietas. *Tuæ*. Ad declarationem additum. *Orbi terræ*. Hebræus: Orbem. *Commota eſt, & contremuit*. Idem fere Hebræus: Tremuit, & concuſſa eſt. Hyperbole. Omnia ſurſum deorſum ferri videbantur, tonitru, & fulgure crebro tellure concuſſa.

20. *In mari via tua*. Erat ad excitandas procellas. Fictio poetica. *Semitæ tuæ*. Idem Hebræus, quamvis ex Maſſarah nunc conſtanter legatur ſingulariter וּשְׁבִילְךָ, & ſemita tua. *Non cognoſcentur*. Hebræus præterito: Neque tua fuerunt cognita veſtigia; nulla exſtabant, quæ ſequerentur Ægyptii.

21. *Sicut oves*. Hebræus ſingulariter, collective: Ovem, gregem; ut grex deducitur, ſic tu, ductu Moſis, & Aharon, populum tuum mare rubrum transvexiſti.

PSALMUS LXXVIII. Lat. LXXVII.

משכיל לאסף האזינה עמי תורתי הטו אזנכם לאמרי פי:	1. *Intellectus Aſaph.* *Auſculta popule meus legem meam, inclinate aurem veſtram dictis oris mei.*	1. Intellectus Aſaph. Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei.
אפתחה במשל פי אביעה חידות מני קדם:	2. *Aperiam in parabola os meum, eructabo ænigmata ab initio.*	2. Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.
אשר שמענו ונדעם ואבתינו ספרו לנו:	3. *Quæ audivimus, & cognovimus ea, & patres noſtri narraverunt nobis.*	3. Quanta audivimus, & cognovimus ea, & patres noſtri narraverunt nobis.
לא נכחד מבניהם לדור אחרון מספרים תהלות יהוה ועזוזו ונפלאתיו אשר עשה:	4. *Non celabimus a filiis eorum ætati ultimæ, narrantes laudes DOMINI, & robur ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit.*	4. Non ſunt occultata a filiis eorum in generatione altera. Narrantes laudes DOMINI, & virtutes ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit.
ויקם עדות ביעקב ותורה שם בישראל אשר צוה את אבותינו להודיעם לבניהם:	5. *Et ſtare fecit teſtimonium in Jacob, & legem poſuit in Iſrael, quæ mandavit patribus noſtris, nota fecit ea filiis ſuis.*	5. Et ſuſcitavit teſtimonium in Jacob, & legem poſuit in Iſrael. Quanta mandavit patribus noſtris, nota facere ea filiis ſuis,
למען ידעו דור אחרון בנים יולדו יקמו ויספרו לבניהם:	6. *Ut cognoſcant ætas poſterior, filii, qui naſcentur, ſurgent, & narrabunt filiis ſuis.*	6. ut cognoſcat generatio altera. Filii, qui naſcentur, & exſurgent, & narrabunt filiis ſuis.
וישימו באלהים כסלם ולא ישכחו מעללי אל ומצותיו ינצרו:	7. *Et ponent in Deo inconſtantiam ſuam, & non obliviſcentur actionum Dei, & mandata ejus cuſtodient.*	7. Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur operum Dei, & mandata ejus exquirant.

8. Ne

ולא יהיו כאבתם דור סורר ומרה דור לא הכין לבו ולא נאמנה את אל רוחו׃

8. *Et non erant ſicut patres eorum, ætas rebellis, & perfida, ætas non aptavit cor ſuum, & non fuit ſtabilis cum Deo ſpiritus ejus.*

8. Ne fiant ſicut patres eorum, generatio prava, & exaſperans.
Generatio, quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus ejus.

בני אפרים נושקי רומי קשת הפכו ביום קרב׃

9. *Filii Ephraim armati jaculantes arcu, converſi ſunt in die belli.*

9. Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli.

לא שמרו ברית אלהים ובתורתו מאנו ללכת׃

10. *Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege ejus renuerunt ambulare.*

10. Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare.

וישכחו עלילותיו ונפלאותיו אשר הראם׃

11. *Et obliti ſunt actionum ejus, & mirabilium ejus, quæ oſtendit eis.*

11. Et obliti ſunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus, quæ oſtendit eis.

נגד אבותם עשה פלא בארץ מצרים שדה צען׃

12. *Coram patribus eorum fecit mirabile, in terra Ægypti campi Zoan.*

12. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, *in* campo Taneos.

בקע ים ויעבירם ויצב מים כמו נד׃

13. *Interrupit mare, & traduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi acervum.*

13. Interrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in utre.

וינחם בענן יומם וכל הלילה באור אש׃

14. *Et deduxit eos in nube interdiu, & tota nocte in luce ignis.*

14. Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.

יבקע צרים במדבר וישק כתהומות רבה׃

15. *Scidit petras in eremo, & potavit velut abyſſis multæ.*

15. Interrupit petram in eremo, & adaquavit *eos* velut in abyſſo multa.

ויוצא נוזלים מסלע ויורד כנהרות מים׃

16. *Et eduxit fluenta de rupe, & deſcendere fecit tanquam flumina aquas.*

16. Et eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.

ויוסיפו עוד לחטא לו למרות עליון בציה׃

17. *Et appoſuerunt adhuc ad peccandum ei, ad exacerbandum excelſum in inaquoſo.*

17. Et appoſuerunt adhuc peccare ei, in ira excitaverunt excelſum in inaquoſo.

וינסו אל בלבבם לשאל אכל לנפשם׃

18. *Et tentaverunt Deum in corde ſuo ad petendum eſcam animæ ſuæ.*

18. Et tentaverunt Deum in cordibus ſuis, ut peteret eſcas animabus ſuis.

וידברו באלהים אמרו היוכל אל לערך שלחן במדבר׃

19. *Et locuti ſunt in Deum, dixerunt, numquid poterit Deus ad parandum menſam in deſerto?*

19. Et male locuti ſunt de Deo, dixerunt, numquid poterit Deus parare menſam in deſerto?

20. Quo-

Digitized by Google

הן הכה צור ויזובו מים ונחלים ישטפו הגם לחם יוכל תת אם יכין שאר לעמו :

20. *En percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundabunt, numetiam panem poterit dare? ſi parabit carnem populo ſuo?*

20. Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.

Nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?

לכן שמע יהוה ויתעבר ואש נשקה ביעקב וגם אף עלה בישראל :

21. *Ideo audivit DOMINUS, & iratus eſt, & ignis accenſus eſt in Jacob, & etiam ira aſcendit in Iſrael.*

21. Ideo audivit DOMINUS, & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Jacob, & ira aſcendit in Iſrael.

כי לא האמינו באלהים ולא בטחו בישועתו :

22. *Quia non crediderunt in Deo, nec confiſi ſunt in ſalute ejus.*

22. Quia non crediderunt in Deo, nec ſperaverunt in ſalutari ejus.

ויצו שחקים מכעל ודלתי שמים פתח :

23. *Et mandavit nubibus deſuper, & januas cæli aperuit.*

23. Et mandavit nubibus deſuper, & januas cæli aperuit.

וימטר עליהם מן לאכל ודגן שמים נתן למו :

24. *Et pluit ſuper eos manna ad manducandum, & triticum cæli dedit eis.*

24. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis.

לחם אבירים אכל איש צידה שלח להם לשבע :

25. *Panem fortium manducavit vir, annonam miſit eis abundantiæ.*

25. Panem Angelorum manducavit homo, cibaria miſit eis in abundantia.

יסע קדים בשמים וינהג בעזו תימן :

26. *Proficiſci fecit eurum in cælo, & deduxit in robore ſuo africum.*

26. Tranſtulit auſtrum de cælo, & induxit in virtute ſua africum.

וימטר עליהם כעפר שאר וכחול ימים עוף כנף :

27. *Et pluit ſuper eos ſicut pulverem carnem, & ſicut arenam maris volatile alæ.*

27. Et pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.

ויפל בקרב מחנהו סביב למשכנתיו :

28. *Et cadere fecit in medio caſtrorum eorum circa tabernaculis eorum.*

28. Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum.

ויאכלו וישבעו מאד ותאותם יבא להם :

29. *Et manducaverunt, & ſaturati ſunt valde, & deſiderium eorum venire fecit eis.*

29. Et manducaverunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis.

לא זרו מתאותם עוד אכלם בפיהם :

30. *Non ſunt alienati a deſiderio ſuo, adhuc cibus eorum in ore ipſorum.*

30. Non ſunt fraudati a deſiderio ſuo, adhuc eſcæ eorum in ore ipſorum.

ואף אלהים עלה בהם ויהרג במשמניהם ובחורי ישראל הכריע :

31. *Et ira Dei aſcendit in eis, & occidit in pinguedines eorum, & electos Iſrael depreſſit.*

31. Et ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſrael impedivit.

בכל זאת חטאו עוד ולא האמינו בנפלאותיו :

32. *In toto hoc peccaverunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus ejus.*

32. In omnibus his peccaverunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus ejus.

33. Et

ויכל בהבל ימיהם ושנותם בבהלה:	33. *Et conſumpſit in vanitate dies eorum, & annos eorum in conſternatione.*	33. Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione.
אם הרגם ודרשהו ושבו ושחרו אל:	34. *Si occidit eos, & quæſierunt eum, & reverſi ſunt, & manicaverunt Deum.*	34. Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.
ויזכרו כי אלהים צורם ואל עליון גאלם:	35. *Et rememorati ſunt, quia Deus eſt petra eorum & Deus excelſus redemptor eorum.*	35. Et rememorati ſunt, quia Deus adjutor eſt eorum, & Deus excelſus redemptor eorum eſt.
ויפתוהו בפיהם ובלשונם יכזבו לו:	36. *Et deceperunt eum in ore ſuo, & in lingua ſua mentientur ei.*	36. Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei.
ולבם לא נכון עמו ולא נאמנו בבריתו:	37. *Cor autem eorum non firmum cum eo, nec ſtabiles fuerunt in teſtamento ejus.*	37. Cor autem eorum non erat rectum cum eo; nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus.
והוא רחום יכפר עון ולא ישחית והרבה להשיב אפו ולא יעיר כל חמתו:	38. *Ipſe autem miſericors expiabit iniquitatem, & non diſperdet, & multiplicavit ad reducendum naſum ſuum, & non excitabit omnem furorem ſuum.*	38. Ipſe autem *eſt* miſericors, & propitius fiet peccatis *eorum*, & non diſperdet *eos*. Et abundavit, ut averteret iram ſuam, & non accendit omnem iram ſuam.
ויזכר כי בשר המה רוח הולך ולא ישוב:	39. *Et recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpiritus euntis, & non redibit.*	39. Et recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpiritus vadens, & non rediens.
כמה ימרוהו במדבר יעציבוהו בישימון:	40. *Quoties contra fecerunt ei in deſerto? dolere fecerunt eum in ſolitudine?*	40. Quoties exacerbaverunt eum in deſerto? in iram concitaverunt eum in inaquoſo?
וישובו וינסו אל וקדוש ישראל התוו:	41. *Et converſi ſunt, & tentaverunt Deum, & Sanctum Iſrael ſignarunt.*	41. Et converſi ſunt & tentaverunt Deum, & ſanctum Iſrael exacerbaverunt.
לא זכרו את ידו יום אשר פדם מני צר:	42. *Non ſunt recordati manus ejus die, qua redemit eos de manu tribulantis.*	42. Non ſunt recordati manus ejus die, qua redemit eos de manu tribulantis.
אשר שם במצרים אתותיו ומופתיו בשדה צען:	43. *Qui poſuit in Ægypto ſigna ſua, & prodigia ſua in campo Taneos.*	43. Sicut poſuit in Ægypto ſigna ſua, & prodigia ſua in campo Taneos.
ויהפך לדם יאריהם ונזליהם בל ישתיון:	44. *Et convertit ſanguini flumina eorum, & fluenta eorum, ne biberent.*	44. Et convertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.

45. Mi-

ישלח בהם ערב ויאכלם
וצפרדע ותשחיתם :

45. *Miſit in eos mixtionem, & comedit eos, & ranam, & corrupit eos.*

45. Miſit in eos cynomyam, & comedit eos, & ranam, & diſperdidit eos.

ויתן לחסיל יבולם ויגיעם
לארבה :

46. *Et dedit brucho fructum eorum, & laborem eorum locuſtæ.*

46. Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ.

יהרג בברד גפנם ושקמותם
בחנמל :

47. *Occidit in grandine vitem eorum, & ſycomoros ejus in pruina.*

47. Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.

ויסגר לברד בעירם ומקניהם
לרשפים :

48. *Et concluſit grandini jumentum eorum, & greges eorum prunis.*

48. Et tradidit grandini jumenta eorum, & poſſeſſionem eorum igni.

ישלח בם חרון אפו עברה ו
זעם וצרה משלחת מלאכי ר
רעים :

49. *Miſit in eos furorem naſi ſui, & indignationem, & tribulationem, immiſſionem Angelorum malorum.*

49. Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.

יפלס נתיב לאפו לא חשך מ
ממות נפשם וחיתם לדבר
הסגיר :

50. *Librabit ſemitam naſo ſuo, non pepercit a morte animæ eorum, & vitam eorum peſtilentiæ concluſit.*

50. Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, non pepercit a morte animabus eorum, & jumenta eorum in morte concluſit.

ויך כל בכור במצרים ראשית
אונים באהלי חם :

51. *Et percuſſit omnem primogenitum in Ægypto, principium fortitudinum in terra Ham.*

51. Et percuſſit omne primogenitum in *terra* Ægypti, primitias *omnis* laboris *eorum* in tabernaculis Cham.

ויסע כצאן עמו וינהגם כ
כעדר במדבר :

52. *Et proficiſci fecit ſicut ovem populum ſuum, & perduxit eos tamquam gregem in deſerto.*

52. Et abſtulit ſicut oves populum ſuum, & perduxit eos tamquam gregem in deſerto.

וינחם לבטח ולא פחדו ואת
איביהם כסה הים :

53. *Et deduxit eos fiduciæ, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.*

53. Et eduxit eos in ſpe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.

ויביאם אל גבול קדשו הר
זה קנתה ימינו :

54. *Et adduxit eos ad terminum ſanctitatis ſuæ, montem hunc,* quem *acquiſivit dextera ejus.*

54. Et induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, montem, *quem* acquiſivit dextera ejus.

ויגרש מפניהם גוים ויפילם
בחבל נחלה וישכן באהליהם
שבטי ישראל :

55. *Et ejecit a faciebus eorum gentes, & cadere fecit eos in funiculo poſſeſſionis, & habitare fecit in tabernaculis* eorum *tribus Iſrael.*

55. Et ejecit a facie eorum gentes, & ſorte diviſit eis *terram* in funiculo diſtributionis.

Et habitare fecit in tabernaculis *eorum* tribus Iſrael.

וינסו וימרו את אלהים עליון
ועדתיו לא שמרו :

56. *Et tentaverunt, & contrafecerunt Deo excelſo, & obteſtationes ejus non cuſtodierunt.*

56. Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelſum, & teſtimonia ejus non cuſtodierunt.

57. Et

Digitized by Google

ויסגו ויבגרו כאבותם נהפכו בקשת רמיה:

57. Et retro abierunt, & rebellarunt, quemadmodum patres eorum converſi ſunt ſicut arcus pravus.

57. Et averterunt ſe, & non ſervaverunt pactum, quemadmodum patres eorum, converſi ſunt in arcum pravum.

ויכעיסוהו בבמותם ו ובפסיליהם יקניאוהו:

58. Et provocaverunt eum in excelſis ſuis, & in ſculptilibus ſuis æmulari facient eum.

58. In iram concitaverunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum provocaverunt.

שמע אלהים ויתעבר וימאס מאד בישראל:

59. Audivit Deus, & ſuccenſuit, & ſprevit valde in Iſraelem.

59. Audivit Deus, & ſprevit, & ad nihilum redegit valde Iſrael.

ויטש משכן שלו אהל שכן באדם:

60. Et projecit tabernaculum Silo, tabernaculum quod collocavit in homine.

60. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus.

ויתן לשבי עזו ותפארתו ביד צר:

61. Et dedit captivitati robur ſuum, & pulcritudinem ſuam in manum tribulantis.

61. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulcritudinem eorum, in manus inimici.

ויסגר לחרב עמו ובנחלת התעבר:

62. Et concluſit gladio populum ſuum, & in hereditatem ſuam excanduit.

62. Et concluſit in gladio populum ſuum, & hereditatem ſuam ſprevit.

בחוריו אכלה אש ו ובתולותיו לא הללו:

63. Juvenes ejus comedit ignis, & virgines ejus non ſunt laudatæ.

63. Juvenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non ſunt lamentatæ.

כהניו בחרב נפלו ו ואלמנתיו לא תבכינה:

64. Sacerdotes ejus in gladio ceciderunt, & viduæ ejus non plorabunt.

64. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur.

ויקץ כישן אדני כגבור מ מתרונן מיין:

65. Et excitatus eſt tamquam dormiens Dominus, tamquam potens ovans a vino.

65. Et excitatus eſt tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.

ויך צריו אחור חרפת עולם נתן למו:

66. Et percuſſit tribulantes ſuos retro, opprobrium ſeculi dedit illis.

66. Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis.

וימאס באהל יוסף ובשבט א אפרים לא בחר:

67. Et ſprevit in tabernaculum Joſeph, & in tribum Ephraim non elegit.

67. Et repulit tabernaculum Joſeph, & tribum Ephraim non elegit.

ויבחר את שבט יהודה את הר ציון אשר אהב:

68. Et elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.

68. Sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.

ויבן כמו רמים מקדשו כ כארץ יסדה לעולם:

69. Et ædificavit ſicut altitudines ſanctuarium ſuum, ſicut terram fundavit eam ſeculo.

69. Et ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terra, *quam* fundavit in ſecula.

70. Et

Digitized by Google

ויבחר בדוד עבדו ויקחהו ממכלאות צאן׃	70. *Et elegit* in *David ſervum ſuum, & accepit eum de caulis ovis.*	70. Et elegit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ovium, 71. de poſt fœtantes accepit eum.
מאחר עלות הביאו לרעות ביעקב עמו ובישראל נחלתו׃	71. *De poſt fætas venire fecit eum ad paſcendum* in *Jacob populum ſuum, &* in *Iſrael hereditatem ſuam.*	Paſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſrael hereditatem ſuam.
וירעם כתם לבבו ובתבונות כפיו ינחם׃	72. *Et pavit eos ſecundum integritatem cordis ſui, & in intellectibus volarum ſuarum deducet eos.*	72. Et pavit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.

ANNOTATIONES.

PRæteriti pſalmi quæſtionem continuans, Deum fidelibus ſuis ſemper auxiliari, licet aliquando propter eorum peccata videatur averſus, probare nititur exemplis, eleganti carmine canens ea, quæ acta narrabantur in veteri populo, &, ne majorum contumaciam nepotes æmulentur, monet. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *Intellectus*. Vide ſuperius pſalmum 32, & conſule Theſaurum. *Attendite*. Idem fere Hebræus, ſed ſingulariter: Auſculta, aurem præbe, o mi popule, populares, cives mei, noſtrates. *Legem*. Doctrinam, ab הורה, inſtruendo; non a legendo, ut latinis. *In verba*. Idem Hebræus dativo: Dictis, verbis. Inclinare aurem, Hebraiſmus, pro Diligenter attendere.

2. *In parabolis*. Sic Hebræus ſingulariter: In parabola; non ſimplici, & vulgari ſtylo, ſed figurato, artificioſo, & eleganti. *Loquar propoſitiones*. Hebræus ſuo loquendi tropo: Eructabo ænigmata, ad diſſolvendas haſce difficultates in alio pſalmo propoſitas. *Ab initio*. De initio, de rebus olim factis.

3. *Quanta*. Hebræus: Quæ. Minima varietas. Genebrardo hæc cum præcedenti conſtruuntur; mihi potius cum ſequentibus. Traditiones, & ſcripta majorum innuit.

4. *Sunt occultata*. Noſtri punctis immutatis legerunt in Niphal נִכְחַד, eſt occultatum, hoc totum ſcilicet, vel etiam addito Vav נִכְחֲדוּ, ſunt occultata; quod nunc Hebræis eſt ex pihel נְכַחֵד, celabimus; lecta, & audita poſteris non invidebimus. *In generatione altera*. Idem Hebræus dativo: Ætati alteri, ultimæ, poſteriori. *Virtutes ejus*. Sic transferre ſolent Noſtri vocem hanc hebraicam: Robur, fortitudinem ejus. Narrantes, Genebrardo refertur ad Audivimus; mihi vero ad Celabimus.

5. *Suſcitavit*. Sic Hebræus: Stare fecit, erexit teſtimonium, legem, per quam Deus teſtatur de ſua voluntate. *Quanta*. Hebræus: Quæ; ut ſuperius. Teſtimonium, & legem ſcilicet. *Ea*. Syntaxis hebræa. Latine redundat.

6. *Cognoſcat*. Hebræus pluraliter, & futuro: Cognoſcent. Diſcordantia vocum, non ſenſus. *Generatio altera*. Idem Hebræus: Ætas poſterior, ultima. *Et*. Non habetur in Hebræo. Genebrardo hic eſt aſyndeton: Et filii, &c. Mihi eſt appoſitio: Ætas poſterior, filii videlicet. *Narrabunt*. Græcus addit pronomen *αὐτά*.

7. *Ut ponant*. Hebræis non eſt cauſſativa particula, ſed conjunctio tantum, & futurum: Et ponent. *Spem*. Sic transferunt omnes interpretes fere, licet dictionis hebraicæ radix inconſtantiam, ſtultitiæ partem potius ſignificet. Conſule Theſaurum. Idem tamen ſenſus. Nam Ponere in Deo inconſtantiam tuam,

am, eſt Spem de tuis rebus omnibus concipere. *Obliviſcantur*. Hebræus futuro: Obliviſcentur operum, actionum Dei. *Exquirant*. Ut ſervent, cuſtodiant videlicet; nam Hebræus futuro, Cuſtodient, habet. Minima varietas.

8. *Ne fiant*. Hebræus futuro: Et non erunt. *Generatio prava, &c.* Non longe aliter Hebræus: Ætas recedens, rebellis, & contrafaciens. *Direxit*. Ad rectitudinem, & firmitatem non paravit. Sic etiam Hebræus: Non aptavit, paravit. *Non eſt creditus*. Non fuit firmus, fidus, fixus, ſtabilis eorum ſpiritus cum, in, Deo. Vide Theſaurum.

9. *Intendentes*. Pro ſimplici Tendentes poſitum. Sic etiam Hebræus fere: Armati. Genebrardus peritos rei militaris exponens, a vero aberrat. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Mittentes*. Non longe aliter Hebræus: Projicientes, jaculantes, jaculatores arcus, converſi, in fugam verſi ſunt, fugerunt. Hiſtoria hæc non legitur in Bibliis. Vel certe poſitum eſt nomen Ephraim pro toto Iſraelitarum genere, quod artis jaculandi peritiores, & imperii ſumma ante reges potirentur hujuſce tribus homines. Neque enim locum habet hic Cabaliſtarum fabula, quam ſomniarunt de filiis Ephraim ante exitum de Ægypto, neque id, quod legitur 1. Paralip. 7. 20. ut Genebrardo placet.

10. *Non cuſtodierunt*. Iſraelitæ omnes, nedum ſola tribus Ephraim. *Noluerunt*. Idem Hebræus: Renuerunt ambulare in lege. Idiotiſmus. Pro, In obſervatione legis ſe exercere noluerunt.

11. *Benefactorum*. Non aliud hebræa voce deſignatur: Actionum ejus; quum illis benefacere ſtuderet. *Oſtendit*. Videre fecit mirabilia innumera. Lege Exodum. Quædam tamen hic recenſentur.

12. *Fecit mirabilia*. Hebræus ſingulariter collective: Mirabile. Neque enim unum, ſed innumera fuerunt miracula. *In*. Non habetur in Hebræo, quamvis ſubintelligi debeat: In agro, regione Tanis, quæ civitas Hebraice צֹעַן dicitur. Vide Theſaurum. Potes nihilominus exponere ſine præpoſitione per appoſitionem: Campi Taneos; ut צען generalius ſit מִצְרַיִם, ſed prior ſententia magis placet.

13. *Perduxit*. Hebræus: Traduxit, transvexit, tranſire fecit eos. Nullius momenti varietas. *Quaſi in utre*. Noſtri procul dubio videntur legiſſe נֹאד facili vocis tranſitu, quod nunc Hebræis eſt נֵד, acervum, cumulum. Non magni tamen momenti varietatem eſſe crederem. Aquas maris rubri, quaſi in acervum, ne difluerent, congeſſit. Græcus Hebræo concordans præpoſitionem rejicit.

14. *In nube*. Per nubem; præeunte nube. *Diei*. Hebræus: Interdiu. Minima varietas. *In illuminatione*. Per lumen ignis.

15. *Intercepit*. Idem Hebræus futuro: Interrumpet, ſcindet. *Petram*. Hebræus pluraliter: Petras, cautes, bis aquam e rupe eliciens. *Et adaquavit*. Idem fere Hebræus: Potavit, bibere fecit aquam. *Eos*. Ad declarationem additum. *In abyſſo*. Hebræus pluraliter, & ſine præpoſitione, quæ tamen ſubintelligitur: Velut in, ex abyſſis. *Multa*. Noſtri concordant cum Abyſſo, ſed Hebræis ab illa dictione regitur. Multæ, aquæ ſcilicet. Idem ſenſus.

16. *Aquam*. Translatio ſenſus. Hebræus: Fluenta, rivos de rupe. *Deduxit*. Idem Hebræus: Deſcendere fecit aquas tamquam flumina, in maxima videlicet copia.

17. *Peccare*. Sic Hebræus: Ad peccandum. *In iram excitaverunt*. Translatio ſenſus. Hebræus infinitivo: Ad contrafaciendum, & ſic exacerbandum, concitandum. *Excelſum*. Dei epithetum. *In inaquoſo*. In loco arido, aquis carente.

18. *In cordibus ſuis*. Hebræus ſingulariter: In corde ſuo Deum tentaverunt

runt

Digitized by Google

runt; exploràrunt, an ſic poſſit facere. *Ut peterent, &c.* Idem Hebræus infinitivo, & mutatis numeris: Ad petendum eſcam animæ ſuæ. Sibimetipſis.

19. *Et male locuti ſunt de Deo.* Idem Hebræus ſuo tropo: Locuti ſunt in Deum, de ejus omnipotentia dubitantes. *Parare.* Sic Hebræus: Ad parandum, inſtruendam menſam.

20. *Quoniam.* Idem Hebræus demonſtrativa particula: En percuſſit rupem, &c. *Inundaverunt.* Idem Hebræus futuro: Et torrentes, fluvii inundabunt, inundabant. *Nunquid &c.* Sic Hebræus: Num etiam poterit panem ſuppeditare, & carnes? Dei miracula conantur minuere, eductionem aquarum e rupe faciliorem aſſerentes, ut quæ jam intra ſuas concavitates aquas præſentes habeat. Tantæ multitudini panem, & carnes tribuere difficilius. Dare panem eſt Victum ſuppeditare; nam panis nomen eſt generale ad omnem cibum ſignificandum. Vide Theſaurum. *Aut.* Idem Hebræus conditionali particula: Si. *Parare.* Hebræus futuro: Parabit. *Menſam.* Quaſi legerint Noſtri לֶחֶם, ut in ſuperiori verſiculo. Niſi malles, eos ſenſum tranſtuliſſe, non verbum. Hebræus: Carnem, quæ menſis apponi ſolet.

21. *Et diſtulit.* Promiſſa ſcilicet, præ iracundia. Eſt enim translatio ſenſus. Hebræus: Et ſuccenſuit, valde iratus eſt. *Ignis accenſus eſt.* Idiotiſmus. Ideſt, vehemens indignatio, & inflammata. *Et ira.* Hebræus addit, etiam: Et etiam naſus, ira aſcendit in Iſraelem. Poetica locutione dat aſcenſionem iræ. Genebrardus In Iſrael, contra Iſraelem, exponit, & aſcenſionem iræ a corde in cerebrum, & nares; quod a puritate, & ſimplicitate linguæ longius eſt.

22. *Speraverunt.* Hebræus: Confiſi ſunt; quod ſine ſpe non fit. *Salutari.* Sic transferre Noſtros, ſæpius vidimus: In ſalute, & auxilio Dei fiduciam non collocarunt.

23. *Nubibus.* Vel, cælis, regioni ætheriæ. Aperire januas cæli, eſt idiotiſmus poeticus non inelegans. E cælis, e nubibus copioſe fluit illis manna.

24. *Illis.* Hebræus: Super illos. *Panem.* Tranſlatio ſenſus a fine. Hebræus: Triticum cæli, ideſt, cælitus delapſum. Sic appellat manna.

25. *Angelorum.* Non aliter Hebræus: Robuſtorum, fortium. Epithetum Angelorum. Hyperbole poetica ad exaggerandas hujus cibi delicias. Sic Noſtris. Dii nectare, & ambroſia veſcuntur. Panis fortium alias etiam eſſet, quo robuſti, & potentiores veſci poſſunt; cibus grandium, non lactentium. Euchariſtiæ typus. Vide Theſaurum. *Homo.* Hebræus: Vir. *Cibaria.* Sic Hebræus ſingulariter: Annonam, commeatum. *In abundantia.* Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Abundantiæ. Nullius momenti varietates.

26. *Tranſtulit auſtrum de cælo.* Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, nec quid legerint, conjectare valeo. Auſter, & africus idem ſunt. Hebræus pro auſtro קדים, Eurum, habet. Et fortaſſe Noſtri legerunt יסע קדים משמים, proficiſci faciet; tranſtulit eurum de cælo; quod nunc Hebræis eſt בַּשָּׁמַיִם, in cælo, ideſt, per cælum, & aerem flare fecit, Vel certe transferre de cælo, Noſtris non eſt amovere a cælo, ſed ex cælo flare facere, ut ſit repetitio ſententiæ, Transferre auſtrum, & inducere africum. Hebræis duo venti ſunt, eurus, & africus, quorum impulſu aves in Iſraelitarum caſtra perductæ ſunt. Genebrardus autumat, I xxii. habuiſſe rationem loci, in quo erat Judæa, non deſertum. Non crederem tamen magni momenti varietatem eſſe. *Induxit.* Deduxit, minavit. *In virtute ſua.* Sic Noſtri transferunt, pro In robore, fortitudine ſua.

27. *Carnes.* Hebræus ſingulariter: Carnem, aves ſcilicet. *Volatilia pennata.* Hebræus idem ſuo loquendi modo ſingulariter: Volatile, avem pennæ, quæ tamen volare nequiret.

28. *Et ceciderunt.* Noſtri punctis immutatis legerunt in Cal וַיִּפֹּל, Et cecidit

cidit volatile; quod nunc Hebræis eſt ex Hiphil וַיַּפֵּל, Et cadere fecit. Minima varietas. *Caſtrorum*. Dictio hebræa eſt ſingularis, ut etiam vulgo: Nel mezzo del campo. *Tabernacula*. Sic Hebræus dativo ſuo loquendi modo: Tabernaculis.

29. *Nimis*. Valde. *Attulit*. Sic Hebræus: Venire fecit eis, quod deſideraverant.

30. *Non ſunt fraudati*. Translatio ſenſus. Hebræus idiotiſmo pulcherrimo: Non ſunt alienati, alieni effecti a deſiderio ſuo; ideſt, privati; quod alienos non agnoſcentes vitemus. *Eſcæ*. Hebræus ſingulariter: Cibus, eſca eorum. *Erant*. Additum a Noſtris neceſſario, quod hæc ſequentibus conjunxerint. Idem Hebræus, celeritatem vindictæ divinæ oſtendens. Poſſes nihilominus altero idiotiſmo interpretari: Adhuc eſcæ eorum ſunt in ore ipſorum, hoc eſt, tanta fuit copia, ut adhuc etiam credas, illos edere poſſe carnes. Sed prior interpretatio verior, nam in eamdem ſententiam legitur hiſtoria Num. 11. Ibi vide.

31. *Super eos*. Idem Hebræus: In eis. *Pingues*. Hebræus nomine ſubſtantivo, & appoſitionem addens more linguæ: In pinguedines eorum. Pinguia quæque interfecit. Idiotiſmus. Quaſi ſtatim ex illo cibo pinguedinem contraxerint. Vel magnates & primarios innuit. *Impedivit*. Compedivit, quaſi pedibus conſtrinxerit, ne plagam hanc poſſent effugere. Sic Græcus συνεπόδισεν. Hebræus: Curvavit, depreſſit juvenes ſuperbientes. Minima varietas.

32. *In omnibus his*. Hebræus ſingulariter: In toto hoc. Nullum ſuppliciorum genus a peccatis eos cohibere potuit.

33. *Defecerunt*. Quaſi legerint in Cal Noſtri וַיִּכְלוּ, quod nunc Hebræis eſt ex pihel וַיְכַל, Et conſumpſit, deficere fecit Deus eorum dies in vanitate, in re nihili; hoc eſt, quam citius. Nullius momenti varietas. *Dies*. Noſtris eſt nominativus, Hebræis accuſativus. Sic etiam *Anni*. Annos. Dies, & annos eorum conſumpſit, finire fecit. *Cum feſtinatione*. Hebræus: In perturbatione, conſternatione, horrore. Vox hebræa trepidationem, & horrorem includit, ut in calamitatibus inexſpectatis accidit.

34. *Cum occideret eos, &c.* Idem Hebræus ſuis loquendi tropis: Si occidit eos, & quæſierunt eum, & reverſi ſunt. *Diluculo veniebant*. Hebræis eſt verbum eleganter a שַׁחַר, aurora, fictum, pro In aurora quærere; ideſt, quantocyus, & diligenter, intellectum præbente vexatione. *Ad eum*. Quaſi legerint Noſtri facili tranſitu אֵלָיו, quod nunc Hebræis eſt אֵל, Deum. Nulla varietas.

35. *Adjutor eſt eorum*. Translatio ſenſus. Hebræus: Petra eorum, qua protectionem, & auxilium accipiunt.

36. *Dilexerunt eum*. Translatio ſenſus. Hebræus: Et perſuaſerunt ei, deceperunt eum ore multa promittentes, cum lingua mentirentur. Verbum hebræum ſemper in malum dicitur: Suadere, ſuadendo decipere. Malitiam eorum pulcre deſcribit, qui ficto corde, & verbis ſimulatis Deo credunt imponere. Non decipitur Deus, licet ad tempus fictam horum pœnitentiam ſuſtineat. Hanc phraſim, uti paullo licentius de Deo loquentem, quam deceat, immutarunt Noſtri, eodem retento ſenſu. *Lingua*. Hebræus addit præpoſitionem In. *Mentiti ſunt*. Idem Hebræus futuro: Mentientur; mentiebantur, mendacia dicebant.

37. *Rectum*. Aptum, paratum, firmum. *Fideles habiti ſunt*. Nec firmi, ſtabiles fuerunt in ejus pacto; promiſſis non ſteterunt.

38. *Eſt*. Non habetur in Hebræo, ſed additum fuit a Noſtris neceſſario, propterea quod in ſequentibus legerint, ut arbitror, *Et propitius fiet*. וִיכַפֵּר, & expiabit, mutato Jod in Vav ſcilicet; quod nunc Hebræis eſt יְכַפֵּר, expiabit, auferet, & ſic propitius erit, non iratus amplius. *Peccatis*. Hebræus ſingulariter: Iniquitatem. Minimi momenti varietas.

rietas. *Eorum*, *eos*. Ad declarationem addita. *Et abundavit*, *&c*. Idem Hebræus ſuo tropo: Et multiplicavit ad reducendum, avertendum naſum, iram ſuam, furorem ſuum. Idiotiſmus pulcherrimus. Jam eos invaſerat furor divinus, & pingues, & juvenes exciderat, ſed eo revocato, reliqui ſervati ſunt. *Non accendit*, *&c.* Hebræus futuro: Et non excitabit omnem furorem ſuum, nam tunc de illis actum eſſet. Alter idiotiſmus pulcherrimus. Genebrardus, Non omnem iram, ideſt nullam, excitavit, exponens, Hebraiſmi puritatem ignorare videtur. Si nullam excitavit iram, cur ſuperius ait, Audivit Dominus, & iratus eſt? Et ira Dei aſcendit in eis? & cetera hujuſmodi? Quaſi dicat, inquit, nihil iræ retinuit. Væ illis, ſi totam effudiſſet, & nihil ex ea retinuiſſet. Decipitur autem Genebrardus, & ceteri credentes, Deum non excitantem totum furorem ſuum adhuc iratum eſſe. In Deo iram non cadere, quis ignorat? Sed fictione poetica per quam eleganti fingitur, Deum iræ theſauros habere plenos, ex quibus eductam in mortales effundat, modo majori copia, & modo minori, prout ejus ordinationi videtur. Quod ſi minimas irarum copias emittat, & reliquam retineat, illud non ſtatim ſequitur, Deum adhuc iratum eſſe, ſed adſcribendum miſericordiæ, quod totam furoris vim non effuderit. Habet Deus, unde puniat ſceleſtos ira, licet iratus non ſit. Hæc dicta ſint propter eos, qui non intelligentes Hebraiſmos, in alienos ſenſus eos convertunt. Non excitare totum furorem igitur eſt eum cohibere, ne totus in ſceleſtos invadat. Noſtri alia accendendi translatione uſi ſunt; nam ira videtur eſſe quidam ignis, & calor. Idem autem ſenſus.

39. *Caro*. Infirma, peccatis, & miſeriis obnoxia. *Spiritus*. Genebrardo ventum ſignificat, qui flans diſpereat, nec ad ſua revertatur principia. Non abſurde penitus animas exponas, quæ poſt mortem ad corpus ex ſui natura non valent redire, qua de cauſſa digni ſunt homines, ut Deus eorum miſereatur. *Vadens*. Vel Euntis. *Et non rediens*. Hebræus futuro: Et non redibit. Noſtri de ſpiritu, qui non revertatur ad corpus, niſi Deus juſſerit. Hebræa autem lectio poteſt etiam intelligi de carne, corpore, quod conſumptum renovari nequit, niſi jubente Deo, quam ob rem ſpiritus divina indiget miſericordia. Idem fere ſenſus.

40. *Exacerbaverunt eum*. Contrafacientes ejus dicta, ut Hebræus habet. Lege ſacras Hiſtorias. *In iram concitaverunt*. Non longe aliter Hebræus: Dolere fecerunt, dolore affecerunt. Humano more de Deo loquitur, quaſi dolorem ei afferant peccata, & prævaricationes. *In inaquoſo*. Hebræus. In Jeſimon. Solitudinis immenſæ nomen. Nullius momenti variatio.

41. *Reverti*, *&* *tentare*, Hebraiſmus, pro Rurſum tentare. *Exacerbaverunt*. Translatio ſenſus, Hebræus: Signarunt, ſignum fecerunt ſanctum Iſraelis, dicentes videlicet, ſi poterit hoc, & hoc efficere, Deus eſt omnipotens; ſecus, ſi non poterit niſi quædam minima. Genebrardus neſcio quid aliud limitationis, & crucis affert, ſed coactius.

42. *Non*. Græcus addit *καὶ*.

43. *Sicut*. Quaſi legerint Noſtri בַּאֲשֶׁר, quod nunc Hebræis eſt אֲשֶׁר, Qui. Minima variatio.

44. *In ſanguinem*. Sic Hebræus dativo: Sanguini. *Imbres*. Sic a fluendo dicti. Nam Hebræus, Fluenta, rivos, habet. Nullius fere momenti variatio. *Biberent*. Sic Hebræus futuro: Bibent.

45. *Cœnomyiam*. Muſcam caninam. Vox autem hebræa generalior eſt, nam ſignificat omnia animalium genera, ut ſunt lupi, canes, muſcæ, pulices, & hujuſmodi alia. Vide Theſaurum. *Comedit*. Et conſumpſit eos, & eorum fructus. *Ranam*. Collective: Ranas, vel crocodilos, ut aliquibus placet, qui diſperdiderunt, corruperunt eos. Conſule Theſaurum.

46. *Ærugini*. Vitium frugum. Hebræus: Brucho, ex Locuſtarum ſpecie.

Non magni momenti varietas. *Fructus.* Hebræus ſingulariter: Fructum eorum. *Labores.* Hebræus iterum ſingulariter: Et laborem eorum locuſtæ. Collective. Bruchis, locuſtis.

47. *Et occidit.* Arbitror, Noſtros facili tranſitu Jod in Vav legiſſe וְהָרַג, quod nunc Hebræis eſt futurum יַהֲרֹג, occidet, poetice dictum. Græcus etiam ſine conjunctione. *Vineas.* Hebræus ſingulariter collective: Vitem, vites eorum. Etiam plantæ vivunt ſuo modo, ideſt, vita vegetabili. *Moros.* Hebræus: Sycomoros, ficuum ſilveſtrium genus in Ægypto abundans. *Pruina.* Vel Grandine. Incertum eſt, quid vox hebræa proprie ſignificet. Conſule Theſaurum.

48. *Tradidit.* Sic Hebræus: Concluſit grandini. Idiotiſmus ſatis ornatus. *Jumenta.* Hebræus ſingulariter collective: Jumentum eorum. *Poſſeſſionem.* Pecudum præcipue. Sic enim Hebræus pluraliter: Pecora, greges eorum. *Igni.* Hebræus idem, ſed pluraliter: Prunis, carbonibus ignitis, nempe fulguribus, & ignitis tempeſtatibus.

49. *Miſit.* Dimiſit, libere permiſit ire. *Iram indignationis ſuæ.* Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Furorem naſi ſui. *Indignationem, & iram.* Hebræus: Iram, & indignationem. Hæc omnia ſunt ſynonyma immenſam iram indicantia. Conſule Theſaurum. *Immiſſiones.* Noſtri fortaſſe mutatis punctis legerunt מִשְׁלָחוֹת, quod nunc eſt ſingulare: Immiſſionem. *Per Angelos malos.* Hebræus in regimine: Angelorum, per Angelos malorum. Eſt autem duplex ſenſus, nam Angeli malorum poſſunt intelligi cacodæmones, mali ſpiritus, ut Noſtris placet, vel qui mala inferant juſſu Dei, licet ipſi boni ſint, ut Angeli Sodomam evertentes, & alibi; quod notes velim.

50. *Viam fecit, &c.* Idem ſenſus in hebraico tropo, licet futuro: Librabit ſemitam naſo ſuo. Ut recte poſſet in hoſtes furor incedere, ſemitam tamquam adhibita lance direxit, iter libratum, & æque diſpoſitum reddidit. *Animabus.* Sic Hebræus ſingulari: Animæ eorum non pepercit a morte; quominus eos morti traderet. *Jumenta eorum.* Hebræus ſingulariter: Animal, jumentum, animans, vel vitam, quod alienum eſſe, neſcio qua ratione Genebrardus autumat. Vox hebræa ſignificat plura, ſicut in Theſauro diximus. Si Jumenta transferas, pronomen referendum eſt ad Ægyptios; at, ſi vitam interpreteris, ad jumenta, de quibus verſ. 48. agitur, neceſſum eſt referas; neque tamen video, cur aliena ſit, uti Genebrardus vellet, hæc interpretatio. *In morte.* Tranſlatio ſenſus. Hebræus mortis genus exprimit, dativo: Peſti, peſtilentiæ concluſit eorum jumenta, vitam ſcilicet.

51. *Omne primogenitum.* Hominum ſcilicet. In Hebræo eſt maſculini generis. Omnem primogenitum. *Terra.* Non habetur in Hebræo, ſed tantum, In Ægypto; quod nihil refert. *Primitias.* Hebræus ſingulariter: Principium, primitiam. *Omnis.* Non habetur in Hebræo. *Laboris eorum.* Noſtri mutatis punctis vocalibus facili tranſitu legerunt אוֹנָם (Sic pſal. 105. 36.) deducentes ab אָוֶן, pravitate forſitan, quam pravitatem laborem in malam partem exponunt, quod nunc Hebræis eſt plurale אוֹנִים, fortitudinum, ab אוֹן ſcilicet deductum. Eſt autem periphraſis primogenitorum, qui principium ſunt virilitatis patrum. *Cham.* Ideſt, Ægyptiorum, qui ab atavo Hamo ducunt originem. Vide Gen. 10.

52. *Et abſtulit.* Idem Hebræus: Proficiſci fecit; ex Ægypto ſcilicet. *Oves.* Hebræus ſingulariter collective: Ovem. Metaphora a paſtoribus ſumpta.

53. *Et eduxit.* Hebræus: Deduxit. Minima varietas. *In ſpe.* Hebræus dativo, ſuo tropo: Fiduciæ, quæ ſine ſpe non eſt; confidenter, audacter.

54. *Induxit.* Sic Hebræus: Adduxit, venire fecit eos. *In montem.* Fortaſſe Noſtri legerunt אֶל הַר, Ad montem; quod nunc Hebræis eſt אֶל גְּבוּל,

Ad

Ad terminum, limitem. Minimi momenti varietas. *Sanctificationis*. Sanctitatis ejus, ubi maxime relucet ejus ſanctitas. *Montem*. Hebræus addit emphatice pronomen Hunc. Judæa magna ex parte montoſa recte Mons appellatur. Vel templi montem innuit, quem acquiſivit Deus jam uſque a principio, tandemque bello ejectis Chananæis, illum ſanctificavit, & conſecravit pro ſede religionis primaria.

55. *A facie*. Hebræus pluraliter: A faciebus. *Et ſorte diviſit eis*. Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Et cadere fecit eos. Immiſſa ſorte videlicet. *Terram*. Ad declarationem additum. *Diſtributionis*. Translatio ſenſus. Hebræus: Poſſeſſionis. Quæ adhibito funiculo menſorio diſtribuebatur. Cadere facere aliquem in funiculo poſſeſſionis, eſt Poſſeſſionem funiculo dimenſam ei tribuere. Antiquitus metiebantur funibus. Sic ſuperius pſalmo 16. 6. Funes ceciderunt mihi in præclaris. Conſule Theſaurum.

56. *Exacerbaverunt*. Contrafacientes, ut Hebræus habet, & ejus mandata non obſervantes. Sic ſuperius verſ. 17. *Teſtimonia*. Obteſtationes. Legis epithetum.

57. *Et averterunt ſe*. Idem Hebræus: Retro abierunt, retro ceſſerunt. *Et non ſervaverunt pactum*. Translatio ſenſus. Hebræus: Et rebellarunt, prævaricati ſunt. *In arcum pravum*. Quaſi legerint Noſtri facili tranſitu Caph in Beth בְּקֶשֶׁת, in arcum, in modum arcus; quod nunc Hebræis eſt כְּקֶשֶׁת, ſicut arcus pravus, fallax, qui rumpitur tendendo, vel aberrat a ſcopo.

58. *In iram, &c.* Hebræus addit conjunctionem: Et provocarunt, irritarunt eum in collibus, in excelſis, in quibus, ædificatis altaribus, tamquam in templis, ſacrificabant. Lege ſacras Hiſtorias. *Ad æmulationem, &c.* Sic Hebræus futuro: Æmulari, zelari facient eum; ad maximam indignationem, & zelum eum provocarunt.

59. *Et ſprevit*. Hebræus: Succenſuit, iratus eſt; propter quam indignationem illos etiam ſprevit. Non maxima varietas. *Et ad nihilum redegit*. Suſpicor, Noſtros facili tranſitu vocis legiſſe נָמֵס, & liquefecit, liqueſcere fecit; quod nunc Hebræis eſt נִמְאַס, & ſprevit, contempſit. Quam nihilominus varietatem non multum referre crederem. *Iſrael*. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ.

60. *Et repulit*. Idem ſenſus in Hebræo: Et projecit tabernaculum Silo, in quo ſervabatur arca fœderis. *Suum, ubi*. Ad declarationem addita. *Habitavit*. Noſtri procul dubio punctis immutatis legerunt in Cal שָׁכַן; & ob id addiderunt, *Ubi*, neceſſario; qnod nunc Hebræis eſt ex pihel שִׁכֵּן, alium efficiens ſenſum. Tabernaculum, inquit, quod collocavit, poſuit, manere fecit. *In hominibus*. Hebræus ſingulariter collective: In homine, inter homines. Non magni momenti varietas.

61. *In captivitatem*. Hebræus dativo, ſuo loquendi tropo: Dedit captivitati. *Virtutem eorum, & pulcritudinem eorum*. Quaſi legerint Noſtri facili tranſitu עֻזָּם וְתִפְאַרְתָּם (quam dictionem primam, vidimus alias eos interpretari Virtutem), quæ nunc Hebræis ſunt עֻזּוֹ וְתִפְאַרְתּוֹ, fortitudinem, robur ſuum, & pulcritudinem ſuam. Arcæ fœderis epithetum. Vel certe ſententiam mutarunt Noſtri, quod illa Dei fortitudo, & decus, ad utilitatem, & ſalutem populi conſerebatur. Nulla varietas. *In manus*. Hebræus ſingulariter: In manum. *Inimici*. Tribulantis, afflictionem inferentis, ut Hebræus habet; quod nihil refert.

62. *In gladio*. Hebræus dativo, ſuo modo: Gladio concluſit, objecit populum ſuum *Hereditatem*. Hebræus addit præpoſitionem In. *Sprevit*. Propter indignationem, & iram conceptam. Hebræus enim habet, Succenſuit, ut ſuperius verſ. 59.

63. *Juvenes eorum*. Hebræus ſingulariter pronomine: Ejus, populi ſcilicet, vel Dei; ſuos. Ignem comedere aliquos,

metaphorice eſt, Indignatione divina conſumi bello, & hujuſmodi. *Virgines eorum*. Hebræus: Ejus, ut ſuperius. *Non ſunt lamentatæ*. Paſſive: Non fuerunt ejulatæ, deploratæ, ſingulis in ſuis calamitatibus deplorandis occupatis. Noſtri verbum hebræum deducunt a radice לל, ut ſit Hophal, quod non eſt penitus abſurdum, ſed tunc Lamed primum non debet Dages affici, ut in grammaticis rebus de quieſcentibus phe jod docetur. Hebræis autem hodiernis eſt puhal radicis הלל, & hac de cauſſa lamed dageſſant, ideſt, Non fuerunt laudatæ, epithalamium non fuit illis decantatum, quoniam ante nuptias vel in ſervitutem adductæ, vel interfectæ, vel ſaltem ſponſis orbatæ ſunt. Non magni momenti varietas.

64. *Sacerdotes eorum, & viduæ eorum*. Hebræus ſemper ſingulariter: Ejus, ut ſuperius. *Plorabantur*. Quaſi legerint Noſtri punctis immutatis verbum in Niphal תִּבָּכֶינָה, quod nunc Hebræis eſt futurum ex Cal תִּבְכֶּינָה, plorabunt. Nec a viduis, inquit, defleti ſunt, vel propter malorum immenſitatem, vel quod non eſſent ſuperſtites, ut caſum maritorum deflerent. Fortaſſis mortem Ophni, & Phinees, & uxoris hujus innuit, ut in libris Regum ſcribitur.

65. *Crapulatus*. Qui vino madidus omnia clamoribus miſcet. Idem ſenſus in Hebræo. Ovans, jubilans, & exſultans exhilaratus a vino. Græcus addit *καί*. Experrectus a ſomno, & exhilaratus a vino majora, & ſine diſcrimine infligunt vulnera.

66. *Inimicos*. Hebræus: Tribulantes, affligentes. Minima varietas. *In poſteriora*. Hebræus: Retro, vel tandem ſcilicet, vel in poſteriorem partem, ut morbum natium Philiſtinorum innuat. *Sempiternum*. Idem Hebræus genitivo, ſuo more: Seculi. Dare opprobrium ſeculi, eſt Ignominiam æternam, quam numquam eluere poſſis, imponere.

67. *Repulit*. Non longe aliter Hebræus: Sprevit, contempſit. *Tabernaculum, tribum*. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ

68. *Sed*. Hebræus conjunctione: Et; quod nihil refert. Sic Græcus, *καί*.

69. *Sicut unicornium*. Noſtri punctis immutatis legerunt כִּמוֹ רְאֵים, In ſimilitudinem monocerotis, quod facit ad crucis myſterium, ut quidam annotarunt. Hebræi hodierni legunt כְּמוֹ רָמִים, ſicut altitudines, excelſa; ideſt, ſuperbum, & excelſum. Idem fere ſenſus in Noſtris, nam cornu unicornis eſt pretioſum, ſumptuoſum, & elevatum. *Sanctificium*. Sanctuarium, templum propter communionem ſacramentorum homines ſanctificans. *In terra*. Noſtri facili tranſitu Caph in Beth legerunt בָּאָרֶץ, quod nunc Hebræis eſt כְּאֶרֶץ, velut terra, firmum, & ſtabile. *Quam fundavit*. Idem Hebræus ſua ſyntaxi propria: Quam fundavit eam. Pronomen Eam latine vacat. *In ſeculum*. Hebræus ſingulariter, & dativo: Seculo, in ſeculum.

70. *David*. Hebræus addit præpoſitionem In. *Et ſuſtulit eum, &c.* Non aliter fere Hebræus: Et accepit eum de caulis ovis, ovium.

71. *Accepit eum*. Hebræus: Venire fecit, adduxit eum de poſt fœtas oves, euntem poſt fœtas oves. *Paſcere*. Sic Hebræus gerundio: Ad paſcendum; ut paſceret, ut regeret. Paſtorum metaphora. *Jacob, Iſrael*. Hebræus addit præpoſitionem, In, de more linguæ, ſine varietate ſenſus.

72. *In innocentia*. Etiam hic Noſtri mutatione Caph in Beth quam faciliima legerunt כְּתוּם, quod nunc Hebræis eſt כְּתוֹם, ſecundum innocentiam, integritatem cordis, pro candore animi, mente integra, & ſincera. *Manuum*. Hebræus: Volarum, palmarum. Poetice dat intellectum manibus, idiotiſmo pulcherrimo in metaphora perſiſtens ovium, quas manu, & pede paſtor dirigit. *Deduxit*. Hebræus futuro: Deducet, reget, prudentem ſe illis ducem præbebit.

PSAL.

PSALMUS LXXIX. Lat. LXXVIII.

מזמור לאסף אלהים כאו
גוים בנחלתך טמאו את היכל
קדשך שמו את ירושלם לעיים:

1. *Pſalmus Aſaph.*
Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctitatis tuæ, poſuerunt Jeruſalem acervis.

1. Pſalmus Aſaph.
Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam.

נתנו את נבלת עבדיך ס
מאכל לעיף השמים בשר ח
חסידך לחיתו ארץ:

2. *Dederunt cadaver ſervorum tuorum cibum volatili cæli, carnes piorum tuorum beſtiæ terræ.*

2. Poſuerunt morticina ſervorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ.

שפכו דמם כמים סביבות
ירושלם ואין קובר:

3. *Effuderunt ſanguinem eorum tamquam aquam circuitibus Jeruſalem, & non erat ſepeliens.*

3. Effuderunt ſanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jer..ſalem, & non erat, qui ſepeliret.

היינו חרפה לשכנינו לעג
וקלס לסביבותינו:

4. *Fuimus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio, & illuſio circuitibus noſtris.*

4. Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt.

עד מה יהוה תאנף לנצח
תבער כמו אש קנאתך:

5. *Uſquequo DOMINE iraſceris victoriæ? accendetur velut ignis zelus tuus?*

5. Uſquequo DOMINE iraſceris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus?

שפוך חמתך אל הגוים אשר
לא ידעוך ועל ממלכות אשר
בשמך לא קראו:

6. *Effunde iram tuam ad gentes, quæ te non noverunt, & ſuper regna, quæ in nomen tuum non vocaverunt.*

6. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.

כי אכל את יעקב ואת נוהו
השמו:

7. *Quia comedit Jacob, & habitaculum ejus deſolaverunt.*

7. Quia comederunt Jacob, & locum ejus deſolaverunt.

אל הזכר לנו עונת ראשנים
מהר יקדמונו רחמיך כי דלונו
מאד:

8. *Ne memineris nobis iniquitatum priorum, cito anticipabunt nos miſericordiæ tuæ, quia attenuati ſumus valde.*

8. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

עזרנו אלהי ישענו על דבר
כבוד שמך והצילנו וכפר על
חטאתינו למען שמך:

9. *Adjuva nos Deus ſalutis noſtræ ſuper verbo gloriæ nominis tui, & libera nos, & expia ſuper peccatis noſtris, propter nomen tuum.*

9. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui *Domine* libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

10. Ne

למה יאמרו בגוים איה א
אלהיהם יודע בגוים לעינינו
נקמת דם עבדיך השפוך:

10. *Quare dicent in gentibus, ubi eſt Deus eorum? innoteſcet in gentibus oculis noſtris ultio ſanguinis ſervorum tuorum effuſi.*

10. Ne forte dicant in gentibus, ubi eſt Deus eorum? & innoteſcat in nationibus *coram* oculis noſtris.
Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt.

תבוא לפניך אנקת אסיר כגדל
זרועך הותר בני תמותה:

11. *Veniet facieb‍us tuis gemitus vincti, ſecundum magnitudinem brachii tui reliquos fac filios mortis.*

11. Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.
Secundum magnitudinem brachii tui, poſſide filios mortificatorum.

והשב לשכנינו שבעתים אל
חיקם חרפתם אשר חרפוך א
ארני:

12. *Et reduc vicinis noſtris ſeptuplum ad ſinum eorum, improperium ipſorum, quo exprobraverunt te Domine.*

12. Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum improperium ipſorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

ואנחנו עמך יצאן מרעיתך
נודה לך לעולם לדור ודור
נספר תהלתך:

13. *Nos autem populus tuus, & ovis paſcuæ tuæ confitebimur tibi ſeculo, generationi, & generationi narrabimus laudem tuam.*

13. Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ confitebimur tibi in ſeculum.
In generationem, & generationem annunciabimus laudem tuam.

ANNOTATIONES.

EAndem quæſtionem, quam in duobus pſalmis ſuperioribus digeſſerat, tractans, pollutionem Urbis, & templi, fideliumque cædes deplorando, parem vicem gentibus imprecatur, & Deo laudes promittens, auxilium tandem ſibi ferri, carmine querelarum pleno depoſcit. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *Sanctum tuum*. Sic Hebræus ſubſtantivo nomine, de more linguæ: Sanctitatis tuæ. *In pomorum cuſtodiam*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, quamvis conjectare non valeam, quid legerint. Niſi malles eos ſenſum, non verbum tranſtuliſſe. Ideſt, ex nobili, & faſtoſa Urbe in humiles, & ruſticas caſas, & tuguria, in quibus poma, & fructus cuſtodiuntur, eam redegerunt. Vox hebræa graviorem etiam calamitatem ſignificat, nempe domorum collapſarum ruinas, quales Romæ viſuntur in ædificiis antiquis. Poſuerunt, inquit, Jeruſalem acervis, eam deſtruentes, domos, & palatia redegerunt in acervos lapidum, in rudera, ut jam prope inhabitabilis lentibus tantum ſerendis apta ſit.

2. *Poſuerunt*. Idem Hebræus ſuo tropo: Dederunt. *Morticina*. Quaſi legerint punctis immutatis נְבָלוֹת, cadavera, quod nunc Hebræus ſingulariter, collective legit: Cadaver ſervorum tuorum fidelium. *Eſcas volatilibus*. Hebræus ſingulariter: Eſcam, cibum volucri, avi cælorum. *Sanctorum*. Sic interpretantur Noſtri vocem hanc hebraicam, ut ſæpius vidimus: Piorum. Conſule Theſaurum. *Beſtiis*. Hebræus ſingulariter collective: Beſtiæ, feris. Vo-

cat

cat autem fideles omnes ſervos, & pios Dei, profeſſione religionis, & fidei, & non tantum ratione vitæ, & morum.

3. *In circuitu.* Hebræus pluraliter ſine præpoſitione: Circuitibus, per circuitus Jeruſalem undequaque ſanguinis maxima copia ſundebatur, ut aquam, non ſanguinem per vias fluere crederes. *Qui ſepeliret.* Idem Hebræus: Sepeliens. Exaggerat barbariem prope Scythicam.

4. *Facti ſumus.* Sic Hebræus: Fuimus. *His, qui, &c.* Hebræus ſuo tropo continens pro contento ponit: Circuitibus noſtris; per omnes hos circuitus. *Sunt.* Subintellectum, quod nec in Græco habetur.

5. *In finem.* Hebræus ſuo tropo: Victoriæ, in victoriam, in finem, in perpetuum. *Zelus.* Vehemens indignatio tua, velut ignis, ardebit.

6. *In gentes.* Hebræus: Ad gentes, Super gentes. Nulla variatio. Sic *In regna.* Hebræus: Super regna. *Quæ nomen, &c.* Hebræus ſuo tropo nomini, non verbo præpoſitionem addit: Quæ in nomen tuum non vocaverunt.

7. *Comederunt.* Quaſi legerint Noſtri אכלו, quod nunc Hebræis eodem ſenſu eſt ſingulare אָכַל, Comedit, conſumpſit, perdidit, quilibet hoſtium videlicet. *Et locum ejus.* Non aliter Hebræus collective: Habitaculum, domicilium ejus in ſolitudinem, & vaſtitatem redegerunt.

8. *Iniquitatum noſtrarum.* Idem fere ſenſus in Hebræo, licet Noſtri pronomen hoc, quod Hebræus ad verbum tropo ſatis ornato refert, nomini conjunxerint: Ne memineris nobis, ne imputes nobis iniquitates. *Antiquarum.* Hebræus: Primorum, majorum noſtrorum. Vel primas a nobis ab ineunte ætate perpetratas. *Anticipent.* Idem Hebræus futuro: Anticipabunt. Miſericordiam prævenire aliquem eſt idiotiſmus ornatus, ut in Theſauro. *Pauperes facti ſumus.* Hebræus: Attenuati ſumus, & viribus, & opibus, afflicti, & miſeri. *Nimis.* Hebræus: Valde. Varietates minimæ.

9. *Salutaris noſter.* Sic transferre vocem hanc Noſtros, ſæpius vidimus. Reddunt autem nominativo, quaſi legerint אֱלֹהִים, quod nunc Hebræis eſt in regimine אֱלֹהֵי יִשְׁעִי, Deus ſalutis, auxilii mei, cui patrocinium, & auxilium meum refero. *Et.* Non habetur in Hebræo, nec in græco; nam ſequentia verba ſuperiori ſententiæ connectuntur, conjunctio vero ſequenti verbo *Libera* additur. Sed hoc parum, vel nihil ſenſum immutat. *Propter gloriam.* Hebræus idem ſuo tropo: Super verbo, re, facto gloriæ. *Domine.* Ad declarationem additum. *Et propitius eſto.* Non alius in Hebraicis ſenſus: Et expia, peccatum aufer, & ſic propitius eris. *Peccatis.* Hebræus addit præpoſitionem, Super, de more linguæ.

10. *Ne forte dicant.* Hebræus interrogative, & futuro: Cur dicent? Nullius momenti variatio. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Nationibus.* Gentibus. Idem vocabulum cum ſuperiori. *Coram.* Non habetur in Hebræo, ſed tantum dativo: Oculis noſtris, nobis videntibus. *Ultio.* Diſcordantia generis inter nomen, & verbum, nam Ultio eſt femininum, & Innoteſcat maſculinum; verum ſyntheſis hoc attulit. Ultio ſanguinis, ſanguis ultus. Vel certe Innoteſcat (ſupple, te eſſe inter nos) ultione ſanguinis, &c, & ſic nulla erit diſcordantia. *Qui effuſus eſt.* Sic Hebræus: Sanguinis effuſi.

11. *Introeat.* Hebræus futuro: Veniet. *In conſpectu ſuo.* Hebræus ſuo loquendi modo: Faciebus tuis. *Compeditorum.* Hebræus ſingulariter collective: Compediti, vincti, vinculis, vel captivitate oppreſſi. Magnitudo brachii, metaphora omnipotentiam Dei ſignificans. *Poſſide.* Translatio ſenſus. Hebræus: Reliquos, ſuperſtites fac, exime a morte, conſerva, vendica, aſſere, nam mortuos eos non poſſideres. *Filios*

mor-

Digitized by Google

למה יאמרו בגוים . איה א
אלהיהם יודע בגיים לעינינו
נקמת דם עבדיך השפוך :

10. *Quare dicent in gentibus, ubi eſt Deus eorum? innoteſcet in gentibus oculis noſtris ultio ſanguinis ſervorum tuorum effuſi.*

10. Ne forte dicant in gentibus, ubi eſt Deus eorum? *&* innoteſcat in nationibus *coram* oculis noſtris.

Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt.

תבוא לפניך אנקת אסיר כגדל
זרועך הותר בני תמותה:

11. *Veniet faciebus tuis gemitus vincti, ſecundum magnitudinem brachii tui reliquos fac filios mortis.*

11. Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, poſſide filios mortificatorum.

והשב לשכנינו שבעתים אל
חיקם חרפתם אשר חרפוך א
אדני :

12. *Et reduc vicinis noſtris ſeptuplum ad ſinum eorum, improperium ipſorum, quo exprobraverunt te Domine.*

12. Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum improperium ipſorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

ואנחנו עמך וצאן מרעיתך
נודה לך לעולם לדור ודור
נספר תהלתך :

13. *Nos autem populus tuus, & ovis paſcuæ tuæ confitebimur tibi ſeculo, generationi, & generationi narrabimus laudem tuam.*

13. Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ confitebimur tibi in ſeculum.

In generationem, & generationem annunciabimus laudem tuam.

ANNOTATIONES,

EAndem quæſtionem, quam in duobus pſalmis ſuperioribus digeſſerat, tractans, pollutionem Urbis, & templi, fideliumque cædes deplorando, parem vicem gentibus imprecatur, & Deo laudes promittens, auxilium tandem ſibi ferri, carmine querelarum pleno depoſcit. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *Sanctum tuum*. Sic Hebræus ſubſtantivo nomine, de more linguæ: Sanctitatis tuæ. *In pomorum cuſtodiam*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, quamvis conjectare non valeam, quid legerint. Niſi malles eos ſenſum, non verbum tranſtuliſſe. Ideſt, ex nobili, & faſtoſa Urbe in humiles, & ruſticas caſas, & tuguria, in quibus poma, & fructus cuſtodiuntur, eam redegerunt. Vox hebræa graviorem etiam calamitatem ſignificat, nempe domorum collapſarum ruinas, quales Romæ viſuntur in ædificiis antiquis. Poſuerunt, inquit, Jeruſalem acervis, eam deſtruentes, domos, & palatia redegerunt in acervos lapidum, in rudera, ut jam prope inhabitabilis lentibus tantum ſerendis apta ſit.

2. *Poſuerunt*. Idem Hebræus ſuo tropo: Dederunt. *Morticina*. Quaſi legerint punctis immutatis נְבָלוֹת, cadavera, quod nunc Hebræus ſingulariter, collective legit: Cadaver ſervorum tuorum fidelium. *Eſcas volutilibus*. Hebræus ſingulariter: Eſcam, cibum volucri, avi cælorum. *Sanctorum*. Sic interpretantur Noſtri vocem hanc hebraicam, ut ſæpius vidimus: Piorum. Conſule Theſaurum. *Beſtiis*. Hebræus ſingulariter collective: Beſtiæ, feris. Vocat

cat

cat autem fideles omnes ſervos, & pios Dei, profeſſione religionis, & fidei, & non tantum ratione vitæ, & morum.

3. *In circuitu.* Hebræus pluraliter ſine præpoſitione: Circuitibus, per circuitus Jeruſalem undequaque ſanguinis maxima copia fundebatur, ut aquam, non ſanguinem per vias fluere crederes. *Qui ſepeliret*. Idem Hebræus: Sepeliens. Exaggerat barbariem prope Scythicam.

4. *Facti ſumus*. Sic Hebræus: Fuimus. *His, qui, &c.* Hebræus ſuo tropo continens pro contento ponit: Circuitibus noſtris; per omnes hos circuitus. *Sunt*. Subintellectum, quod nec in Græco habetur.

5. *In finem*. Hebræus ſuo tropo: Victoriæ, in victoriam, in finem, in perpetuum. *Zelus*. Vehemens indignatio tua, velut ignis, ardebit.

6. *In gentes*. Hebræus: Ad gentes, Super gentes. Nulla variatio. Sic *In regna*. Hebræus: Super regna. *Quæ nomen, &c.* Hebræus ſuo tropo nomini, non verbo præpoſitionem addit: Quæ in nomen tuum non vocaverunt.

7. *Comederunt*. Quaſi legerint Noſtri אָכְלוּ, quod nunc Hebræis eodem ſenſu eſt ſingulare אָכַל, Comedit, conſumpſit, perdidit, quilibet hoſtium: videlicet. *Et locum ejus*. Non aliter Hebræus collective: Habitaculum, domicilium ejus in ſolitudinem, & vaſtitatem redegerunt.

8. *Iniquitatum noſtrarum*. Idem fere ſenſus in Hebræo, licet Noſtri pronomen hoc, quod Hebræus ad verbum tropo ſatis ornato refert, nomini conjunxerint: Ne memineris nobis, ne imputes nobis iniquitates. *Antiquarum*. Hebræus: Primorum, majorum noſtrorum. Vel primas a nobis ab ineunte ætate perpetratas. *Anticipent*. Idem Hebræus futuro: Anticipabunt. Miſericordiam prævenire aliquem eſt idiotiſmus ornatus, ut in Theſauro. *Pauperes facti ſumus*. Hebræus: Attenuati ſumus, & viribus, & opibus, afflicti, & miſeri. *Nimis*. Hebræus: Valde. Varietates minimæ.

9. *Salutaris noſter*. Sic transferre vocem hanc Noſtros, ſæpius vidimus. Reddunt autem nominativo, quaſi legerint אֱלֹהִים, quod nunc Hebræis eſt in regimine אֱלֹהֵי יִשְׁעִי, Deus ſalutis, auxilii mei, cui patrocinium, & auxilium meum refero. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in græco, nam ſequentia verba ſuperiori ſententiæ connectuntur, conjunctio vero ſequenti verbo *Libera* additur. Sed hoc parum, vel nihil ſenſum immutat. *Propter gloriam*. Hebræus idem ſuo tropo: Super verbo, re, facto gloriæ. *Domine*. Ad declarationem additum. *Et propitius eſto*. Non alius in Hebraicis ſenſus: Et expia, peccatum aufer, & ſic propitius eris. *Peccatis*. Hebræus addit præpoſitionem, Super, de more linguæ.

10. *Ne forte dicant*. Hebræus interrogative, & futuro: Cur dicent? Nullius momenti variatio. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Nationibus*. Gentibus. Idem vocabulum cum ſuperiori. *Coram*. Non habetur in Hebræo, ſed tantum dativo: Oculis noſtris, nobis videntibus. *Ultio*. Diſcordantia generis inter nomen, & verbum, nam Ultio eſt femininum, & Innoteſcat maſculinum; verum ſyntheſis hoc attulit. Ultio ſanguinis, ſanguis ultus. Vel certe Innoteſcat (ſupple, te eſſe inter nos) ultione ſanguinis, &c, & ſic nulla erit diſcordantia. *Qui effuſus eſt*. Sic Hebræus: Sanguinis effuſi.

11. *Introeat*. Hebræus futuro: Veniet. *In conſpectu tuo*. Hebræus ſuo loquendi modo: Faciebus tuis. *Compeditorum*. Hebræus ſingulariter collective: Compediti, vincti, vinculis, vel captivitate oppreſſi. Magnitudo brachii, metaphora omnipotentiam Dei ſignificans. *Poſſide*. Translatio ſenſus. Hebræus: Reliquos, ſuperſtites fac, exime a morte, conſerva, vendica, aſſere, nam mortuos eos non poſſideres. *Filios*

mor-

mortificatorum. Hebræus: Filios mortis. Hos, qui occiſis parentibus ſuperſunt, exponunt Noſtri. Hebræi vero morti deſtinatos intelligunt, ideſt, jam jam interficiendos.

12. *Et redde*. Reduc, redire fac. Græcus ſine conjunctione. *In ſinu*. Hebræus: Ad ſinum. *Quod exprobraverunt tibi*. Hebræus: Quo exprobraverunt te. Nulla varietas. Eſt autem Hyſterologia ſic ordinanda. Redde vicinis noſtris ad ſinum improperium ipſum, quo te exprobraverunt ſeptuplum, copioſe, ut ſupplicium eorum noſtram hanc calamitatem gravitate ſuperet.

13. *Oves*. Hebræus ſingulariter collective: Ovis, paſcuæ. Idiotiſmus. Qui a te regimur. *In ſeculum*. Hebræus dativo: Seculo, in æternum. *In generationem, & generationem*. Hebræus iterum dativo: Ætati, & ætati; per ſingulas ætates. *Annunciabimus*. Non longe aliter Hebræus: Narrabimus laudem tuam, te in perpetuum celebrantes.

PSALMUS LXXX. Latinis LXXIX.

למנצח אל שושנים עדות לאסף מזמור:	1. *Præfecto ad Lilia teſtimonium Aſaph, pſalmus*.	1. In finem pro his, qui commutabuntur, teſtimonium Aſaph, pſalmus.
רעה ישראל האזינה נהג כ בצאן יוסף ישב הכרבים ה הופיעה:	2. *O paſtor Iſrael auſculta, ducens velut ovem Joſeph; ſedens Cherubim ſplendeſce*.	2. Qui regis Iſrael intende, qui deducis velut ovem Joſeph. Qui ſedes *ſuper* Cherubim, maniſeſtare
לפני אפרים ובנימן ומנשה עוררה את גבורתך ולכה ל לישעתה לנו:	3. *Faciebus Ephraim, & Benjamin, & Manaſſe, excita potentiam tuam, & perge ſaluti nobis*.	3. coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe. Excita potentiam tuam, & veni, ut ſalvos facias nos.
אלהים השיבנו והאר פניך ונושעה:	4. *Deus reduc nos, & lucere fac faciem tuam, & ſalvi erimus*.	4. Deus converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.
יהוה אלהים צבאות עד מתי עשנת בתפלת עבדך:	5. *DOMINE Deus ſabaoth quouſque fumaſti in orationem ſervi tui?*	5. DOMINE Deus virtutum quouſque iraſceris ſuper orationem ſervi tui?
האכלתם לחם דמעה ותשקמו בדמעות שליש:	6. *Cibaſti eos pane lacrimæ, & potaſti eos in lacrimis tertiario*.	6. Cibaſti nos pane lacrimarum, & potum dabis nobis in lacrimis, in menſura.
תשימנו מדון לשכנינו ו ואיבנו ילעגו למו:	7. *Pones nos jurgium vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannabunt ſibi*.	7. Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannaverunt nos.
אלהים צבאות השיבנו והאר פניך ונושעה:	8. *Deus ſabaoth reduc nos, & fac lucere faciem tuam, & ſalvi erimus*.	8. Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

9. Vi-

גפן ממצרים תסיע תגרש גוים ותטעה׃	9. *Vineam de Ægypto amovebis, ejicies gentes, & plantaſti eam.*	9. Vineam de Ægypto tranſtuliſti, ejeciſti gentes, & plantaſti eam.
פנית לפניה ותשרש שרשיה ותמלא ארץ׃	10. *Repurgaſti faciebus ejus, & radicavit radices ſuas, & implevit terram.*	10. Dux itineris fuiſti in conſpectu ejus, & plantaſti radices ejus, & implevit terram.
כסו הרים צלה וענפיה ארזי אל׃	11. *Operti ſunt montes umbra ejus, & ramis ejus cedri Dei.*	11. Operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei.
תשלח קצירה עד ים ואל נהר יונקותיה׃	12. *Extendet palmites ſuos uſque ad mare, & ad flumen propagines ejus.*	12. Extendit palmites ſuos uſque ad mare, & *uſque* ad flumen propagines ejus.
למה פרצת גדריה וארוה כל עברי דרך׃	13. *Ut quid deſtruxiſti maceriam ejus? & decerpſerunt eam omnes tranſeuntes viæ?*	13. Ut quid deſtruxiſti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?
יכרסמנה חזיר מיער וזיז שדי ירענה׃	14. *Ingurgitabit eam porcus de ſilva, & ſplendorem agri depaſcet (eum).*	14. Exterminavit eam aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.
אלהים צבאות שוב נא הבט משמים וראה ופקד גפן זאת׃	15. *Deus ſabaoth redi quæſo, reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam.*	15. Deus virtutum convertere, reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam.
וכנה אשר נטעה ימינך ועל בן אמצתה לך׃	16. *Et baſim, quam plantavit dextera tua, & ſuper filium confirmaſti tibi.*	16. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, & ſuper filium *hominis, quem* confirmaſti tibi.
שרפה באש כסוחה מגערת פניך יאבדו׃	17. *Incenſa in igne, excisa, ab increpatione facierum tuarum peribunt.*	17. Incenſa igni, & ſuffoſſa, ab increpatione vultus tui peribunt.
תהי ידך על איש ימינך על בן אדם אמצת לך׃	18. *Sit manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, ſuper filium hominis,* quem *confirmaſti tibi.*	18. Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, *quem* confirmaſti tibi.
ולא נסוג ממך תחיינו ובשמך נקרא׃	19. *Et non recedemus a te, vivificabis nos, & in nomine tuo vocabimus.*	19. Et non diſcedimus a te, vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.
יהוה אלהים צבאות השיבנו האר פניך ונושעה׃	20. *DOMINE Deus ſabaoth reduc nos, fac lucere faciem tuam, & ſalvi erimus.*	20. DOMINE Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

ANNOTATIONES.

Figuram vineæ, ideſt Eccleſiæ, & filii dexteræ Dei, Chriſti ſcilicet, carminibus elegantiſſimis quidem, ſed ejulatu, queſtu, & gemitu plenis decantans, fideles ab hoſtibus vexatos, quibus verbis iram Dei deprecentur, eodem

ſere cum tribus ſuperioribus pſalmis argumento, docet. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem.* Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pro his, qui commutabuntur.* Idem titulus habetur ſuperius pſalmo 41. Illic tamen Super liliis, hic autem Ad lilia dicitur. Ibi vide, & conſule Theſaurum.

2. *Qui regis.* Hebræus: O paſtor, paſcens, qui paſcis, & regis. Paſtoris, & ovium metaphoram accipit. *Intende.* Hebræus: Auſculta, aurem præbe. Nullius momenti varietas. *Qui deducis.* Ducens, ductor. *Ovem.* Collective: Oves, gregem. *Joſeph.* Judæos; quod Joſepho primogenituræ jus datum ſit (1. Paralip. 5.) nam primogenitus totam denominat familiam. *Qui ſedes ſuper Cherubim.* Idem Hebræus: Seſſor Cherubim, qui Cherubos inequitas, vel ad gloriam, vel certe ad celeriter eundum, ut ſit poetica locutio, equos alatos Deo tribuens. Quid ſint Cherubi, vide Theſaurum. *Manifeſtare.* Idem prope Hebræus: Illuceſce, ſplendeſce, & effulge, ſalutem celeriter afferens. Noſtri conjungunt ſequentia huic verbo; Hebræus vero ſequenti; quod parum, aut nihil referre crederem.

3. *Coram.* Idem Hebræus ſuo tropo: Faciebus. *Ephraim, &c.* Per Synecdochen totum Iſraelem intelligit, quod Rahelis filii nobiliores viderentur. Alias inſuper Ephraim nomine regnum Iſrael ſeptem tribus comprehendens intelligitur. Benjamin regnum Juda, continens duas tribus. Manaſſe tandem tres illas trans Jordanem tribus comprehendit. *Et veni, &c.* Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Et perge ſaluti, in auxilium nobis.

4. *Converte.* Non aliter fere Hebræus: Reduc nos, averſos videlicet, vel captivos, nos tibi reconcilia. Verſus intercalaris ter ad πάθος repetitus; ſed in hoc primo dicitur tantum Deus, in ſecundo Deus ſabaoth, in tertio Domine Deus ſabaoth; quod non ſine myſterio factum crederem. *Et oſtende.* Hebræus: Lucere fac, illuſtra faciem tuam. Idiotiſmus. Favorem vultu grato, & benevolentiam ſerena facie demonſtra. Chriſtus etiam eſt facies, & imago eſsentialis Dei.

5. *Virtutum.* Sic transferre Noſtros vocem hanc hebraicam, ſæpius vidimus. Transferunt autem genitivo, quod fortaſse legerint in regimine אֱלֹהֵי, quod nunc Hebræis eſt in ſtatu abſoluto אֱלֹהִים, Deus Exercitus; quaſi Sabaoth ſit epithetum Dei, licet ex uſu linguæ ſubintelligi poſset aliud אֱלֹהֵי, Deus, Deus exercituum. Locus tamen eſt obſervandus, nam propter hanc cauſſam arbitror, Eccleſiam noluiſſe interpretari vocem hanc, dum in ſacrificio Miſſæ dicitur, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domine, Deus, Sabaoth. Idem habetur inferius verſ. 8. 15. & 20. *Iraſceris.* Translatio ſenſus. Hebræus præterito: Fumaſti, fumum ex naſo præ ira projeciſti? *Super.* Hebræus: In, contra precem noſtram. *Servi.* Meam, qui ſervus tuus ſum, & pro ſalute populi deprecor. Vel eſt ſynecdoche numeri: Servorum tuorum. Sed prior expoſitio verior.

6. *Nos.* Quaſi legerint Noſtri facili tranſitu vocis הֶאֱכַלְתָּנוּ, quod nunc Hebræis eſt הֶאֱכַלְתָּם, Cibaſti eos, populum tuum ſcilicet. Nullius momenti varietas. *Lacrimarum.* Hebræus ſingulariter: Lacrimæ. Cibare pane lacrimę, idiotiſmus. Ideſt, quoties cibum ſumimus, lacrimas fundere cogimur propter ingentes calamitates, quæ nos obruunt. *Et potum dabis nobis.* Videntur etiam hic Noſtri legiſſe וְתַשְׁקֵנוּ, quod nunc Hebræis eſt וַתַּשְׁקֵמוֹ, & potaſti eos. Niſi malles, Noſtros tertiæ perſonæ per primæ pronomina ad perſpicuitatem expreſſiſſe. Idem ſenſus ubique. *In lacrimis.* Alter idiotiſmus. Lacrimas ipſas nos potaſti: propter calamitates quidem, & exſilia flere nimium cogimur, ut in ipſo etiam potu plus lacrimarum, quam meri, bibamus. *In menſura.* Abunde, largiter. Hebræus certam menſuram præ-

prægrandem ponit. Non ordinariis calicibus, ſed tertiario nobis propinaſti lacrimas. Conſule Theſaurum.

7. *Poſuiſti*. Idem Hebręus futuro: Pones. *In contradictionem*. Ut perpetuo rixentur, & pugnent contra nos. Idem ſenſus in Hebræo: Pones nos jurgium, contentionem vicinis noſtris, dum quiſquis nos ſibi expugnare cupit. *Subſannaverunt*. Idem Hebræus futuro: Subſannabunt. *Nos*. Quaſi legerint Noſtri facili vocis tranſitu לָנוּ, nobis, nos, quod nunc Hebræis eſt לָמוֹ, Sibi, inter ſe. Supple, nos. Minimi momenti variatio.

8. *Virtutum*. Hebræus: Sabaoth; exercitus, pluralis numeri, ut verſ. 5. Cetera vero, ut ſuperius verſ. 4. Ibi vide.

9. *Vineam*. Eccleſiam fidelium. Metaphora in ſcripturis nota, quam perſequitur uſque ad pſalmi finem. *Tranſtuliſti*. Idem Hebræus futuro: Amovebis, proficiſci facies. *Ejeciſti*. Sic Hebræus futuro: Ejicies gentes, Chananæos, & ceteros ſex populos, & in eorum loco fideles collocaſti.

10. *Dux itineris fuiſti*. Duxerunt verbum Noſtri ex ſignificatione פָּנִים, vultus, non inſulſe quidem penitus, pro Anteire, ducem ſe præbere. Hebræi hodierni Repurgare, omnia, quæ poſſent offendere, de medio tollere, exponunt, vulgo Sgombrare; quaſi faciem illius rei, quam repurgas, detegere. Non magni momenti varietas. *In conſpectu*. Hebræus ſuo tropo: Faciebus ejus. *Et plantaſti*. Noſtris verbum eſt ſecundæ perſonæ: Et radicaſti radices ejus, eam alte, & firmiter plantaſti; Hebræis vero tertiæ; Et radicavit radices ſuas. Idem ſenſus.

11. *Operuit*, *&c.* Quaſi legerint Noſtri facili vocis tranſitu כָּסָה, quod nunc Hebræis eſt ex pohal כֻּסּוּ, operti ſunt montes umbra ejus. Nulla ſenſus immutatio. *Et arbuſta*, *&c.* Hebræus: Ramis ejus cedri Dei, ideſt, proceriſſimæ. Vide Theſaurum. Eſt autem hyperbole poetica, dum dicitur, Umbram vineæ operire montes, & Ramos ejus ingentes cedros; qua figura ſignificatur, Hebræos univerſam terram bello ſubegiſſe.

12. *Extendit*. Idem Hebræus futuro: Extendet. Perſiſtit in metaphora. A mari mediterraneo ad Euphratem uſque, terræ promiſſæ erat amplitudo. *Uſque*. Non habetur in Hebræo, quod nihil refert.

13. *Maceriam*. Curam, & tutelam Eccleſiæ, Prophetas, Apoſtolos, & doctores non mittendo. Vide ſuperius pſalm. 74. 9. *Vindemiant*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus præterito: Decerpſerunt, & collegerunt fructus ejus. *Qui prætergrediuntur viam*. Idem Hebræus: Tranſeuntes viæ (paſſaggieri). Omnium injuriis expoſita eſt.

14. *Exterminavit*. Tranſlatio ſenſus. Vox hebræa eſt futuri temporis, & varie exponitur, ut habes in Theſauro. Simplicius eſt, ſi compoſitam aſſeras יכרסמנה, ventrem implebit ex ea, ingurgitabit eam, ejus fructus, radices etiam eruens, & exterminans. *De ſilva*. Redundat; nam ſat eſt dicere Aper. Hebræis autem, quod hoc nomine careant, ſic deſcribitur: Porcus de ſilva, ideſt, aper. Collective. Apri, porci ſilveſtres. *Singularis ferus*. Vox hebræa זִיז varie exponitur ab omnibus. Quid autem Noſtri per Singularem intellexerint, conjectare ſatis non valeo. Ferum quidem dixerunt, quod Hebræis eſt שָׂדַי, agri, agreſtis, quaſi diceres, fera ſolitaria, agreſtis. Collective forſitan & hic. Ideſt, omnibus feris exponitur depaſcenda. Verum qua de cauſſa vocant eas ſingulares? An potius retinendus eſt ſingularis numerus, ut allegorice diabolus exprimatur, qui circuit ſemper quærens, quem fidelium devoret? Ex collatione tamen locorum, in quibus uſuvenit hebraica dictio זִיז, videtur potius ſplendor, & pulcritudo ſignificari, ut idiotiſmo ſatis ornato vineæ ſit epithetum, quam Splendorem agri nominat. Con-

 ſule

ſule Theſaurum. *Depaſtus eſt.* Idem Hebræus futuro: Depaſcet. *Eam.* Vineam, Noſtris, Hebræis autem, pulcritudinem, eum ſplendorem, uſu linguæ; prout docuimus in Grammaticis, quod relativum latine vacaret.

15. *Virtutum.* Hebræus: Sabaoth, ut verſ. 5. *Convertere.* Revertere. More humano loquitur. Non enim Deus movetur loco. Hebræus addit interjectionem deprecativam: Quæſo, amabo, redi, nobis eſto placatus; viſita, cura ſollicite vineam hanc, quam tibi comparaſti. Myſtice Chriſti incarnationem innuit. *Reſpice.* Græcus addit *καί*.

16. *Et perfice eam.* Quaſi legerint Noſtri punctis immutatis וְכַנָּה pro וְהָכִנָה, per Apheresin He characteriſtici conjugationis Hiphil, prout nonnunquam fieri notavimus in grammaticis rebus: Apta, para, firma eam; quod nunc Hebræis nomen eſt וְכַנָּה, & baſim, ſedem, locum, ubi vinea plantata eſt. Conſule Theſaurum. Non tamen magni momenti varietatem eſſe crederem. *Et ſuper filium.* Syntaxis hebræa. Supple, Viſita, e verſu ſuperiori per zeugma repetendum. Latinis redundaret Super. *Hominis.* Non habetur in Hebræo, licet paullo poſt verſ. 18. ponatur. *Confirmaſti.* Roboraſti, ſemper defendiſti, & tutatus es.

17. *Igni.* Sic Hebræus ſuo tropo: In igne incenſa eſt vinea. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Suffoſſa.* Excavata, funditus exſtirpata. Hebræus idem fere: Exciſa. *Vultus tui.* Hebræus pluraliter: Facierum tuarum. *Peribunt.* Vinea, baſis, & filius, ſi perſeverat hæc tua increpatio, & caſtigatio. Perire ab increpatione, idiotiſmus. Poſſes etiam exponere, Peribunt, hoſtes vineæ ſcilicet; ſed prior expoſitio ſimplicior.

18. *Fiat.* Hebræus idem: Sit. *Virum dexteræ.* Fideles (collective), quos dextera ſua Deus protegit. Vel certe, Chriſtum, quem Dei dexteram Scripturæ nominant. *Et.* Non habetur in Hebræo.

19. *Diſcedimus.* Hebræus futuro: Recedemus, retro ibimus. *Et nomen tuum invocabimus.* Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Et in nomine tuo vocabimus.

20. *Exercituum.* Hebræus: Sabaoth, ut verſ. 5. Cetera, ut ſuperius verſ. 4. præterquam quod hic coniunctionem *Et* prætermittit.

Digitized by Google

GRADUS NONUS.

PSALMUS LXXXI. Latinis LXXX.

למנצח על הגתית לאסף:	1. *Præfecto ſuper Gitith, Aſaphi.*	1. In finem, pro torcularibus, *pſalmus* ipſi Aſaph, *quinta ſabathi.*
הרנינו לאלהים עוזנו הריעו לאלהי יעקב:	2. *Ovate Deo robori noſtro, jubilate Deo Jacob.*	2. Exſultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob.
שאו זמרה ותנו תף כנור נעים עם נבל:	3. *Levate pulſationem, & date tympanum, citharam jucundam cum nablo.*	3. Sumite pſalmum, & date tympanum, pſalterium jucundum cum cithara.
תקעו בחדש שופר בכסה ליום חגנו:	4. *Buccinate in neomenia tuba, in tempore conſtituto diei ſolennitatis noſtræ.*	4. Buccinate in neomenia, tuba; in inſigni die ſolennitatis noſtræ.
כי חק לישראל הוא משפט לאלהי יעקב:	5. *Quia ſtatutum Iſraeli eſt, judicium Deo Jacob.*	5. Quia præceptum *in* Iſrael eſt; & judicium Deo Jacob.
עדות ביהוסף שמו בצאתו על ארץ מצרים שפת לא ידעתי אשמע:	6. *Teſtimonium in Joſeph poſuit illud, in egrediendo illius ſuper terram Ægypti, labium, quod non cognovi, audiam.*	6. Teſtimonium in Joſeph poſuit illud, cum exiret de terra Ægypti; linguam, quam non noverat, audivit.
הסירותי מסבל שכמו כפיו בדוד תעברנה:	7. *Removi ab onere dorſum ejus, volæ ejus a caldario tranſierunt.*	7. Divertit ab oneribus dorſum ejus, manus ejus in cophino ſervierunt.
בצרה קראת ואחלצך אענך בסתר רעם אבחנך על מי מריבה סלה:	8. *In tribulatione invocaſti, & liberavi te, reſpondebo tibi in abſcondito tonitru, probabo te ſuper aquas contradictionis. Selah.*	8. In tribulatione invocaſti *me*, & liberavi te, exaudivi te in abſcondito tempeſtatis, probavi te apud aquam contradictionis.
שמע עמי ואעידה בך ישראל אם תשמע לי:	9. *Audi populus meus, & conteſtabor in te, Iſrael ſi audieris mihi.*	9. Audi populus meus, & conteſtabor te, Iſrael ſi audieris me.
לא יהיה בך אל זר ולא תשתחוה לאל נכר:	10. *Non erit in te Deus alienus, neque adorabis Deo alienationis.*	10. Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.
אנכי יהוה אלהיך המעלך מארץ מצרים הרחב פיך ואמלאהו:	11. *Ego DOMINUS Deus tuus aſcendere faciens te de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud.*	11. Ego *enim* ſum DOMINUS Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud.
ולא שמע עמי לקולי וישראל לא אבה לי:	12. *Et non audivit populus meus voci meæ, & Iſrael non voluit mihi.*	12. Et non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi.

13. Et

ואשלחהו בשרירות לבם ילכו במועצותיהם :	13. *Et dimiſi eum in viſione cordis eorum, ibunt in conſiliis ſuis.*	13. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.
לו עמי שמע לי ישראל בדרכי יהלכו :	14. *Utinam populus meus audiens mihi, Iſrael in viis meis ambulabunt.*	14. Si populus meus audiſſet me, Iſrael *ſi* in viis meis ambulaſſet,
במעט אויביהם אכניע ועל צריהם אשיב ידי :	15. *Quaſi modico inimicos eorum humiliabo, & ſuper tribulantes eos reducam manum meam.*	15. Pro nihilo *forſitan* inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.
משנאי יהוה יכחשו לו ויהי עתם לעולם :	16. *Oſores DOMINI mentientur ei, & erit tempus eorum ſeculo.*	16. Inimici DOMINI mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſecula.
ויאכילהי מחלב חטה ומצור דבש אשביעך :	17. *Et cibavit eum ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturabo te.*	17. Et cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturavit eos.

ANNOTATIONES.

AD feſtorum celebrationem non ineleganti carmine, licet obſcuro ſatis, invitans, fidelibus, ſi Deo obtemperent, & ejus beneficia recolant, ob quas duas res præcipue feſta fuerunt inſtituta, favorem, & præſidium divinum, & omnia tandem bonorum genera promittit. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pro torcularibus*. Hebræus: Super Gitith. Idem titulus habetur pſalmo 8. Ibi vide. *Pſalmus*. Non habetur in Hebræo, ſed tantum Aſaphi; quod nihil refert. *Quinta ſabathi*. Additum a Noſtris, ex aliqua traditione forſitan, licet Hebræi putent, pſalmum de prima anni die loqui. Græcus nihil habet.

2. *Exſultate*. Acclamate, jubilate, ovate, ut Hebræus habet. *Adjutori noſtro*. Translatio ſenſus. Hebræus: Robori noſtro; qui robur, & fortitudo noſtra eſt. Quamvis ſuſpicer, Noſtros facili vocis tranſitu legiſſe עֻזֵּנוּ, Adjutorio noſtro per appoſitionem; ideſt, adjutori.

3. *Sumite*. Idem prope Hebræus: Levate, attollite. *Pſalmum*. Muſicalem pulſationem; inſtrumentis muſicis ludite. Levare pulſationem, Dare tympanum, & cetera, ſunt idiotiſmi, pro, Omnibus inſtrumentorum muſicalium generibus laudes celebrare divinas. *Pſalterium, &c.* Hebræus: Citharam jucundam cum nablo. Minimi, & fere nullius momenti varietas. Quin etiam inſtrumentorum muſicalium nomina hebraica non ſatis certa ſunt. Conſule Theſaurum.

4. *Neomenia*. Novilunio, primo die menſis, quem Judæi חֹדֶשׁ nominant. Vide Theſaurum. *In inſigni die*. Translatio ſenſus. Non in omni novilunio, ſed in illo inſigni die ſolemnitatis noſtræ, qui menſis, & anni videlicet initium eſt. Hebræus etiam habet: In tempore conſtituto, & certo, diei (dativo caſu) ſolemnitatis noſtræ. Vide Theſaurum etiam in hac voce.

5. *Præceptum*. Idem prope Hebræus: Statutum, decretum. *In*. Non habetur in Hebræo, ſed tantum dativo: Iſraeli. *Judicium*. Quia Deus ita faciendum judicavit. Vel certe, Decretum hoc decet Jacobi Deum; quo reco-

Digitized by Google

colitur illius omnipotentia. Conſule Theſaurum in hiſce dictionibus.

6. *Teſtimonium*. Ut de ſe, & ſua in fideles perpetua voluntate teſtaretur, & ornamentum tam ſibi, quam ipſis eſſet. Epithetum legis. *In Joſeph*. In gente noſtra. Alibi vocat Judæos univerſos Joſephi nomine, juxta illud Geneſis 48. Et vocetur in illis nomen meum, &c. *Illud*. Feſtum. In Hebræo eſt maſculinum: Illum diem ſolemnitatis; vel illud teſtimonium, ſyntaxi hebraica, ut latinis vacet Illud. *Cum exiret*. Hebræus infinitivo: In egrediendo illius. *De terra Ægypti*. Quaſi legerint Noſtri מֵאֶרֶץ, de terra, quod nunc Hebræis eſt עַל אֶרֶץ, Super terram: quum per terram Ægypti pertranſiret Deus ſcilicet; nam pronomen illius ad Deum referunt; licet ex Hebræis etiam ſint, qui exponant de exitu Ægypti, pronomen ad Judæos referentes. Sed litteræ hebraicæ ſimplicior ſenſus eſt, ſi accipiatur de ingreſſu, & manſione. *Linguam*. Hebræus idem: Labium, ſermonem. *Quam non noverat, audivit*. Videntur Noſtri non admodum difficili vocum tranſitu legiſſe לֹא יָדַע יִשְׁמַע, Non novit, audiet; quod nunc Hebræi prima efferunt perſona לֹא יָדַעְתִּי אֶשְׁמַע, Non novi, audiam. Verba Dei poeticæ, qui propter fidelium dilectionem, in infidelium, & idololatrarum terram deſcenderit. Poſſunt etiam eſſe Aſaphi verba nomine totius populi, ſed prior expoſitio verior; nam in ſequentibus etiam Deus loquitur. Noſtri in aliquibus locis perſonam mutarunt, vel quod ita legerint, vel ut ſenſum redderent lucidiorem; nam alioquin non magni momenti has variationes eſſe crederem.

7. *Divertit*. Noſtri mutarunt perſonam, ut diximus. Niſi malles, eos legiſſe הסיר, Removit, Deus ſcilicet, avertit, liberavit; quod nunc Hebræis eſt prima perſona, nam Deus loquens inducitur beneficia liberationis Ægyptiacę narrans; ob quæ in his feſtis voce, & organis extollendus ſit. הֲסִירוֹתִי, Removi, liberavi. *Ab oneribus*. Hebræus ſingulariter: Ab onere; ne geſtarent onera, ne ponderi dorſum ſupponerent. *Manus*. Idem Hebræus: Volæ, palmæ. *In cophino ſervierunt*. Noſtri videntur legiſſe facili tranſitu Reſc in Dalet בַּדּוּד תַּעֲבֹדְנָה, in caniſtro, cophino ſervient, portando lutum in corbibus ad conficiendas ollas; quod nunc Hebræis eſt מִדּוּד תַּעֲבֹרְנָה, Ab olla, vel caldario (collective) tranſierunt. Ideſt, ab ollis conficiendis, vel a coquinæ miniſterio manus veſtras liberavi: ut alludat ad illud pſalmi 68. 14. Ibi vide. Vox hebraica דוד, caldarium, ollam, & caniſtrum, vel cophinum ſignificat. Vide Theſaurum.

8. *Invocaſti*. Vocaſti, clamaſti: *Me*. Ad declarationem additum. *Exaudivi*. Hebræos futuro: Reſpondebo; quod exauditionis ſignum eſt. *Tempeſtatis*. Non longe aliter Hebræus: Tonitru, quod in tempeſtatibus reboat. Deum reſpondere in abſcondito tonitru, varie exponitur ab omnibus. Mihi ſimplicior ſenſus videtur, ſi ad tonitrua montis Sinai, in quo, quum legem traderet Deus, occultabatur, referas. Non diſplicet tamen, quod alii referant ad tonitrua, & tempeſtatem illam excitatam in mari rubro contra Ægyptios, ubi Deus occulte aderat pro Judæis pugnans. *Probavi*. Hebræus idem futuro: Probabo; tuam fidem exploravi. *Apud aquam*. Hebræus ſuo loquendi modo: Super aquas contradictionis. Nota eſt hiſtoria. De Selah diximus alibi.

9. *Te*. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ: Obteſtabor in te, palam, & publice commonefaciam. *Me*. Hebræos dativo: Mihi. Ideſt, ſi mihi obtemperaveris.

10. *Non erit*. Enunciative, vel etiam negative: Non ſit. *Recens*. Translatio ſenſus. Hebræus: Alienus, extraneus. *Adorabis*. Vel adores; te ipſum incurvabis adorandi cauſſa, ut Hebræus habet. *Deum alienum*. Hebræus dativo, & nomine ſubſtantivo, de

de more linguæ: Deo alienationis; alieno.

11. ***Enim.*** Non habetur in Hebræo. *Qui eduxi te.* Non longe aliter Hebræus præſenti tempore: Aſcendere faciens te. Deſcenſus in Ægyptum, & aſcenſus ex eo frequens eſt in Scriptura, quod reſpectu terræ Chanaam Ægyptus humilior ſit. Dilatare os, & implere illud, idiotiſmus eſt pulcherrimus, pro Quidquid vis, quantumcumque tandem fuerit, obtinere.

12. *Vocem meam.* Hebræus dativo: Voci meæ non audivit, obtemperavit. *Non intendit.* Hebræus: Non voluit, acquievit mihi, mandatis meis. Nullius momenti varietas.

13. *Eos.* Quaſi legerint Noſtri facili tranſitu נָאֲשַׁלְּהֵם, quod nunc Hebræis eſt נָאֲשַׁלְּחֵהוּ, & dimiſi eum; populum, Iſraelem. Idem ſenſus. *Secundum deſideria.* Translatio ſenſus. Hebræus ſingulariter: In viſione, cogitatione cordis eorum. Permiſi, eos, ut vellent, agere. Pœna rebellionis. Juxta illud, Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. *In adinventionibus.* Non longe aliter Hebræus In conſiliis, in his, ad quæ propriis deſideriis, & delirationibus feruntur. Dimittere in viſione cordis, & Ire in conſiliis, bini ſunt tropi; ut in Theſauro.

14. *Si.* Optantis particula. O ſi, utinam. Scriptura de Deo loquens humanos mores imitatur. *Audiſſet.* Idem Hebræus præſenti: Audiens, obtemperans. *Me.* Hebræus dativo: Mihi. *Si.* Non repetitur in Hebræo; quod parum, vel nihil refert. *Ambulaſſet.* Idem Hebræus futuro, & plurali: Ambulabunt. Ambulare in viis alicujus, eſt ejus mandata ſervare; illius mores imitari.

15. *Pro nihilo.* Nullo negotio. Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Quaſi modico, parva re, quam facillime. *Forſitan.* Non habetur in Hebræo hæc dubitandi particula. *Humiliaſſem.* Idem Hebræus futuro: Humiliabo. *Miſiſſem.* Hebræus ſuo tropo, & futuro: Reducam manum meam, quam a percuſſione propter inobedientiam populi mei retraxi. Minima varietas.

16. *Inimici.* Translatio ſenſus. Hebræus: Oſores Domini; qui odio habent Dominum, & conſequenter fidelium inimici ſunt, vel oſores mei; poſſunt enim eſſe verba Dei, aut Vatis. Verſiculus iſte varie exponitur ab omnibus, quos, ſi libet, conſulas. Nos ſimpliciorem litteræ ſenſum in medium proferimus. *Mentiti ſunt.* Hebræus futuro: Mentientur, mentirentur ei, Iſraeli ſcilicet: ideſt, viribus deficerent, non valerent ſe illis ad pugnandum opponere. Eſt enim idiotiſmus pulcherrimus, a nemine hactenus obſervatus, juxta illas hujus radicis phraſes. Eſaiæ 58. 11. Et tanquam exitus aquarum, cujus aquæ non mentientur. Ideſt, deficient, non perſeverabunt. Prov. 23. 3. Et ipſe eſt panis mendaciorum. Cujus digeſtione fruſtratur ſtomachus, videlicet. Conſule Theſaurum. Sunt autem locutiones idem ſignificantes, licet varie prolatæ, Humiliare inimicos, Reducere manum ſuper eos, & Illos mentiri; quod notes velim. *In ſecula.* Hebræus dativo, ſuo loquendi modo, ſingulariter: Seculo. Et verſa vice perpetuo florerent Iſraelitæ.

17. *Eos.* Quaſi legerint Noſtri facili tranſitu ויאכילם, quod nunc Hebræis idem eſt, licet ſingulariter, ויאכילהו, Eum, populum, ex adipe frumenti (Idiotiſmus) pane lectiſſimo, & delicatiſſimo cibaret. Verba vatis. *Saturavit eos.* Videntur etiam hic Noſtri legiſſe ישביעם, Saturabit eos. Nunc Hebræis verba Dei ſunt. אשביעך, Saturabo te; ſatiarem te melle, quod de rupibus ſponte profluit. Bini idiotiſmi. Ideſt, Abundanter res neceſſarias, & voluptarias etiam, illis profunderem.

PSAL.

PSALMUS LXXXII. Lat. LXXXI.

מזמור לאסף אלהים נצב בעדת אל בקרב אלהים ישפט:	1. *Pſalmus Aſaph. Deus aſtat in cœtu Dei, in medio Deorum judicabit.*	1. Pſalmus Aſaph. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio *autem* Deos dijudicat.
עד מתי תשפטו עול ופני רשעים תשאו סלה:	2. *Uſquequo judicabitis iniquitatem, & facies injuſtorum levabitis? Selah.*	2. Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?
שפטו דל ויתום עני ורש הצדיקו:	3. *Judicate egenum, & pupillum, afflictum, & pauperem juſtificate.*	3. Judicate egeno, & pupillo, humilem, & pauperem juſtificate.
פלטו דל ואביון מיד רשעים הצילו:	4. *Eripite pauperem, & egenum de manu injuſtorum liberate.*	4. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.
לא ידעו ולא יבינו בחשכה יתהלכו ימוטו כל מוסדי ארץ:	5. *Neſcierunt, neque intelligent, in obſcuritate ambulabunt, movebuntur omnia fundamenta terræ.*	5. Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ.
אני אמרתי אלהים אתם ובני עליון כלכם:	6. *Ego dixi, Dii vos, & filii excelſi omnes vos.*	6. Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes.
אכן כאדם תמותון וכאחד השרים תפלו:	7. *Certe ſicut Adam moriemini, & ſicut unus principum cadetis.*	7. Vos *autem* ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis.
קומה אלהים שפטה הארץ כי אתה תנחל בכל הגוים:	8. *Surge Deus, judica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.*	8. Surge Deus, judica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.

ANNOTATIONES

JUdices iniquos tam propter malitiam cordis, quam propter legum ignorantiam, injuſte jura adminiſtrantes, carmine laconiſmum redolente, ſed ornato, perſtringens, exitium eis minatur, & Dei judicium efflagitat.

1. *Stetit*. Hebræus præſenti: Aſtans, præſens judicum actiones omnes intuetur. *Synagoga*. Congregatione, cętu. *Deorum*. Hebræus ſingulariter: Dei. Congregationem Dei (ideſt, divinam) conſeſſus judicum appellat, quos etiam ſtatim Deos nominabit. Genebrardo eſt ſynecdoche numeri, pro Deorum, ideſt judicum; quod non placet. Noſtri videntur legiſſe pluraliter אלים, vel אֱלֹהִים. *Autem*. Non habetur in hebræo. *Deos*. Noſtri referunt ad verbum; Hebræis autem regitur a præcedenti dictione: In medio Deorum, ideſt judicum, quod Dei vices gerant, & ſuſtineant. Sic inferius verſ. *6*, & alibi. Conſule Theſaurum. Et quidem juris adminiſtratio res eſt potius divina, quam humana. Vide 2. Paralip. 19. *Dijudicat*. Hebræus futuro: Judicabit, judicem aget. Verbis, quæ ſequuntur, eos judices arguit, & accuſat.

2. *Judicatis*. Hebræus futuro: Judicabitis iniquitatem? iniqua facietis ju-

 di-

dicia? *Peccatorum*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Injuſtorum, reorum. *Sumitis*. Hebræus futuro: Levabitis. Levare faciem alicujus, eſt idiotiſmus notus, ideſt, Perſonam accipere. Vide Theſaurum. Reos non condemnatis, latine diceres, divitiarum, & nobilitatis proſapiæ eorum habita ratione, humiliores interim defraudantes, qui ſuffocantur a potentioribus, & judicium iniquum a vobis reportant, juxta illud, Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas. De Selah dictum eſt alibi.

3. *Egeno, & pupillo*. Idem Hebræus accuſativo: Egenum, tenuem, & pupillum judicate, ideſt, in eorum commoda, qui injuſte opprimuntur. *Humilem*. Afflictum, miſerum juſtificate, abſolvite, juſtam ſententiam pro illis ferte.

4. *Peccatoris*. Hebræus: Injuſtorum, reorum, ut alibi diximus. Ab improborum injuria pauperem, & egenum defendite, ne illis fiat præda. Et hæc de Judicibus malitioſis dicta ſunt. Sequitur indoctorum increpatio.

5. *Neſcierunt*. Moralia. Deum, & juſtitiam. *Intellexerunt*. Idem Hebræus futuro: Intelligent. Intellectualia. Prudentiam, & rationis diſcurſum non habentes. *In tenebris*. Hebræus ſingulariter: In obſcuritate. *Ambulant*. Idem Hebræus futuro: Ambulabunt. Ambulare in tenebris, idiotiſmus. Ideſt, In juris, juſtique ignorantia verſantur, indocti, & imperiti. Quid autem ex horum cæcitate provenire putes? Quid aliud, amabo te, niſi, ut moveantur omnia fundamenta terræ? Idiotiſmus poeticus. Omnia ruunt, profana ſacris miſcentur, omnia ſurſum, deorſumque ferri videas. Ex imperitia Judicum jus commune dirimitur, regna, & reſpublicæ ſubvertuntur.

6. *Ejtis*. Idem Hebræus pronomine: Vos. Verba vatis, vel Dei, qui Judices ob officii dignitatem, quo funguntur, Deos appellant. *Excelſi*. Epithetum Dei. *Omnes*. Hebræus addit emphatice: Vos.

7. *Vos autem*. Hebræus affirmative profert: Certe, profecto. Suſpicor vero, Noſtros facili vocis tranſitu legiſſe אתם, aut ואתם, quod nunc Hebræis eſt אכן. *Homines*. Hebræus: Sicut Adam. Vel proprie primus homo; vel collective, ideſt, ſicut abjectiſſimus, & viliſſimus quiſquis homo. Ne vos extollatis, inquit, quod Deos, & filios Excelſi vos appellaverim, neve propter hoc temere judicium pervertatis, nam vobis etiam mors non parcet, nullamque veſtræ dignitatis, majeſtatis, & potentiæ rationem habebit. Quis Adamo dignior, glorioſior, & potentior? qui nihilominus propter inobedientiam mortem in Mundum ingeſſit. Vos etiam de judiciis veſtris rationem reddituri, tandem moriemini. Non eſt inſuper tam firma, & ſtabilis hæc veſtra dignitas judiciaria, ut a vobis amoveri non poſſit, fierique poteſt, ut quo judicio nunc judicatis alios, eodem vos poſtea judicandi ſitis. Quot principes a dignitatibus ſuis quotidie cadere cernitis? *De principibus*. Hebræus idem genitivo: Principum hujus mundi. Licet ego putem, Luciferum potius innui, qui propter ſuperbiam a dignitate, & gloria cecidit. Huc alluſit D. Petrus epiſtola 2. cap. 2. Ne forte, inquit, incidat in judicium Diaboli; ideſt, in tale judicium, & ſupplicium, in quod Lucifer, & Angeli apoſtatæ inciderunt, nempe graviſſimum.

8. *Surge Deus*. Ad Deum, vel Chriſtum apoſtrophe. Poſt judicium, damnatis injuſtis cum Angelis apoſtaticis, in Regno Dei vera & conſtans erit felicitas, & Chriſti poteſtas in cælo, & in terra manifeſta fiet.

PSAL-

PSALMUS LXXXIII. Lat. LXXXII.

שיר מזמור לאסף:

אלהים אל דמי לך אל תחרש ואל תשקט אל:

כי הנה אויביך יהמיון משנאיך נשאו ראש:

על עמך יערימו סוד ויתיעצו על צפוניך:

אמרו לכו ונכחידם מגוי ולא יזכר שם ישראל עוד:

כי נועצו לב יחדו עליך ברית יכרתו:

אהלי אדום וישמעאלים מואב והגרים:

גבל ועמון ועמלק פלשת עם ישבי צור:

גם אשור נלוה עמם היו זרוע לבני לוט סלה:

עשה להם כמדין כסיסרא כיבין בנחל קישון:

נשמדו בעין דאר היו דמן לאדמה:

שיתמו נדיבמו כערב וכזאב וכזבח וכצלמנע כל נסיכמו:

אשר אמרו נירשה לנו את נאות אלהים:

1. *Canticum pſalmi Aſaph.*
2. *Deus ne ſilentium tibi, ne obſurdeſces, neque compeſceris Deus.*
3. *Quoniam ecce inimici tui ſonabunt, & oſores tui extulerunt caput.*
4. *Super populum tuum aſtute agent ſecreto, & conſultabunt ſuper abſconditos tuos.*
5. *Dixerunt, venite, & diſperdemus eos de gente, & non memorabitur nomen Iſrael ultra.*
6. *Quoniam conſuluerunt corde ſimul, ſuper te fœdus ferient.*
7. *Tabernacula Idumæorum, & Iſmaelitæ, Moab, & Agareni.*
8. *Gebal, & Ammon, & Amalec, Palæſtina cum habitatoribus Tyri.*
9. *Etiam Aſſur congregati ſunt cum illis, fuerunt brachium filiis Lot. Selah.*
10. *Fac illis ſicut Median, ſicut Siſaræ, ſicut Jabin in torrente Ciſſon.*
11. *Aboliti fuerunt in Endor, fuerunt ſtercus terræ.*
12. *Pone eos nobiles eorum ſicut Oreb, & ſicut Zeeb, & ſicut Zebah, & ſicut Zalmunah omnes principes eorum.*
13. *Qui dixerunt, hereditate poſſidebimus nobis habitacula Dei.*

1. Canticum pſalmi Aſaph.
2. Deus, quis ſimilis erit tibi? ne taceas, neque compeſcaris Deus.
3. Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.
4. Super populum tuum malignaverunt conſilium, & cogitaverunt adverſus ſanctos tuos.
5. Dixerunt, venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael ultra.
6. Quoniam cogitaverunt unanimiter, ſimul adverſum te teſtamentum diſpoſuerunt,
7. Tabernacula Idumæorum, & Iſmaelitæ, Moab, & Agareni,
8. Gebal, & Ammon, & Amalec, alienigenę cum habitantibus Tyrum.
9. Etenim Aſſur venit cum illis, facti ſunt in adjutorium filiis Lot.
10. Fac illis ſicut Madian, & Siſaræ, ſicut Jabin in torrente Ciſſon.
11. Diſperierunt in Endor, facti ſunt *ut* ſtercus terræ.
12. Pone principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana, omnes principes eorum.
13. Qui dixerunt, hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei.

אלהי שיתמו כגלגל כקש לפני רוח:

14. *Deus meus pone illos ſicut rotam, ſicut ſtipulam faciebus venti.*

14. Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.

כאש תבער יער וכלהבה תלהט הרים:

15. *Sicut ignis comburet ſilvam, & ſicut flamma comburet montes.*

15. Sicut ignis, qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes.

כן תרדפם בסערך ובסופתך תבהלם:

16. *Ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in procella tua turbabis eos.*

16. Ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos.

מלא פניהם קלון ויבקשו שמך יהוה:

17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum DOMINE.*

17. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum DOMINE.

יבשו ויבהלו עדי עד ויחפרו ויאבדו:

18. *Erubeſcent, & conturbabuntur uſque ad ſeculum, & confundentur, & peribunt.*

18. Erubeſcant, & conturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur, & pereant.

וידעו כי אתה שמך יהוה לבדך עליון על כל הארץ:

19. *Et cognoſcent, quia tu nomen tuum DOMINUS ſolitudini tuæ; altiſſimus ſuper omnem terram.*

19. Et cognoſcant, quia nomen tibi DOMINUS, tu ſolus altiſſimus in omni terra.

ANNOTATIONES.

INfidelium conſpirationem adverſus Eccleſiam Dei, carminibus verborum elegantia, & facilitate perſpicuis exſecratur. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *Pſalmi*. Poſſes etiam interpretari: Canticum pſalmus; ideſt, Oda voce, & inſtrumento muſico decantanda.

2. *Quis ſimilis erit?* Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, & fortaſſe legerunt מִי דוֹמֶה, vel דָּמָה, vel certe putarunt vocem דֳּמִי, quæ nunc legitur in Hebræo, ſimilitudinem ſignificare, & negantem locutionem interroganter ad perſpicuitatem expreſſerunt. Ne ſimilitudo (ſit) tibi; ne ſimilem aliquem tibi eſſe patiaris. Hebræis hodiernis ſilentium ſignificat. Ne ſilentium (ſit) tibi; ne ſileas. Conſule Theſaurum. *Taceas*. Idem fere Hebræus futuro: Ne obſurdeſces, ſurdum agas; quia multum cogitabundi tacent. *Compeſcaris*. Sic Hebræus futuro: Ne quieſces. Ne te quietum, & placidum experiantur, velim.

3. *Sonuerunt*. Hebræus idem futuro: Sonabunt, tumultuabunt, frement. *Qui oderunt te*. Sic Hebræus: Oſores tui. Levare caput, idiotiſmus. Superbiunt, ſuperbe ſe efferunt.

4. *Malignaverunt conſilium*. Malitioſe conſultarunt. Non longe aliter Hebræus futuro: Aſtutum facient ſecretum; aſtute agent ſecreto; aſtute, & ſecrete conſultant adverſus populum tuum. סוד ſecretum, & conſilium, quod ſecreto fit, ſignificat. *Cogitaverunt*. Sic Noſter, ut parum deflecteret a Conſilii voce poſita ſuperius. Hebræus futuro: Conſultabunt, ſe invicem Conſulent. *Adverſus*. Idem Hebræus: Super, contra. *Sanctos*. Translatio ſenſus. Hebræus: Abſconditos tuos, quos uti Sanctos abſcondis, & protegis, & violari non finis.

5. *Diſperdamus*. Mimeſis. Idem He-

Hebræus futuro: Diſperdemus, excidemus eos de gente. Idiotiſmus. Ideſt, ne amplius ſit gens. *Memoretur*. Hebræus iterum futuro: Memorabitur. Ne nomen quidem ſuperſit.

6. *Cogitaverunt*. Hebræus: Conſultarunt, conſpiratione facta ſe invicem conſuluerunt. *Unanimiter*. Uno animo, pari conſenſu. Non longe aliter Hebræus: Corde, ex corde, totis ingeniorum viribus adhibitis. *Simul*. Una conſpirantes. *Adverſum te*. Sic Hebræus: Super, contra. *Teſtamentum diſpoſuerunt*. Translatio ſenſus. Hebræus ſuo loquendi tropo: Fœdus ferient. Pactum inierunt, ut pariter convenientes, tuos aggrediantur. Conſule Theſaurum.

7. *Tabernacula*. Continens pro Contento. Caſtra, milites. Horum omnium populorum nomina vide in Theſauro.

8. *Alienigenæ*. Hebræus: Palæſtina, cujus cives Noſter alienigenas vocat, quod e Cappadocia in hanc regionem, deletis veteribus colonis, olim profecti ſint. *Cum habitantibus Tyrum*. Idem Hebræus: Cum habitatoribus Tyri.

9. *Etenim*. Ut Noſtri ſolent transferre particulam hanc hebraicam גם, Etiam. *Venit*. Translatio ſenſus. Hebræus: Congregati ſunt cum illis, ſeſe eis conjunxerunt Aſſyrii. *Facti ſunt*. Sic Hebræus: Fuerunt. *In adjutorium*. Suſpicor, Noſtros legiſſe הָיוּ עֵזֶר, Fuerunt adjutorium, auxilium; quod nunc Hebræis, facta litterarum transpoſitione, ſolum eſt זְרוֹעַ, Fuerunt brachium, idiotiſmo ſatis pulcherrimo, licet idem ſenſus prope ſit. De Selah dictum eſt alibi.

10. *Et*. Hebræus ſuo loquendi modo ſemper, Sicut, repetit. Madianitarum, Siſaræ, & aliorum, quos recolit, hiſtorias, velim in Theſauro noſtro videas, ad quem te mitto, ne longior hic ſim. Senſus eſt: Sicut illi fuerunt abs te olim ad internecionem deleti, ſic iſtos proſeras, & penitus profliges, te precor.

11. *Diſperierunt*. Aboliti ſunt, excisi, ad internecionem uſque deleti. *Facti ſunt*. Sic Hebræus: Fuerunt. *Ut*. Non habetur in Hebræo, ſed, Fuerunt ſtercus (proprie), computreſcentes, inſepulti. *Terræ*. Dativi caſus.

12. *Pone*. Hebræus ſyntaxi peculiari addit pronomen Eos, quod latinis vacat. *Principes eorum*. Idem fere Hebræus: Nobiles eorum. *Et*. Hebræus iterat ſemper, ut diximus, Sicut.

13. *Hereditate poſſideamus*. Hebræus futuro: Hereditabimus, poſſidebimus. Addit etiam emphatice pronomen, Nobis. *Sanctuarium*. Hebræus generalius, & pluraliter: Habitacula, loca ſpecioſa, fidelium tuorum ſedes. Noſtri ſpecioſa hæc ſtrictius de ſanctuario tantum intelligunt.

14. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Ante faciem*. Hebræus ſuo tropo: Faciebus. Ponere ſicut rotam, ideſt, inſtabiles. Facile jactentur undique. Idem *ſtipula ante ventum* ſignificat.

15. *Qui comburit, comburens*. Hebræus futuro: Comburet, inflammabit, exuret. Tertia, & quarta ſimilitudo primis duabus graviores. *Et*. Non habetur in Græco.

16. *Ira*. Hebræus: Procella. Perſequi *in* tempeſtate, & conturbare *in* procella, idiotiſmi ſatis noti ſunt.

17. Implere faciem ignominia, & Quærere nomen Domini, alii idiotiſmi non obſcuri. Deus interitum non vult, ſed reſipiſcentiam.

18. *Erubeſcant, conturbentur, confundantur, pereant*. Idem in Hebræo, licet futuris: Erubeſcent, conturbabuntur, confundentur, peribunt. *In ſeculum ſeculi*. Idem Hebræus: Uſque ad uſque; Uſque in ſeculum.

19. *Cognoſcant*. Sic Hebræus futuro: Cognoſcent. *Nomen tibi Dominus, tu ſolus*. Noſtri putarunt Hiſterologiam hic ineſſe, vel certe, dictionibus tranſpoſitis, legerunt כִּי שִׁמְךָ יְהוָה אַתָּה לְבַדְּךָ, Quia nomen tuum, nomen tibi eſt Dominus.

Tu

Tu ſolitudini tuæ , (ideſt) | ſolus , &c. Quod nunc Hebræis eſt כִּי אַתָּה שִׁמְךָ יְהוָֹה לְבַדֶּךָ . Quia tu, nomen tuum Domine, ſolitudini tuæ; ideſt tu ſolus . Et ſic exponunt: Tu (&) nomen tuum Dominus, ſoli, ſitis potentes, metuendi, & adorandi . Noſtri vero in alium ſenſum torquent: nempe, Tu nomen tuum eſt, DOMINUS, nomen ineffabile, & Dei proprium. Conſule Theſaurum . Poſtea ſequuntur: Tu ſolus Altiſſimus, &c. Equidem, ut ingenue fatear, totum verſiculum potius ſic interpretarer. Quia tu nomen tuum, o Domine, ſolitudini tuæ (eſt), excelſus ſuper omnem terram. Ideſt, hoc nomen tibi ſoli competit, ut excelſus dicaris . Quid Hebræi per nomen Dei intelligant , etiam ipſos ignorare crederem. Mihi nomen Dei Chriſtus eſt, & locum ſic expono. Quia tu, nomen tuum, ideſt Chriſtus tuus, o Domine ſolitudini tuæ: Solus es. Ego tamen ſimpliciori locutione potius ſic interpretarer: Quia Tu eſt nomen tuum, Domine, ſolitudini tuæ. In myſtica, & ſecretiori Theologia אַתָּה nomen divinum eſt, ut alibi fuſius declarabimus. Vel certe ſic: quia Tu es nomen tuum Domine ſolitudini tuæ; ideſt, tu & nomen tuum idem es, ſecus ac de aliarum rerum nominibus. Expende locum accuratius. *In omni terra*. Idem Hebræus: Super omnem terram.

PSAL. LXXXIV. Latinis LXXXIII.

למנצח על הגתית לבני קרח מומור:	1. *Præfecto ſuper Gitith, filiis Core, pſalmus.*	1. In finem, pro torcularibus, filiis Core pſalmus.
מה ידידות משכנותיך יהוה צבאות:	2. *Quam amabilia tabernacula tua DOMINE Sabaoth.*	2. Quam dilecta tabernacula tua DOMINE virtutum.
נכספה וגם כלתה נפשי לחצרות יהוה לבי ובשרי ירננו אל אל חי:	3. *Concupivit, & etiam defecit anima mea atriis DOMINI, cor meum, & caro mea ovabunt ad Deum vivum.*	3. Concupiſcit, & deficit anima mea in atria DOMINI, cor meum, & caro mea exſultaverunt in Deum vivum.
גם צפור מצאה בית ודרור קן לה אשר שתה אפרחיה את מובחותיך יהוה צבאות מלכי ואלהי:	4. *Etiam paſſer invenit domum, & hirundo nidum ſibi, quæ poſuit pullos ſuos cum altaribus tuis DOMINE Sabaoth, rex meus, & Deus meus.*	4. Etenim paſſer invenit *ſibi* domum, & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos. Altaria tua DOMINE virtutum, rex meus, & Deus meus.
אשרי יושבי ביתך עור יהללוך סלה:	5. *Beati habitatores domus tuæ, adhuc laudabunt te. Selah.*	5. Beati, qui habitant in domo tua *Domine*, in ſecula ſeculorum laudabunt te.
אשרי אדם עוז לו בך מסלות בלבבם:	6. *Beatus homo, robur ei* eſt *in te, elevationes in corde eorum.*	6. Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te; aſcenſiones in corde ſuo.

7. Diſ-

Digitized by Google

עברי בעמק הבכא מעין ישיתוהו גם ברכות יעטה מורה:	7. *Tranſeuntes in valle fletus, fontem ponent eum, etiam benedictiones induet imber.*	7. Diſpoſuit in valle lacrimarum, in loco, quem poſuit. Etenim benedictiones dabit legislator.
ילכו מחיל אל חיל יראה אל אלהים בציון:	8. *Ibunt de cœtu ad cœtum, videbitur ad Deum in Sion.*	8. Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.
יהוה אלהים צבאות שמעה תפלתי האזינה אלהי יעקב סלה:	9. *DOMINE Deus Sabaoth audi orationem meam, auribus percipe Deus Jacob. Selah.*	9. DOMINE Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Jacob.
מגננו ראה אלהים והבט פני משיחך:	10. *Scutum noſtrum vide o Deus, & aſpice facies Chriſti tui.*	10. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice *in* faciem Chriſti tui.
כי טוב יום בחצריך מאלף בחרתי הסתופף בבית אלהי מדור באהלי רשע:	11. *Quia bonus eſt dies in atriis tuis præ mille, elegi ultimum eſſe in domo Dei mei præ habitare in tabernaculis injuſtitiæ.*	11. Quia melior eſt dies *una* in atriis tuis, ſuper millia. Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.
כי שמש ומגן יהוה אלהים חן וכבוד יתן יהוה לא ימנע טוב להלכים בתמים:	12. *Quia ſol, & ſcutum DOMINUS Deus, gratiam, & gloriam dabit DOMINUS, non probibebit bonum ambulantibus in innocentia.*	12. Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam, & gloriam dabit DOMINUS. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.
יהוה צבאות אשרי אדם בטח בך:	13. *DOMINE Sabaoth, beatus homo confidens in te.*	13. DOMINE virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.

ANNOTATIONES.

DEi religionem, ſuſpirantis mores imitatus, iter eorum, qui templum viſitabant, petitiones, animorumque delectationem carmine deſcribens ſuaviſſimo, quid agendum ſit fidelibus in uſu religionis, non obſcure docet. Variat ſatis Vulgatus ab Hebræo in translatione, cujus varietatis cauſſas nos reddere conabimur. Diſtinctionum autem varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pro torcularibus*. Hebræus: Super Gitith. Vide pſalmum 8. Idem etiam titulus habetur ſuperius pſalmo 81.

2. *Dilecta*. Hebræus: Amabilia, diligenda. Noſtri perfectiorem ſtatum fidelis oſtendunt animæ. Idem tamen fere ſenſus in Hebræo, nam quæ vere amabilia ſunt, ſtatim diligimus. *Virtutum*. Hebræus: Sabaoth; de qua voce diximus alibi.

3. *Concupiſcit*. Hebræus præterito: Concupivit, ſummo deſiderio affecta eſt. *Et*. Hebræus addit aliam conjunctionem, augendi gratia. *Deficit*. Hebræus iterum præterito: Defecit. Animam deficere, eſt tropus perquam elegans, pro, Deſiderio confici, animum deliquium pati præ cupiditate alicujus rei. Vide Theſaurum. *In atria*. Idem Hebræus, ſed dativo, ſuo loquendi modo: Atriis, ſacrariis, locis ſanctis tibi

de-

dedicatis. *Exſultaverunt*. Non longe aliter Hebræus, ſed futuro: Cor, ideſt mens, animus, anima, & caro, ideſt corpus, ovabunt; jubilabunt, vociferabuntur præ gaudio. *In*. Hebræus: Ad. Minima varietas.

4. *Etenim*. Sic Noſtri ſæpius גם transferunt: Etiam. Aviculæ capiuntur deſiderio tuorum altarium, ut non mirum ſit, me tantopere tuorum habitationem atriorum expetere. *Sibi*. Ad declarationem additum. Domus paſſeris, eſt nidus, paſſeris domicilium. *Turtur*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, & fortaſſe legerunt ותור, Et turtur, quod nunc Hebræis eſt ודְרוֹר, & hirundo. Niſi malles, eos propter myſterium turturem elegiſſe, quæ piarum mentium eſt ſymbolum; vel certe voluerunt alludere ad turtures, quæ offerebantur in ſacrificiis. Conſule Theſaurum. Eſt nihilominus minimi, vel nullius momenti varietas. *Ubi*. Hebræus: Quæ, hirundo, & paſſer. *Ponet*. Hebræus præterito: Poſuit pullos ſuos. Nidum, & conſequenter prolem ſuam. Noſtri terminant hic ſententiam, & ob id אֲשֶׁר, non *quæ*, ſed (quaſi legerint בַּאֲשֶׁר) *ubi*, interpretantur, & ſequentia per apoſiopeſin intelligunt. (Utinam ſic inveniam) altaria tua Domine, vel aliud quid ſimile. Hebræis eſt oratio continuata. Hæ aviculæ nidos collocant ſuos cum altaribus tuis, apud aras tuas. Noſtri videntur articulum אֶת, non hic, ſed ſuperius legiſſe, ſicq. אֶת אֶפְרוֹחֶיהָ, quod notes velim. *Virtutum*. Hebræus: Sabaoth, ut alibi diximus.

5. *Qui habitant in domo tua*. Idem Hebræus: Habitatores domus tuæ; templi; ut rei divinæ interſint. *Domine*. Ad declarationem additum; neque in Græco habetur. *In ſecula ſeculorum*. Noſtri videntur legiſſe עֲדֵי עַד, quod nunc Hebræis eſt עוֹד, Adhuc; idiotiſmo ſatis ornato, eumdem cum Noſtris ſenſum habente; nam qui adhuc laudant, numquam a laudatione ceſſant; quod notes velim. De Selah, quod bis legitur in hoc pſalmo, dictum eſt alibi.

6. *Vir*. Hebræus: Homo, terrenus. Minima varietas. *Cujus eſt auxilium*. Suſpicor, Noſtros facili vocis tranſitu legiſſe עֵזֶר לוֹ, auxilium ei; quod nunc Hebræis eſt עוֹז לוֹ, Robur, fortitudo ei. Supple, eſt. Idem nihilominus fere ſenſus. *Abs te*. Hebræus: In te. Nullius momenti varietas. *Aſcenſiones*. Idem fere Hebræus: Elevationes, ſemitæ altæ, ſtratæ, loca alta, & tuta. Idiotiſmus pulcherrimus. Robur hoc in te poſitum ſunt elevationes in corde fidelium, ſemitæ ſunt, per quas libere, & ſecure poſſunt incedere. Hac fortitudine, quaſi in locum altum, & ab omni periculo tutum evecti, ſecuram degunt vitam. Pudet, pigetque aliorum interpretationes, & præſertim Genebrardi, commemorare, quas litteræ hebraicæ puritas refugit. *Suo*. Hebræus pluraliter: Eorum hominum. Nulla varietas. Hebræi terminant hic ſententiam, quamvis Noſtri, quod alio modo legerint, ſequentibus conjungant.

7. *Diſpoſuit*. Suſpicor, Noſtros in ſuo exemplari non admodum difficili vocis tranſitu habuiſſe עָרַךְ, diſpoſuit, ordinavit aſcenſiones in corde ſuo; quod nunc Hebræis eſt עֹבְרֵי, tranſeuntes. Deſcribitur iter aſcendentium in templum. *Lacrimarum*. Hebræus ſingulariter, collective הַבָּכָא, Fletus, planctus; vel perplexitatis, vel pyri, mori; nam vox eſt ſatis incerta, ut habes in Theſauro. Simplicior ſenſus videtur, ſi fletum interpreteris a radice בָּכָה, & eleganter dicatur de aquis erumpentibus ex terra aquarum vi gravida, quaſi telluris planctum diceres. Vallis igitur fletus eſt, ex qua prodeant ſparſim complurimi aquarum rivuli. Allegorice templum eſt Cælum, & vallis lacrimarum Mundus; quod attigiſſe, ſatis ſuperque ſit; nam Allegoria patet. *In loco, quem poſuit*. Videntur Noſtri mutato Jod in Vav facili tranſitu legiſſe מָעוֹן יְשִׁיתוּהוּ, Habitaculo (appoſitorie) ponent illum, loco ponent eum (Syntaxis Hebræa.

Pro,

Digitized by Google

Pro, Quem ponent) quod nunc Hebræis eſt מַעְיָן, Fontem ponent eum, fletum ſcilicet. Ex multorum collectione rivulorum fontem efficient, ut ſitim ex itinere contractam ſedent. Noſtri verbum hebræum futurum præterito ſingulariter reddiderunt. Quem locum lacrimarum ſibi poſuit, homo ſcilicet, qui ſua culpa in hunc miſerum Mundi ſtatum excidit e paradiſo. Senſus Hebræorum litteralis patet. Allegoricus a Noſtris non valde abſonat. Tranſeuntes in hac valle fletus, & lacrimarum, reddunt eam, ut fontem aquarum indeficientem, non ſemel bisve ea fleviſſe contenti, quibus primorum parentum culpa, & propriis inſuper reatibus, ſe carere ſentiunt. *Etenim*. Jam ſæpius dictum eſt, Noſtros ſic transferre גַּם, Etiam. *Dabit*. Translatio ſenſus. Hebræus: Amiciet, induet, idiotiſmo ſatis pulcherrimo. Ideſt, Replebitur, abundabit, ut copioſe, & largiter dare poſſit. *Legislator*. Vox hebræa eſt æquivoca, doctorem, & pluviam ſignificans. Confuſe Theſaurum. Noſtrorum ſenſus eſt, quod divinam legem, & peccatorum omnium, præſertimque reatus originalis, doctrinam alios docendo, multas benedictiones induet doctor, eaſque dabit, ideſt, proferet, edet, profundet, ab injuſtitia ad juſtitiam homines revocando. Et fortaſſe Chriſtus, qui verus legislator, & doctor eſt, innuitur. Hebræis idiotiſmus eſt pulcherrimus, Imbrem, pluviam induere benedictiones. Ideſt, non tam largiter, quam debitis intervallis, imber deſcendens aerem temperatum reddet, & fontes indeficientes; ut euntes ad templum vel calore ſolis, vel ſitis laſſitudine, nulla affici moleſtia poſſint.

8. *De virtute in virtutem*. Sic transferunt Noſtri ſæpius vocem hanc hebraicam חַיִל, quæ tam animi, quam corporis robur, & fortitudinem ſignificat, & ad alia plura transfertur ſignificanda, ut in Theſauro diximus. Noſtri de animo intelligunt. Ibunt de robore in robur, in dies obtinebunt majorem gratiam, & dona. Hebræi cœtum, turmas euntium ad templum interpretantur. Finguntur plures euntium turmæ, ex quibus nonnumquam contigit, ut aliqui de uno cœtu ad alium pertranſirent, contribulibus ſuis cauſſas aſcenſionis in templum, & inſtitutionis feſti, nec non gratiarum obtentarum numerum, & his ſimilia narrantes. *Deus, Deorum*. Noſtri procul dubio legerunt אֵל per cere, ideoque ſic transferunt; quod nunc Hebræis eſt אֶל præpoſitio: Ad Deum. Syntaxis hebræa. Videri ad Deum, eſt, Apparere Deo, ſe ejus conſpectui offerre. Non longe tamen hinc abeſt Noſtrorum ſenſus, nam Deum videri in Sion, & aliquem videri Deo, vel ad Deum in Sion, idem fere eſt.

9. *Virtutum*. Hebræus: Sabaoth, ut alibi. *Exaudi*. Pro ſimplici Audi poſitum. *Auribus percipe*. Auſculta.

10. *Protector noſter aſpice*. Translatio ſenſus. Hebræus: Clypee noſter, ſcutum noſtrum, o Deus, quo protegimur. Hebræi nihilominus non vocandi caſu, ſed per accuſativum efferunt. Clypeum noſtrum, Meſſiam ſcilicet, Chriſtum vide, o Deus. Summa deprecantium in templo, ut mittatur Chriſtus pro ſalute populi, quem Deus aſpiciens pro illius reverentia fideles exaudiat. *Reſpice*. Aſpice, inſpice. Minima varietas. *In*. Non habetur in Hebræo. *Faciem*. Hebræus pluraliter: Facies Chriſti tui; Lege ſolemniter promiſſi. Poteſt nihilominus & pro aliis regibus, qui ſubditos protegunt, eſſe deprecatio.

11. *Quia melior, &c.* Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Quia bona eſt dies in atriis tuis præ mille; plusquam mille dies etiam feliciſſimi extra Eccleſiam. *Una*. Ad declarationem additum. *Abjectus eſſe*. Translatio ſenſus. Verbum hebræum poteſt derivari a סוף, & ultimum eſſe, ad fines alicujus rei, vel loci ſe collocare; vel a סַף, ideſt, ad limites, ad valvas ſe ponere. Malo, inquit, deſidere ad limen domus

tuæ, licet in ultimo templi loco poſitus, vilis, & abjectus videar, quam in ſplendidis injuſtorum domiciliis primas tenere partes. *Magis quam*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Ab habitare; præ, magis quam commorari. *Peccatorum*. Quaſi legerint Noſtri, punctis immutatis, רֶשַׁע, quam vocem ſic transferre eos, ſæpius vidimus; quod nunc Hebræis eſt nomen ſubſtantivum ſingulare רֶשַׁע, Injuſtitiæ; ideſt, injuſta domicilia, quæ ſcilicet ab injuſtis inhabitantur.

12. *Quia miſericordiam, &c.* Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum; & fortaſſe legerunt כִּי חֶסֶד וֶאֱמֶת אֹהֵב אֱלֹהִים, quod nunc Hebræis poetica locutione ſatis eleganti eſt כִּי שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יְהוָה אֱלֹהִים, Quia ſol, & ſcutum Dominus Deus. Niſi malles, eos tranſtuliſſe ſenſum, volentes explanare, in quo Deus eſſet ſol, & ſcutum. Illuminans, ut Sol, miſericordiam impartitur; protegens, ut ſcutum, promiſſa fideliter perficit. Ad ſolem miſericordia, veritas autem, promiſſorumque præſtatio ad ſcutum in ſimilitudine evolvenda referuntur. Græcus addit Κύριος. *Gratiam*. Ut filiis Dei, in hoc mundo. *Gloriam*. Ut heredibus, vitam æternam in altero præſtabit ſeculo. *Non privabit*. Idem ſenſus in Hebræo. Non prohibebit, non denegabit. *Bonis*. Hebræus ſingulariter: Bonum. *Eos qui ambulant*. Sic Hebræus: Ambulantibus in innocentia. Idiotiſmus. Qui ſe integros, & ſcelerum puros conſervant.

13. *Virtutum*. Hebræus: Sabaoth, ut ſuperius. *Qui ſperat*. Hebræus: Confidens; qui ſine ſpe non eſt.

PSALMUS LXXXV. Lat. LXXXIV.

למנצח לבני קרח מזמור:	1. *Præfecto, filiis Core, pſalmus.*	1. In finem, filiis Core, pſalmus.
רצית יהוה ארצך שבת ש שבות יעקב:	2. *Voluiſti DOMINE terram tuam, reduxiſti captivitatem Jacob.*	2. Benedixiſti DOMINE terram tuam, avertiſti captivitatem Jacob.
נשאת עון עמך כסית כל חטאתם סלה:	3. *Levaſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omne peccatum eorum. Sélah.*	3. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum.
אספת כל עברתך השיבות מחרון אפך:	4. *Collegiſti omnem iram tuam, reduxiſti ab ira naſi tui.*	4. Mitigaſti omnem iram tuam, avertiſti ab ira indignationis tuæ.
שובנו אלהי ישענו והפר כעסך עמנו:	5. *Converte nos Deus ſalutis noſtræ, & diſſolve iram tuam nobiſcum.*	5. Converte nos Deus ſalutaris noſter, & averte iram tuam a nobis.
הלעולם תאנף בנו תמשך אפך לדר ודור:	6. *Numquid æterno iraſceris in nos? protrahes naſum tuum ætati, & ætati?*	6. Numquid in æternum iraſceris nobis? *aut* extendes iram tuam a generatione in generationem?
הלא אתה תשוב תחיינו ו ועמך ישמחו בך:	7. *Numquid non tu redibis, vivificabis nos? & plebs tua lætabuntur in te?*	7. Deus tu converſus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.
הראנו יהוה חסדך וישעך תתן לנו:	8. *Fac nos videre DOMINE pietatem tuam, & ſalutem tuam dabis nobis.*	8. Oſtende nobis DOMINE miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

9. Au-

אשמעה מה ידבר האל יהוה כי ידבר שלום אל עמו ואל חסידיו ואל ישובו לכסלה :	9. *Audiam, quid loquetur Deus DOMINUS, quoniam loquetur pacem ad plebem ſuam, & ad pios ſuos, & non redibunt inconſtantiæ.*	9. Audiam, quid loquatur *in me* DOMINUS Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui convertuntur ad cor.
אך קרוב ליראיו ישעו ל לשכן כבוד בארצנו :	10. *Verumtamen propinqua eſt timentibus eum ſalus ipſius, ad inhabitandum gloriam in terra noſtra.*	10 Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius,ut inhabitet gloria in terra noſtra.
חסד ואמת נפגשו צדק ו ושלום נשקו :	11. *Pietas, & veritas obviam facta ſunt, juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.*	11. Miſericordia, & veritas obviaverunt *ſibi*, juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.
אמת מארץ תצמח וצדק מ משמים נשקף :	12. *Veritas de terra pullulabit, & juſtitia de cælo proſpexit.*	12. Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit.
גם יהוה יתן הטוב ו וארצנו תתן יבולה :	13. *Etiam DOMINUS dabit bonum, & terra noſtra dabit fructum ſuum.*	13. Etenim DOMINUS dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.
צדק לפניו יהלך וישם ל לדרך פעמיו :	14. *Juſtitia faciebus ejus ambulabit, & ponet viæ greſſus ſuos.*	14. Juſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.

ANNOTATIONES.

Elegantiſſima oratione, & floſculis ornata poetarum, inſtruit a captivitate Babylonica liberatos, quid orandum, ut Deus ſolide placatus Chriſtum exhibeat. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcito.

1. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Filiis*. Vel Filiorum. Pſalmus quidem poteſt eſſe vel præfecti filiorum Core, qui erant muſici, vel alterius, & ad pſallendum præfecto filiorum Core datus.

2. *Benedixiſti*. Hebræus: Voluiſti terram tuam, uti ſanctam, & ſemper a te dilectam. Vel etiam, Complacuiſti in terræ incolis, voluntatem propenſam in terram, & incolas oſtendiſti. *Avertiſti.* Hebræus: Reduxiſti captivitatem, a captivitate revocaſti. Nullius fere momenti varietates.

3. *Remiſiſti*. Idem Hebræus ſuo idiotiſmo proprio: Levaſti, abſtuliſti iniquitatem populi, quæ captivitatis cauſſa fuerat. *Omnia peccata*. Hebræus ſingulariter: Omne peccatum. Operire peccatum, idiotiſmus; ne amplius videatur ſcilicet. De Sélah dictum eſt alibi.

4. *Mitigaſti*. Non longe aliter Hebræus ſuo tropo: Collegiſti omnem indignationem tuam, quam olim iratus in nos ſparſeras. *Avertiſti*. Hebræus: Reduxiſti; ne in iram tuam incidamus iterum. *Ab ira*. Nonnullis vox iſta infinitivus eſt: Ab iraſcendo, ne amplius iraſcatur, naſum tuum reduxiſti, avertiſti. *Indignationis*. Vox hebræa naſum, & indignationem, poſtea iram per translationem ſignificat.

5. *Salutaris noſter*. Sic transferre

Noſtros vocem hanc, ſæpius vidimus. Hebræus: Salutis noſtræ; auxilii noſtri; qui noſtra ſalus, & auxilium es. *Converte*. Idem Hebræus: Reduc nos, in priſtinum ſtatum reſtitue. *Et averte, &c.* Non aliter Hebræus, quamvis ſuo loquendi tropo: Diſſolve, labefacta iram tuam nobiſcum, ne iratus nobis in poſterum ſis.

6. *In æternum*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Seculo, æterno. *Nobis*. Idem Hebræus: In nos, contra nos. *Aut*. Non habetur in Hebræo. *Extendes, &c.* Non aliter Hebræus ſuo idiotiſmo proprio perquam ornato: Protrahes naſum tuum (iram tuam) ætati, & ætati. Per ſingulas ætates, & generationes, dilato Chriſto tuo.

7. *Deus*. Videntur Noſtri, litteris tantum transpoſitis, legiſſe הָאֵל, non אֱלֹהִים, ut Genebrardus vellet, quod nunc Hebræis eſt interrogativa dictio הֲלֹא, Annon? numquid non? Nullius momenti variatio. *Converſus*. Hebræus futuro: Redibis. Eſt autem Hebraiſmus elegans (de quo etiam alibi dictum eſt), Redire, vivificare; pro, Rurſum, iterum vivificare, ſalvare; quod notes. *Lætabitur*. Hebræus pluraliter: Lætabuntur, gaudebunt. Diſcordantia vocis, non ſenſus, nam populus pluralitatem includit.

8. *Oſtende nobis*. Sic Hebræus: Fac nos videre. *Miſericordiam*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Pietatem, beneficia, quæ nobis conferre ſoles. *Salutare*. Sic verſ. 5, & alibi, transferre Noſtros vidimus. Hebræus: Salutem tuam, auxilium tuum, alluſione ad nomen Jeſu. *Da*. Hebræus futuro: Dabis. Dare ſalutem, idiotiſmus, ut in Theſauro.

9. *Loquatur*. Hebræus idem futuro: Loquetur. *In me*. Ad declarationem additum. *Dominus Deus*. Idem Hebræus, ſed transpoſite: Deus Dominus. *In*. Hebræus: Ad. Loqui pacem ad aliquos, idiotiſmus. Ideſt, afferre proſpera, & bona quæque. *Super*. Hebræus iterum: Ad. *Sanctos*. Sic Noſtri transferunt, ut alibi vidimus. Hebræus: Pios. Idem ſenſus. *Et in eos, qui convertuntur*. Videntur Noſtri procul dubio punctis immutatis legiſſe וְאֶל יָשׁוּבוּ, Et ad (eos, qui) redibunt; quæ nunc Hebræis eſt negativa dictio וְאַל, Et non redibunt, revertentur. *Ad cor*. Arbitror, Noſtros mutato Caph in Beth, & dictione diviſa, legiſſe לֵב סֶלָה, corde, ad cor. Selah. Quod nunc Hebræis eſt לְכִסְלָה, inconſtantiæ, ſtultitiæ, ad ſtultitiam. Idem tamen ſenſus ubique, nam Redire corde, vel ad cor; &, Non reverti ad inconſtantiam, æquipollent, ſi recte conſideres. Non revertentibus ad dementiam amplius, ſerio videlicet reſipiſcentibus loquitur Deus; pacem eis, reconciliationem, & gratiam promittit.

10. *Verumtamen*. Equidem, ſane. Aſſeverandi particula. *Prope timentes eum*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Propinqua eſt timentibus eum. *Salutare*. Hebræus: Salus, auxilium ipſius, ut ſuperius, & alibi. *Ut inhabitet gloria*. Idem Hebræus gerundio: Ad inhabitandum gloriam; de qua fortaſſis Joannis 1. Habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, &c.

11. *Miſericordia*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Pietas, & veritas obviaverunt, obviam factæ ſunt invicem. Poeticæ locutiones ſunt omnes iſtæ perquam elegantiſſimæ uſque ad finem pſalmi, quæ notandæ ſunt. Beneficia ſtabilia promittuntur fidelibus. Conſule Theſaurum. *Sibi*. Ad declarationem a Noſtris additum. Cauſſa durationis beneficiorum Dei eſt hominum juſtitia, & pax Dei, quæ ſibi mutua ita firmiter oſcula impreſſerunt, ut divelli non poſſint. *Oſculatæ ſunt* Adhæſerunt, conjunctæ ſunt; hunc enim ſenſum habet verbum hebraicum. Poſſemus etiam interpretari: Juſtitiam, & pacem oſculatæ ſunt; pietas videlicet, veritaſque. Hæc omnia, pietas, pietatiſque firmitas, vel etiam fides, ſinceritas, integritas juſtitiam, & pa-

Digitized by Google

& pacem oſculatæ, ſic conjuncta ſunt, ut disjungi nequeant.

12. *Orta eſt*. Hebræus futuro: Pullulabit, florebit, orietur de terra; ideſt, de hominibus terræ incolis. Metonymice. Dum integritati ſtudent, beneficiorum divinorum firmitas, & ſtabilitas oritur, & juſtitia ad eos remunerandos de cælo proſpicit. Phraſes pulcherrimæ, ut in Theſauro. Allegorice veritas, & juſtitia Chriſtum innuunt, qui natus de terra, ideſt, utero virgineo, nos juſtificavit.

13. *Etenim*. Sic Noſtri ſæpius transferunt particulam גם, Etiam. *Dabit benignitatem*. Bonum; benigne faciet, ſibi nos reconcilians, ut terra noſtra abunde omnia proferat.

14. *Ante eum*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Faciebus illius. *Ambulabit*. Ut fideles Deo reconcilier, & omnibus, quæ juſta ſunt, reddat. *In via*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Viæ ponet greſſus ſuos, itineri ſe committet. Ejuſdem ſententiæ verbis diverſis repetitio. Ambulare, & Ponere pedes, viæ, idem ſunt. Verbum hebræum הלך nonnumquam eſt tranſitivum; quare ſic transferre totum verſiculum poſſemus. Juſtitiam faciebus ſuis (ante ſe Deus) ire faciet, & ponet viæ greſſus illius. Fidelibus ex animo a peccatis revertentibus Deus bona omnia juſte contribuit, & data inſuper juſte conſervat. Genebrardus neſcio quid aliud excogitare videtur, quem, ſi libet, conſule. Puritatem, & ſimplicitatem horum idiotiſmorum nos conſervare conamur.

PSALMUS LXXXVI. Lat. LXXXV.

תפלה לדוד:	1. *Pſalmus ipſi David.*	1. Oratio ipſi David.
הטה יהוה אזנך ענני כי עני ואביון אני:	2. *Inclina DOMINE aurem tuam, reſponde mihi, quoniam afflictus, & pauper ſum ego.*	2. Inclina DOMINE aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops, & pauper ſum ego.
שמרה נפשי כי חסיד אני הושע עבדך אתה אלהי הבוטח אליך:	3. *Cuſtodi animam meam, quoniam pius ſum, ſalvum fac ſervum tuum tu Deus meus fidentem ad te.*	3. Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum, ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te.
חנני יהוה כי אליך אקרא כל היום:	4. *Miſerere mei DOMINE, quoniam ad te clamabo tota die.*	4. Miſerere mei DOMINE, quoniam ad te clamavi tota die.
שמח נפש עבדך כי אליך אדני נפשי אשא:	5. *Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levabo.*	5. Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.
כי אתה יהוה טוב וסלח ורב חסד לכל קראיך:	6. *Quoniam tu DOMINE bonus, & clemens, & multæ pietatis omnibus vocantibus te.*	6. Quoniam tu DOMINE ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.
האזינה יהוה תפלתי והקשיבה בקול תחנונותי:	7. *Auribus percipe DOMINE orationem meam, & auſculta* in *vocem deprecationum mearum.*	7. Auribus percipe DOMINE orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.

8. In

ביום צרתי אקראך כי ת תענני :	8. *In die tribulationis meæ vocabo te, quia reſpondebis mihi*.	8. In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudiſti me.
אין כמוך באלהים ארני ואין במעשיך :	9. *Non eſt ſicut tu in Diis, Domine, & non eſt ſecundum opera tua*.	9. Non eſt ſimilis tui in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua.
כל גוים אשר עשית יבואו וישתחוו לפניך אדני ויכבדו לשמך :	10. *Omnes gentes, quas feciſti, venient, & adorabunt faciebus tuis, Domine, & glorificabunt nomini tuo*.	10. Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum.
כי גדול אתה ועשה נפלאות אתה אלהים לבדך :	11. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolitudini ſuæ*.	11. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.
הורני יהוה דרכך אהלך ב באמתך יחד לבבי ליראה ש שמך :	12. *Doce me, DOMINE, viam tuam, ingrediar in veritate tua, uni cor meum ad timendum nomen tuum*.	12. Deduc me DOMINE in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.
אודך ארני אלהי בכל לבבי ואכבדה שמך לעולם :	13. *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum æterno*.	13. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.
כי חסדך גדול עלי והצלת נפשי משאול תחתיה :	14. *Quia pietas tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori*.	14. Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.
אלהים זדים קמו עלי ועדת עריצים בקשו נפשי ולא שמוך לנגדם :	15. *Deus ſuperbi inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te e regione ſui*.	15. Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.
ואתה ארני אל רחום וחנון ארך אפים ורב חסד ואמת :	16. *Et tu Domine Deus miſerator, & miſericors, longus irarum, & multæ pietatis, & veritatis*.	16. Et tu Domine Deus miſerator, & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax.
פנה אלי וחנני תנה עזך ל לעבדך והושיעה לבן אמתך :	17. *Reſpice ad me, & miſerere mei, da robur tuum puero tuo, & auxiliare filio ancillæ tuæ*.	17. Reſpice in me, & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo, & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.
עשה עמי אות לטובה ויראו שנאי ויבשו כי אתה יהוה עזרתני ונחמתני :	18. *Fac mecum ſignum bono, et videbunt oſores mei, et confundentur, quoniam tu DOMINE adjuviſti me, et conſolatus es me*.	18. Fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu DOMINE adjuviſti me, & conſolatus es me.

AN-

ANNOTATIONES.

Fidelibus orandi modum, præſertim afflictionis tempore, non inelegan- ti carmine præſcribit. Chriſto competit. Diſtinctionum varietates ex te recognoſcas velim.

1. *Ipſi David.* Davidis oratio, deprecatio.

2. Inclinare aurem, idiotiſmus ſatis notus, ut in Theſauro. *Et.* Non habetur in Hebræo. *Exaudi me.* Hebræus: Reſponde mihi; quod exauditionis ſignum eſt. Exaudiri petit multis de cauſis, quæ patent in pſalmo diligentius intuenti. *Inops.* Vox hebræa Afflictum vel paupertate, vel alia quavis tribulatione, ſignificat.

3. *Sanctus.* Sic transferunt Noſtri, ut alibi vidimus. Hebræus: Pius, beneficus (paſſive), in quem ſcilicet multa beneficia contuliſti, nempe fidem, regnum, & hujuſmodi, propter quæ animam, & vitam meam ſervari efflagito. *Servum.* Cultorem. *Sperantem in te.* Hebræus: Fidentem ad te. Ex ſpe confidentia, & verſa vice ſpes ex confidentia naſcitur.

4. *Clamavi.* Hebræus futuro: Vocabo, clamabo. Minima varietas.

5. *Levavi.* Hebræus iterum futuro: Levabo. Levare animam ad aliquem, idiotiſmus elegans, pro Suſpicere ad illum omnibus animæ potentiis, ut tibi ſuffragetur. Conſule Theſaurum.

6. *Suavis, & mitis.* Non longe aliter Hebræus Bonus, & clemens, facilis ad ignoſcendum, propitiabilis. *Miſericordiæ.* Sic transferunt Noſtri. Hebræus: Pietatis. Qui multa in tuos conferre beneficia non ceſſas. *Invocantibus.* Poſitum pro ſimplici Vocantibus.

7. *Auribus percipe.* Auſculta. *Intende voci.* Hebræus ſuo loquendi tropo: Auſculta *in* vocem. Verba hebræa ſunt ſynonyma. *Deprecationis meæ.* Hebræus pluraliter: Deprecationum mearum.

8. *Clamavi ad te.* Hebræus futuro: Vocabo te, clamabo ad te. *Exaudiſti me.* Hebræus iterum futuro: Reſpondebis mihi. Quod exauditionis eſſe ſignum, ſæpius diximus. Nullius fere momenti varietates.

9. *Similis tui.* Sic Hebræus: Sicut tu in Diis, tam falſis, quam divis, & angelis; & nulla eorum facta tuis operibus comparari poſſunt.

10. *Quaſcumque.* Sic Hebræus: Quas feciſti, creaſti, venient vel proprie, vel ſaltem fide, credendo, & in unam Eccleſiam coaleſcendo. *Coram te.* Hebræus idem: Faciebus tuis ſe incurvabunt, proſternent. *Nomen tuum.* Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Nomini tuo.

11. *Solus.* Sic Hebræus ſuo loquendi tropo: Solitudini tuæ.

12. *Deduc me Domine in via tua.* Translatio ſenſus. Hebræus: Doce me viam tuam. Idiotiſmus notus. Quibus modis tibi placere poſſim, inſinua. *Et.* Non habetur in Hebræo. Ingredi in veritate, alter idiotiſmus. Ideſt, fac ut firmiter, & conſtanter tibi placeam. Vide Theſaurum. *Lætetur.* Quaſi legerint Noſtri punctis immutatis יִחַד, lætabitur, gaudebit, a radice חָדָה; quod nunc Hebræis eſt imperativus יַחֵד, Uni cor meum; ne ſcilicet rebus aliis diſtractum ſit a timore tuo. Te ſolum amandum, & timendum agnoſcat, quod ſi fuerit aſſequutum, ingenti ſane gaudio perfundetur. *Ut timeat.* Idem Hebræus gerundio: Ad timendum nomen tuum, majeſtatem tuam, te ipſum.

13. *Confiteri in toto corde.* Hebræus: Pro toto corde, non in aliis curis diſtracto, ſed unito in hac una re, ut ita dicam; totis conatibus, & ſtudiis celebrare. *In æternum.* Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Seculo, æterno.

14. *Miſericordia.* Sic Noſtri transferunt. Hebræus: Pietas. *Ex inferno inferiori.* Vox hebræa infernum, & ſepulcrum ſignificat. Noſtri de deſcenſu Chriſti ad inferos intelligunt. Hebræi

vero

Digitized by Google

vero de ſepulcro, cui additur Inferiori, exaggerandi gratia poetice, quaſi profundius ſepulti in pejori conditione ſint. Eripere animam, vitam a ſepulcro, eſt idiotiſmus, pro A ſummis periculis, & a morte certa ac manifeſta liberare.

15. *Iniqui*. Hebræus: Superbi, arrogantes. Minimi momenti variatio. *Potentiam*. In malam partem. Hebræus: Cœtus tyrannorum ; congregatio violentorum. Quærere animam, idiotiſmus elegans, ut in Theſauro. *In conſpectu ſuo*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Oppoſitioni ſuæ, e regione ſui.

16. *Patiens*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Longus narium, longus ira, longanimis, ad iram tardus. *Miſericordiæ*. Hebræus: Pietatis, ut alibi. *Et verax*. Hebræus ſubſtantivo: Veritatis. Multus pietatis, & veritatis, eſt Hebraiſmus elegantiſſimus, ideſt, beneficia conferens innumera, & eadem conſervans. Conſule Theſaurum.

17. *In me*. Hebræus: Ad me; ut mihi opem feras. *Imperium*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus: Robur, potentiam, & conſequenter ex hoſtibus victoriam, ut libere poſſim imperare. *Puero*. Servo, cultori tuo. *Filium*. Hebræus dativo, de more linguæ: Auxiliare, opem feras ancillæ tuæ filio. Conditionis exaggeratio. Non ſolummodo ſervum, ſed & ancillæ tuæ filium me profiteor, quem, ut vernam, adjuves.

18. *In bonum*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Bono. Facere ſignum eſſe bono alicui, eſt Hebraiſmus elegans. Ideſt, ex aliquo ſigno meam ſalutem, & liberationem agnoſcant omnes. *Ut videant*. Hebræus futuro: Et videbunt. *Qui oderunt me*. Hebræus: Oſores mei. *Confundantur*. Hebræus iterum futuro: Confundentur; quod præſens auxilium, & conſolationem tuam viderint.

PSAL-

PSAL. LXXXVII. Latinis LXXXVI.

לבני קרח מזמור שיר יסודתו בהררי קדש׃	1. *Filiis Core, pſalmus cantici.* *Fundatio ejus in montibus ſanctitatis.*	1. Filiis Core, pſalmus cantici. Fundamenta ejus in montibus ſanctis:
אהב יהוה שערי ציון מכל משכנות יעקב׃	2. *Diligit DOMINUS portas Sion præ omnibus tabernaculis Jacob.*	2. diligit DOMINUS portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.
נכבדות מדבר בך עיר האלהים סלה׃	3. *Glorioſa dictum eſt in te civitas Dei. Sélah.*	3. Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei.
אזכיר רהב ובבל לידעי הנה פלשת וצור עם כוש זה ילד שם׃	4. *Memorabo Rahab, et Babylonem notis meis; ecce Palæſtina, et Tyrus cum Æthiopia; iſte natus eſt illic.*	4. Memor ero Rahab, & Babylonis, ſcientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.
ולציון יאמר איש ואיש ילד בה והוא יכוננה עליון׃	5. *Et Sioni dicetur; Vir, et vir natus eſt in ea, et ipſe aptavit eam Altiſſimus.*	5. Numquid Sion dicet, homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus?
יהוה יספר בכתוב עמים זה ילד שם סלה׃	6. *DOMINUS deſcribet in ſcribendo populos, iſte natus eſt illic. Sélah.*	6. DOMINUS narrabit in Scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea.
ושרים כחללים כל מעיני בך׃	7. *Et cantantes ſicut tibicines, omnes reſpectus mei ſunt in te.*	7. Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.

ANNOTATIONES.

SIonem a numero virorum illuſtrium elegantiſſimo carmine, & miro laudat artificio. Convenit Eccleſiæ. Mirum eſt, quam varius ſit Vulgatus ab Hebræo in hoc pſalmo tam brevi, cujus variationis cauſſas nos afferre conabimur. Diſtinctionum autem varietates ex te recognoſcito.

1. *Filiis.* Vel, Filiorum Core pſalmus cantici, vel canticum, ut alibi diximus. Oda voce, & inſtrumento muſico decantanda. *Fundamenta ejus.* Idem Hebræus ſingulariter: Fundamentum, fundatio ejus. Relativum hoc Noſtris eſt ſine antecedente, vel ſaltem antecedenti præpoſitum, ut nonnumquam in hac lingua fieri vidimus in grammaticis rebus: Sionis videlicet; quamvis Sion in Hebræo fœmininum ſit genere, & relativum hoc, maſculinum. Fundamenta Sionis, Eccleſiæ, ſunt in montibus ſanctis Jeruſalem. Hebræis autem eſt relativum pſalmi, cantici. Hujus pſalmi fundamentum eſt in, de montibus ſanctis, Sione, Moria, & aliis circumadjacentibus. Hic pſalmi ſcopus, ut Sionis montes canam. *Sanctis.* Idem Hebræus ſubſtantivo, de more linguæ: Sanctitatis. Qui Deo conſecrati ſunt.

2. *Portas.* Ubi fiebant antiquitus judicia. Conſule Theſaurum. *Super omnia tabernacula.* Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Ab, præ omnibus tabernaculis Jacob; pluſquam reliquas urbes omnes ſynagogæ. Itidem Roma diligitur a Chriſto ſuper omnes alias Eccleſias.

3. *Dicta ſunt*. Verbum hebræum eſt ſingulare, poſitum imperſonaliter, & ob id ornate additur plurali: Glorioſa, res præclaræ, dictum eſt, dicitur, dicuntur. *De te*. Idem Hebræus ſuo tropo: In te. De Sélah, quod bis legitur in hoc pſalmo, dictum eſt alibi.

4. *Memor ero*. Noſtri procul dubio punctis immutatis legerunt in Cal אֶזְכּוֹר, Recordabor; quod nunc Hebræis eſt Hiphil אַזְכִּיר, Memorabo, mentionem de quibuſdam præclaris regionibus faciam, ut ex harum collatione Sionis nobilitas facilius agnoſcatur. *Rabab*. Ægyptii, propter ſuperbiam, in Scriptura ſic appellantur. Vide Theſaurum. Hebræus accuſativo: Memorabo Rahab, & Babylonem. *Scientium me*. Agnoſcentium me. Noſtri procul dubio, detracto lamed a capite vocis, quod non fuit admodum difficile (nam & Babylon hebraice cum lamed terminatur בָּבֶל) legerunt יֹדְעַי, conjungentes ad Rahab, & Babylonem, quæ provinciæ ad fidem converſæ Deum, agnoſcunt. Quod nunc Hebræis eſt לְיֹדְעָי, ſcientibus me, meis notis, civibus meis. Græcus etiam habet, τοῖς γινώσκουσί με. Vobis, o concives, has provincias, uti nobiliores, commemorabo. An non ſuperba Ægyptus? an non inclyta Babylon? an non fere invincibilis Palæſtina? An non glorioſa Tyrus? an non tandem gentis multitudine referta Æthiopia? Ex quibus nihilominus per ſingulas ætates pauciſſimi prodierunt illuſtres viri. *Ecce alienigenæ*. Sic Philiſtæos appellari, ſuperius docuimus. Hebræus: Palæſtina. *Et populus Æthiopum*. Arbitror, Noſtros puncto vocali tantum mutato legiſſe וְעַם כּוּשׁ, Et populus Æthiopiæ; quod nunc Hebræis eſt עִם כּוּשׁ, Cum Æthiopia. Minimi momenti varietas. *Hi fuerunt illic*. Suſpicor, Vulgatum, inconſulto græco, alium habuiſſe textum hebraicum, &, ſi conjectare mihi licet, cenſeo, nonnullis tranſpoſitis, & immutatis, non impoſſibili vocum tranſitu, legiſſe אֵלֶּה שָׁם, Hi omnes ſupradicti, fuerunt, nati ſunt illic, in Eccleſia ſcilicet renati. Hebræus nunc legit זֶה יֻלַּד שָׁם, Ille natus eſt illic. Lxxii. putarunt eſſe numeri ſynecdochen dicentes, hi ἐγεννήθησαν, nati fuerunt illic. Hebræis eſt pulcrum loquendi ſchema de viris illuſtribus tantum intelligendum, juxta illud, At pulcrum eſt digito monſtrari, & dicier, Hic eſt. Raros fuiſſe viros illuſtres in prædictis regionibus oſtendit, ut vix poſſit de uno affirmari, quod iſte natus eſt illic. Pauciſſimos, & pene unicos potes demonſtrare viros celebres ex illis provinciis oriundos. Singulas regiones ſupradictas vix ſingulos nobis protuliſſe viros paullo celebrioris famæ, velim mihi credas. Quidam ex Noſtris ad Chriſtum referunt, qui natus ibi, tantarum rerum origo, & cauſſa fuit.

5. *Numquid Sion*. Videntur Noſtri non admodum difficili tranſitu Vav in He legiſſe הַלְצִיּוֹן, Numquid Sioni? de Sione? Quod nunc Hebræis non interrogative, ſed affirmative ponitur וּלְצִיּוֹן, Et Sioni, de Sione, prout ſyntaxis hebræa non refugit, & verborum ſententia poſtulat, licet Genebrardus ad relativum *In ea* non attendens, alios omnes inſimulet dormire, qui dativo caſu Sion non exponant. Idem autem erit ſenſus perpetuo, ſive legas interrogative cum Noſtris, ſive affirmative cum Hebræis. *Dicet*. Noſtri punctis immutatis legerunt in Cal יֹאמַר, Dicet (ſupple, quilibet, quivis). Quod nunc Hebræis eſt ex Niphal יֵאָמַר, Dicetur, ab omnibus videlicet. Idem ſenſus ubique. Numquid Sioni, de Sione dicet aliquis? Quaſi ſtatim ſubdat, Dicet profecto. Vel ut Hebræus: Et Sioni, de Sione dicetur, hoc quod ſequitur. *Homo, & homo*. Idiotiſmus elegans. Multos per Baptiſmum quotidie renaſci in Sione, in Eccleſia, Noſtrorum eſt ſenſus allegoricus. Hebræus autem: Vir, & vir, innumeri inſignes viri nati ſunt in Sione. Quot reges? Quot prophetas? quot ſa-

Digitized by Google

ſacerdotes? Quot ſapientes nobis protulit? Conſule ſacras hiſtorias, qui hæc apertius ſcire deſideras. *Fundavit*. Hebræus: Aptavit, præparavit. Altiſſimus ipſe Deus Sionis conditor, ſic apte diſpoſuit eam in loco terrarum omnium amœniſſimo (pſalmo 48. 3.), ut præclarorum virorum altrix eſſet.

6. *Narrabit*. Quaſi legerint Noſtri punctis immutatis in pihel, יְסַפֵּר, quod nunc Hebræis eſt Cal יִסְפּוֹר eleganter a סֵפֶר deductum. Ideſt, in libro ſcribet. Nullius tamen momenti eſt varietas, nam idem eſt Narrare ſcriptis, & Narrare voce. *In ſcripturis*. Idem Hebræus, ſed infinitivo: In ſcribere, in ſcribendo. *Populorum*. Paſſive. Quibus deſcribuntur mortales omnes in hanc vitam ingredientes. Hebræus paullo clarius: In ſcribendo populos. Cum populos & nationes omnes libro deſcribit. Fictio poetica. Deo dantur libri complurimi, ut patet in Scripturis. In hoc autem noſtro deſcribuntur mortales intrantes in lucem hanc ſeculi, & quis, & qualis unuſquiſque eſſe debeat, in eo delineatur, ut puta: Naſcatur Petrus in Italia ex nobili Malvetiorum familia, ſitque inſignis Philoſophus, Theologus, &c. Quid autem ſcribat Deus, quod nunc ad propoſitum noſtrum faciat, mox aperiemus. *Et principum*. Suſpicor unum e duobus, vel Noſtros ſcilicet alium habuiſſe textum, vel hos duos verſus per Hyperbaton intellexiſſe. Et quidem quod attinet ad præſentem dictionem, Hebræus habet in principio ſequentis verſiculi וְשָׂרִים, quæ vox ſi legatur per Scin ſiniſtrum שָׂרִים, principes ſignificat; ſi per dextrum, שָׁרִים, cantores, ut alibi etiam vidimus. Fieri poteſt igitur, ut olim ſuerit hoc loco poſita vox: vel per Hyperbaton, ut diximus, Noſtri eam tranſpoſuerint, legentes וְשָׂרִים, Et principum. Dum populi, principeſque deſcribuntur. Hebræus legit in alio dictionis ſenſu, ut mox dicemus. *Horum, qui fuerunt in ea*. Arbitror, Noſtros hoc loco iterum legiſſe, prout ſuperius verſ. 4. וְשָׂרִים אֵלֶּה שָׁם, Et principum horum (qui fuerunt) illic. Hebræus, ut ſuperius, habet זֶה יֻלַּד שָׁם, Hic natus eſt ibi. Græcus etiam legit τῶν γεγεννημένων ἐν αὐτῇ, Natorum in ea. Noſtrorum ſenſus eſt, quod dum ſcribet populos, & principes Deus, qui fuerint in Sione, ideſt in Eccleſia cooptati, narrabit hæc glorioſa, & magnifica, quæ de ea prædicta ſunt, vel certe orationem hanc panegyricam verſiculi ſequentis ad eos habebit. Hebræa verba plures ſenſus habere poſſunt. Dei verba, quæ ſcribat, vel narret in ſcripturis populorum, eſſe certum eſt. Quidam ſingulariter de quovis illuſtri viro, qui natus in Sione ſit, intelligunt. Quidam altius ad Chriſtum referunt. Quidam tandem per ſynecdochen ſapientes omnes, qui nati ſunt in Sione, exponunt. Mihi verſus eſt intercalatus, per Hyperbaton ad quartum referendus propter illa verba *in ſcribendo populos*, quæ notes velim. Dixerat ſuperius, pauciſſimos illuſtres viros ex illis provinciis naſci, nunc generalius de omnibus nationibus idem inculcat. Naſcentium, ait, populorum vitas Dominus in libro deſcribens, de paucis, & rarius iſta verba ſubdit, Hic natus eſt ibi, in populorum provinciis; ut intelligas, ignobiles, & obſcurioris famæ viros non eſſe dignos, qui dicantur olim eſſe nati. Paucos vel doctrina, vel armis, vel alia re ſuſpiciendos homines ex gentilibus antiquitas nobis protulit, ſi conferas cum his, qui vel ex Sione, vel ex Eccleſia nati, celebriorem in univerſum orbem famam ex virtutibus contraxerunt. Non diſplicet tamen eodem ſenſu per excellentiam ad Chriſtum referre. Hic natus eſt ibi; ideſt in Sione, ut Populorum vox non paſſive, quemadmodum nos ſuperius fecimus, accipiatur, ſed active. In ſcripturis populorum, in quibus olim ipſe blaſphemabatur, conſcribet Dominus, Hic Chriſtus natus eſt ibi, In Sione. In ſuam, atque Eccleſiæ laudem ſcripturas, linguas, & libros populorum convertet.

7. *Sicut lætantium omnium*, &c. Hebræus incipit verſiculum, ut ſuperius diximus: Et canunt, vel & cantores, ſicut tibicines, &c. Noſtri ſenſum transferentes connectunt cum ſuperioribus ſic per Hiſterologiam: Habitatio omnium piorum eſt in te, o Sion, tamquam lætantium, tubis tripudiantium. Quaſi diceret, quotquot te incolunt, vere gaudent. Videntur autem legiſſe, paucis immutatis, facili vocis tranſitu, כָּל מְעוֹן, Omnis, vel omnium habitatio; quod nunc Hebræis eſt מַעְיָנַי, vox æquivoca. Fontem, ſcaturiginem, & inſpectionem, quaſi oculationem, barbara dictione, docendi gratia, diceremus. Conſule Theſaurum. Obſcurior eſt ſententia ex verbis claris, & perſpicuis derivata. Plures ſic interpretantur: Et cantores, ſicut tibicines, omnes fontes mei in te. Ideſt, cantores, ſicut & tibicines, canent tibi in hæc verba: Fontes mei, o Sion, ideſt, omnes ingenii, meæque venæ ſtudia (cogitationes metaphorice, quæ jugiter a corde ſcaturiunt, fluunt, & manant) in te ſunt. Poſſemus interpretari per Hyperbaton ſic ad quintum verſum revertentes: Non ſolum innumeri quotidie naſcuntur viri celebres in Sion, ſed & cantores (ſunt in ea) tamquam tibicines. Facilius autem eſt inſtrumentis muſicis ludere, quam voce ſuavi, & delectabili canere. Infinitos habuit tibicines Sion, cantores etiam infinitos. Lege Paralipomenon libros. Ex his fuerunt nepotes Core, qui canerent in hæc verba: Omnes fontes mei ſunt in te. Vel eſt idiotiſmus in lingua hebraica conſuetus, pro, Tam cantores, quam tibicines; canunt ſcilicet omnes, &c. Mihi ſenſus eſſe videtur ſimplicior, ſi transferamus: Et canunt, (ideſt, canitur, nam utuntur tertiis imperſonaliter Hebræi, prout in Grammaticis docuimus) ſicut tibicines, tamquam lætanies, & tripudiantes, nempe fideles, verba hæc: Omnes inſpectiones meæ ſunt in te, o Sion. Te excepta nihil aliud inſpicere curo. Hebraiſmus perquam ornatus. Poſſent nihilominus eſse verba populorum fide renaſcentium, qui canant, & tripudient, & geſtiant de Chriſto, dicentes: Omnes, &c. Nec obſtat, quod *In te* ſit fœminini generis, nam etiam alibi de maſculis dici reperitur.

PSAL. LXXXVIII. Lat. LXXXVII.

שיר מזמור לבני קרח ל למנצח על מחלת לענות ם משכיל להימן האזרחי:	1. *Canticum pſalmi, filiis Core, Præfecto ſuper Mahalath, ad reſpondendum intellectus Heman Ezrahitæ.*	1. Canticum pſalmi filiis Core, in finem pro Maheleth ad reſpondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.
יהוה אלהי ישועתי יום צ צעקתי בלילה נגדך:	2. *DOMINE Deus ſalutis meæ, die clamavi, in nocte coram te.*	2. DOMINE Deus ſalutis meæ, *in* die clamavi, & nocte coram te.
תבא לפניך תפלתי הטה אזנך לרנתי:	3. *Veniet faciebus tuis oratio mea, inclina aurem tuam ovationi meæ.*	3. Intret in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.
כי שבעה ברעות נפשי ו וחיי לשאול הגיעו:	4. *Quia ſatiata eſt in malis anima mea, & vitæ meæ inferno appropinquaverunt.*	4. Quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.
נחשבתי עם יורדי בור ה הייתי כגבר אין איל:	5. *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus laci, fui ſicut vir, non fortitudo.*	5. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adjutorio, 6. inter mortuos liber.
במתים חפשי כמו חללים שכבי קבר אשר לא זכרתם עוד והמה מידך נגזרו:	6. *In mortuis liber ſicut interfecti jacentes ſepulcri, quorum non memor fuiſti (eorum) adhuc, & ipſi de manu tua exciſi fuerunt.*	Sicut vulnerati dormientes in ſepulcris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.
שתני בבור תחתיות ב במחשכים במצלות:	7. *Poſuiſti me in lacu inferorum, in tenebroſis, in profundis.*	7. Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in umbra mortis.
עלי סמכה חמתך וכל מ משבריך ענית מלא:	8. *Super me innixus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos afflixiſti. Selah.*	8. Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti *ſuper me*.
הרחקת מידעי ממני שתני תועבת למו כלא ולא אצא:	9. *Longe feciſti notos meos a me, poſuiſti me abominationes eis, concluſum, & non egrediar.*	9. Longe feciſti notos meos a me, poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum, & non egrediebar.
עיני דאבה מני עני קראתיך יהוה בכל יום שטחתי אליך כפי:	10. *Oculus meus languit ab afflictione, vocavi te DOMINE in tota die, expandi ad te palmas meas.*	10. Oculi mei languerunt præ inopia. Clamavi *ad* te DOMINE, tota die expandi *ad* te manus meas.

הלמתים תעשה פלא אם רפאים יקומו יודוך סלה׃	11. *Numquid mortuis facies mirabile? ſi mortui ſurgent, confitebuntur tibi? Sélah.*	11. Numquid mortuis facies mirabilia? aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?
היספר בקבר חסדך אמונתך באבדון׃	12. *Numquid narrabitur in ſepulcro pietas tua? veritas tua in perditione?*	12. Numquid narrabit *aliquis* in ſepulcro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?
היודע בחשך פלאך יצדקתך בארץ נשיה׃	13. *Numquid cognoſcetur in obſcuritate mirabile tuum? & juſtitia tua in terra oblivionis?*	13. Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terra oblivionis?
ואני אליך יהוה שועתי ו ובבקר תפלתי תקדמך׃	14. *Et ego ad te DOMINE clamavi, & in mane oratio mea præveniet te.*	14. Et ego ad te DOMINE clamavi, & mane oratio mea præveniet te.
למה יהוה תזנח נפשי [ת] תסתיר פניך ממני׃	15. *Ut quid DOMINE elongabis animam meam? abſcondes facies tuas a me?*	15. Ut quid DOMINE repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me?
עני אני וגוע מנער נשאתי אמיך אפונה׃	16. *Afflictus ego, & deficiens a juventute levavi terrores tuos, dubitabo.*	16. Pauper ſum ego, & in laboribus a juventute *mea*, exaltatus *autem* humiliatus ſum, & conturbatus.
עלי עברו חרוניך בעותיך צמתותני׃	17. *Super me tranſierunt furores tui, terrores tui exciderunt me.*	17. In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me.
סבוני כמים כל היום ה הקיפו עלי יחד׃	18. *Circumdederunt me ſicut aqua tota die, circumdederunt ſuper me ſimul.*	18. Circumdederunt me ſicut aqua tota die, circumdederunt me ſimul.
הרחקת ממני אהב ורע מ מידעי מחשך׃	19. *Elongaſti a me amicum, & proximum, noti mei obſcuritas.*	19. Elongaſti a me amicum, & proximum, & notos meos a miſeria.

ANNOTATIONES.

HOminem ab inimicis vexatum, ab amicis deſtitutum, & miſeriis omnibus affectum, opem Dei implorantem, elegantiſſimo carmine, vereque figuris, & locutionibus poetico, deſcribit. Ægrotis, & afflictis, præcipueque peſte laborantibus, ad verbum fere congruit. Varius eſt ſatis Vulgatus ab Hebræo, cujus rei cauſas nos afferemus. Diſtinctionum autem varietates ex te recognoſcito.

1. *Pſalmi*. Vel, Pſalmus, ut alibi. *Filiis*. Vel, Filiorum. *In finem*. Hebræus: Præfecto, ut ſuperius. *Pro Mahel eth*. Hebræus: Super Mahalath. Pro cujus vocis ſignificatione conſule Theſaurum. *Ad reſpondendum*. Organi vocem. Vox hebræa plura ſignificat. Vide Theſaurum in radice ענה. Ad affligendum ſuper ægritudine. Nam radix Mahalath חלה hoc ſignificat.

2. *In*.

2. *In*. Non habetur hic præpoſitio in Hebræo, nec in Græco, ſed tantum *Die*. Additur poſtea ſequenti nomini, *In nocte*. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Nocte*. In qua mihi non licet vociferari, propterea quod omnia conticeant; aſto nihilominus coram te, gemitibus innumeris tuam ſalutem, auxilium expoſtulans.

3. *Intret in conſpectu tuo*. Idem Hebræus futuro, & plurali, ſuo loquendi modo: Veniet faciebus tuis deprecatio mea. *Ad precem meam*. Sic Hebræus dativo: Ovationi meæ; orationem, quam voce & geſtu profundo. Inclinare aurem orationi alicujus, idiotiſmus non inelegans.

4. *Repleta eſt*. Idem ſenſus in Hebræo: Satiata eſt malis. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ. Animam ſatiari in malis, hebraiſmus pulcherrimus. *Vita mea*. Sic Hebræus plurali: Vitæ meæ. *Inferno*. Sepulcro; morti ſcilicet, e qua ad ſepulcrum, ac inferos eſt tranſitus. *Appropinquavit*. Hebræus pluraliter: Appropinquaverunt. Vitam appropinquare ſepulcro, eſt Ad mortem accedere quam maxime.

5. *Deſcendentibus in lacum*. Sic Hebræus: Deſcenſoribus laci; ideſt, mortuis. Exaggeratio. Jam velut humatus habeor. Omnes hæ locutiones ſunt pulcherrimæ, nec admodum, ut intelligantur, difficiles. *Factus ſum*. Hebræus: Fui. *Homo*. Hebræus: Vir; a fortitudine dictus. *Sine adjutorio*. Qui mihimetipſi ferre opem non valeo. Non longe aliter Hebræus: Sine robore, fortitudine.

6. *Inter mortuos liber*. Non aliter Hebræus: In mortuis, inter mortuos liber, ſuperſum, liberatus ab omnibus rebus hujus ſeculi. Idiotiſmus elegans. Ideſt, mortuus inter mortuos. Vita defuncti proprie Liberi dicuntur. Auget querimoniam. Genebrardus longius a puritate linguæ recedens, locum aliter exponit, quem, ſi libet, conſule. Noſter ſenſus ſimplicior eſt. *Vulnerati*. Lethaliter ſauciati, interempti. Vox hebræa utrumque ſignificat, Mortuum ex vulneribus, & Moribundum. *Dormientes*. Metaphorice. Hebræus: Jacentes, cubantes. Verbum hebraicum cubare, & dormire ſignificat. *In ſepulcris*. Hebræus ſingulariter, & genitivo: Sepulcri. *Quorum non es memor*. Idem Hebræus ſyntaxi propria, & præterito: Quorum non memor fuiſti eorum. *Eorum* latine vacat. *Amplius*. Vel Adhuc, hactenus. Reſurrectionem mortuorum tandem futuram innuit. *Repulſi ſunt*. Non longe aliter Hebræus: Exciſi, abſciſſi ſunt a manu tua; quos a vita ſeculi manu, potentia tua ſeparaſti. Genebrardus iterum hic longius aberrare videtur.

7. *Poſuerunt*. Noſtri forſitan, punctis immutatis, legerunt שָׁתוּנִי, quod nunc Hebræis eſt שַׁתַּנִי, poſuiſti me. In exaggeratione malorum perſiſtit. *Inferiori*. Hebræus ſubſtantivo plurali, ad augendam ſignificationem: Inferorum; ideſt, infimo. Quaſi profundius ſepulcrum etiam mortuis ipſis gravius, & intolerabilius ſit. Ponere in lacu inferorum, eſt, In profundiſſimum ſepulcrum immittere. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Umbra mortis*. Noſtri procul dubio literis tranſpoſitis legerunt בְּצַלְמָוֶת in umbra mortis, in denſiſſimis tenebris; quod nunc Hebræis eſt בִּמְצֹלֹת, in profundis, profunditatibus, voraginibus. Minima variatio.

8. *Confirmatus eſt*. Invaluit, corroboratus eſt. Idem fere Hebræus: Innixus eſt, incubuit (appoggioſſi). Hebraiſmus elegans, quem notes. *Induxiſti*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum. Niſi malles eos ſenſum, non verbum tranſtuliſſe. Hebræus enim habet: Afflixiſti. Idiotiſmo ornatiſſimo exaggerationem artificioſam connectit. Tuos etiam ipſos fluctus afflixiſti, mandans eis, ut me tam valide ſupra modum impeterent. Potes nihilominus cum aliis ſic interpretari: Et omnibus tuis fluctibus afflixiſti. Supple, Me. Ad hunc ſenſum accedunt Noſtri, ſed prior in-

or interpretatio purior eſt, licet idem ſenſus ſemper ſit. *Super me*. Ad declarationem additum. De Selah, quod bis legitur in hoc Pſalmo, dictum eſt alibi.

9. *Poſuerunt*. Hebræus iterum, ut ſuperius verſ. 7: Poſuiſti me. *Abominationem ſibi*. Hebræus pluraliter: Abominationes eis. Elongare notos ab aliquo, & Ponere eum abominationes illis, non inornati ſunt idiotiſmi. Noti mei conſpectum meum refugientes, me, tanquam rem deteſtabilem, abominantur, & horrent. *Traditus ſum*. Suſpicor, Noſtros alium habuiſſe textum, nec, quid legerint, conjectare valeo. Genebrardus ſupplet vocem Carceri. Hebræus habet כָּלֻא, incluſum, concluſum. *Egrediebar*. Hebræus futuro: Egrediar; egredi non poſſum, & evadere. Exaggerationem ſemper auget. Non video exitum, neque liberationem a tantis calamitatibus.

10. *Oculi mei languerunt*. Idem Hebræus ſingulariter: Oculus meus languet, mœrore confectus eſt. *Præ inopia*. Vox hebræa Afflictionem, ſive ob inopiam, ſive ob aliam rem, ſignificat. Ab afflictione, præ hac miſeria & calamitate. *Ad*. Non habetur in Hebræo. *Clamavi*. Vocavi te Domine. *Tota*. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ. *Manus*. Hebræus: Palmas, volas. Nullius momenti varietates.

11. *Mirabilia*. Hebræus ſingulariter: Mirabile. Mortuos ad vitam revocare ſupra naturam eſt, ſolum ad Deum ipſum pertinens. Num igitur vita functos excitabis, ut rurſus hujus vitæ corporalis actiones habentes palam te celebrent? Tacite vitam, & liberationem a Deo poſtulat, oſtendens ad ejus gloriam pertinere, ut pii, & ſancti diu vivant, quod mortui palam eum non celebrent. Quaſi diceret: Exſpectas ne, ut moriar, rurſum vivificandi me gratia, cum vivum me conſervare poſſis? *Aut*. Ut poſtulat oratio latina. Hebræus ſuo more loquendi: Si. *Medici ſuſcitabunt*. Noſtri procul dubio punctis immutatis legerunt רְפָאִים יָקִימוּ, Medici ſtare facient, ſuſcitabunt; quod nunc Hebræis eſt רְפָאִים יָקוּמוּ, Mortui ſurgent. Vel ſimpliciter Ad te celebrandum, vel ex ſemetipſis reſurgentes, cum hoc naturæ vires ſuperet. Nam mortui Deum non laudant (Pſal. 115. 17.). Medici dicuntur Hebraice רְפָאִים, quod medentes ſanitatem afferant. Mortui vero non minus eleganter dicuntur רְפָאִים, quod Medico, Medicinis, ipſaque ſanitate non amplius indigeant. Conſule Theſaurum. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Tibi*. Idem Hebræus accuſativo: Confitebuntur, celebrabunt te; quia in altero ſeculo Deus a mortuis non celebratur palam & publice, ut fit inter vivos.

12. *Narrabit*. Noſtri punctis immutatis legerunt in pihel בְּיְסַפֵּר, & ob id addiderunt de ſuo Aliquis; quod nunc Hebræis eſt ex puhal הֲיְסֻפַּר, narrabitur. Nullius momenti varietas. *Miſericordiam*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Pietas tua, & Veritas tua. Exaggerat idem ſemper diverſis ſententiis. *In perditione*. Tam inferni, quam ſepulcri epithetum, quæ conſumptionis, & perditionis corporum, & animarum ſunt loca.

13. *Cognoſcetur*, &c. Hebræus idem ſingulariter: Cognoſcetur in obſcuritate (Sepulcro, inferno, quæ ſunt regiones tenebrarum, ut cœlum lucis) mirabile tuum. Poetice. Quaſi tanta ſit illarum regionum obſcuritas, ut etiam mirabilia Dei illic videri non poſſent. Exaggerat idem aliis verbis, nam terra oblivionis mortuorum eſt regio; ſive ſepulcrum intelligas, nam mortuorum memoria cito apud vivos interit; ſive infernum exponas, in quo Deus impiorum obliviſcitur. Vel ſatis eleganter poetice regionem mortuorum deſcribit, eo quod per mortem omnium rerum obrepat oblivio; unde etiam Poetæ Lethen fluvium apud Inferos eſſe finxerunt, quo guſtato omnium rerum protinus obliviſcantur vita functi.

14.

14. *Mane*. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ: In mane, celeriter, mature ad te orandum accedo.

15. *Repellis*. Non longe aliter Hebræus futuro: Elongabis, repelles. *Orationem*. Quaſi alium habuerit textum Vulgatus. Nam Hebræus habet Animam meam, me ipſum, calamitatibus meis non proſpiciens. Idem & Græcus. Niſi malles cum Genebrardo, metonymice eum intellexiſſe, ideſt, Animæ meæ preces. *Avertis*. Hebræus iterum futuro: Abſcondes. Minimi momenti variatio. *Faciem tuam*. Idem Hebræus pluraliter: Facies tuas, vultus tuos.

16. *Pauper*. Hebræus: Afflictus; tam paupertate, quam ærumnis, miſeriis. *Sum, et in laboribus*. Suſpicor, Noſtros, paucis additis, & immutatis, non admodum difficili vocis tranſitu legiſſe וּבִיגִיעַ, & in labore, defatigatione; quod nunc Hebræis eſt וְגֹוֵעַ, & exſpirans, deficiens, ſenſim tabeſcens. *A juventute*. Pueritia. *Mea*. Ad declarationem additum. *Autem*. Non habetur in Hebræo. *Exaltatus, Humiliatus ſum*. Videntur Noſtri punctis immutatis legiſſe נִשֵּׂאתִי אָמִיךְ, Exaltatus fui (ex Niphal ſcilicet), deprimar, humiliabor; quaſi futurum eſſet ex Hiphil in naturali ſignificatione, vel אָמוּךְ ex Cal, ideſt, ut elevatus, ut depreſſus ſum, cum ætate calamitates etiam auctæ ſunt. Nunc Hebræis eſt idiotiſmus alter elegans נָשָׂאתִי אֵמֶיךָ, levavi terrores tuos; terroribus tuis, ideſt maximis, oneratus incedo. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Conturbatus*. Non longe aliter Hebræus, ſed futuro: Dubitabo, dicam (ad verbum ſcilicet) Ne forte hæc & hæc mihi accidant, & ſic ſemper conturbatus invenior. Vide Theſaurum.

17. *In me*. Hebræus: Super me. *Iræ tuæ*. Furores tui tranſierunt ſuper me. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Conturbaverunt*. Hebræus neſcio quid gravius: Exciderunt, perdiderunt me. Furores, & terrores Dei tranſire ſuper aliquem, & excidere, ſunt bini idiotiſmi non inelegantes, pro, Malis, & pœnis a Deo irato & terribili inflictis vexari.

18. *Sicut aqua*. Maxima copia, & ſine intermiſſione. *Me*. Hebræus addit præpoſitionem Super, de more linguæ: Super me ſimul. Eſt autem alter idiotiſmus, Furorem Dei circumdare aliquem, &c.

19. *Et*. Non habetur in Hebræo. *A miſeria*. Translatio ſenſus. Nam videntur Noſtri punctis immutatis legiſſe מֵחֹשֶׁךְ, Ab obſcuritate, præ tenebris, propter infelicitatem meam. Et propterea tranſtulerunt in accuſativo Notos meos, ad verbum ſuperius referentes. Nunc Hebræis eſt idiotiſmus perquam elegans מְיֻדָּעַי מַחְשָׁךְ, Noti mei (ſunt) obſcuritas. Ideſt, ſemetipſos occulunt, latitant, quaſi in tenebris ſe abdentes, ne videantur a me; eos conſpicere mihi non licet, ut conſolationem aliquam ex illis accipiam. Quidam eodem ſenſu legunt מַחְשָׂךְ, Noti mei ſunt prohibitio; prohibent ſe a me, conſpectum meum refugientes.

PSAL. LXXXIX. Lat. LXXXVIII.

משכיל לאיתן האורחי :	1. *Intellectus Ethan Ezrabitæ.*	1. Intellectus Ethan Ezrahitæ.
חסדי יהוה עולם אשירה לדר ודר אודיע אמונתך בפי :	2. *Pietates DOMINI mundum cantabo, ætati & ætati ſcire faciam veritatem tuam in ore meo.*	2. Miſericordias DOMINI *in* æternum cantabo, in generationem, & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo.
כי אמרתי עולם חסד יבנה שמים תכן אמונתך בהם :	3. *Quoniam dixi, Mundus pietate ædificabitur, cælos præparabis veritatem tuam in eos.*	3. Quoniam dixiſti, *in* æternum miſericordia ædificabitur *in* cælis, præparabitur veritas tua in eis.
כרתי ברית לבחירי נשבעתי לדוד עבדי :	4. *Incidi fœdus electo meo, juravi David ſervo meo.*	4. Diſpoſui teſtamentum electis meis, juravi David ſervo meo.
עד עולם אכין זרעך ובניתי לדר ודור כסאך סלה :	5. *Uſque* in *æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo ætati & ætati ſedem tuam. Selah.*	5. Uſque *in* æternum præparabo ſemen tuum, et ædificabo in generationem, & generationem ſedem tuam.
ויודו שמים פלאך יהוה אף אמונתך בקהל קדשים :	6. *Et confitebuntur cæli mirabile tuum DOMINE, etiam veritatem tuam in eccleſia ſanctorum.*	6. Confitebuntur cæli mirabilia tua DOMINE; etenim veritatem tuam in eccleſia ſanctorum.
כי מי בשחק יערך ליהוה ידמה ליהוה בבני אלים :	7. *Quoniam quis in æthere æquabitur DOMINO? ſimilis erit DOMINO in filiis Deorum?*	7. Quoniam quis in nubibus æquabitur DOMINO? ſimilis erit Deo in filiis Dei?
אל נערץ בסוד קדשים רבה ונורא על כל סביביו :	8. *Deus tremendus in concilio ſanctorum multum, & terribilis ſuper omnes circuitus ſuos.*	8. Deus, qui glorificatur in concilio ſanctorum, magnus, & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu ejus ſunt.
יהוה אלהי צבאות מי כמוך חסין יה ואמונתך סביבותיך :	9. *DOMINE Deus Exercituum quis ſicut tu fortis Jaba? & veritas tua circuitus tui.*	9. DOMINE Deus virtutum, quis ſimilis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.
אתה מושל בגאות הים בשוא גליו אתה תשבחם :	10. *Tu dominaris in ſuperbiam maris, in elevando fluctus ſuos, tu compeſces eos.*	10. Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.
אתה דכאת כחלל רהב בזרוע עזך פזרת אויביך :	11. *Tu contudiſti ſicut vulneratum ſuperbiam, in brachio roboris tui diſperſiſti inimicos tuos.*	11. Tu humiliaſti ſicut vulneratum, ſuperbum, in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.

12.

Digitized by Google

לך שמים אף לך ארץ תבל
ומלאה אתה יסדתם :

12. *Tibi cæli, etiam tibi terra, orbem, & plenitudinem ejus tu fundaſti (ea).*

12. Tui ſunt cæli, & tua eſt terra, orbem *terræ*, & plenitudinem ejus tu fundaſti.

צפון וימין אתה בראתם ת
תבור וחרמון בשמך ירננו :

13. *Aquilonem, & dexterum tu creaſti (ea). Thabor, & Hermon in nomine tuo ovabunt.*

13. Aquilonem, & mare tu creaſti: Thabor & Hermon in nomine tuo exſultabunt.

לך זרוע עם גבורה תעז ירך
תרום ימינך :

14. *Tibi brachium cum potentia, roborabitur manus tua, exaltabitur dextera tua.*

14. Tuum brachium cum potentia: Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua.

צדק ומשפט מכון כסאך ח
חסד ואמת יקדמו פניך :

15. *Juſtitia et judicium præparatio ſedis tuæ, pietas, & veritas præcedent facies tuas.*

15. Juſtitia, & judicium præparatio ſedis tuæ: miſericordia, & veritas præcedent faciem tuam.

אשרי העם ידעי תרועה יהוא
באור פניך יהלכון :

16. *Beatus populus periti jubilationem, DOMINE in lumine facierum tuarum ambulabunt.*

16. Beatus populus qui ſcit jubilationem. DOMINE in lumine vultus tui ambulabunt.

בשמך יגילון כל היום
ובצדקתך ירומו :

17. *In nomine tuo exſultabunt tota die, & in juſtitia tua exaltabuntur.*

17. *Et* in nomine tuo exſultabunt tota die, & in juſtitia tua exaltabuntur.

כי תפארת עזמו אתה ו
וברצונך תרים קרנגו :

18. *Quoniam decor fortitudinis eorum tu, & in voluntate tua exaltabitur cornu noſtrum.*

18. Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum.

כי ליהוה מגננו ולקדוש י
ישראל מלכנו :

19. *Quia DOMINO clypeus noſter eſt, & ſancto Iſrael rex noſter.*

19. Quia DOMINI eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael regis noſtri.

או דברת בחזון לחסידך ו
ותאמר שויתי עזר על גבור
הרימותי בחור מעם :

20. *Tunc locutus es in viſione pio tuo, & dixiſti, adæquavi adjutorium ſuper potente, exaltavi electum de plebe.*

20. Tunc locutus es in viſione ſanctis tuis, & dixiſti, poſui adjutorium in potente, & exaltavi electum de plebe *mea*.

מצאתי דוד עבדי בשמן ק
קדשי משחתיו :

21. *Inveni David ſervum meum, in oleo ſanctitatis meæ unxi eum.*

21. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.

אשר ידי תכין עמו אף זרועי
תאמצנו:

22. *Quo manus mea aptabitur cum eo, etiam brachium meum corroborabit eum.*

22. Manus *enim* mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

לא ישיא איוב בו יבן עולה
לא יעננו :

23. *Non decipiet inimicus (in) eum, & filius iniquitatis non affliget eum.*

23. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non *apponet* nocere ei.

וכתותי מפניו צריו ומשנאיו
אגוף :

24. *Et contundam a faciebus ipſius tribulantes ejus; & odientes eum percutiam.*

24. Et concidam a facie ipſius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam.

25. Et

ואמונתי וחסדי עמו ובשמי תרום קרנו :	25. *Et veritas mea, & pietas mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.*	25. Et veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.
ושמתי בים ידו ובנהרות ימינו :	26. *Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.*	26. Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.
הוא יקראני אבי אתה אלי וצור ישועתי :	27. *Ipſe vocabit me, Pater meus tu, Deus meus, & petra ſalutis meæ.*	27. Ipſe invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ.
אף אני בכור אתנהי עליון למלכי ארץ:	28. *Etiam ego primogenitum dabo illum excelſum regibus terræ.*	28. Et ego primogenitum ponam illum, excelſum *præ* regibus terræ.
לעולם אשמור לו חסדי ובריתי נאמנת לו:	29. *Seculo ſervabo illi pietatem meam, & teſtamentum meum ſtabile ipſi.*	29. In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi.
ושמתי לער זרעו וכסאי כימי שמים :	30. *Et ponam æterno ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cæli.*	30. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cęli.
אם יעובו בניו תורתי ובמשפטי לא ילכון:	31. *Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint.*	31. Si *autem* dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint.
אם חקתי יחללו ומצותי לא ישמרו :	32. *Si ſtatuta mea profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint.*	32. Si juſtitias meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint.
ופקרתי בשבם פשעם ובנגעים עונם:	33. *Et viſitabo in virga prævaricationem eorum, & in verberibus iniquitatem eorum.*	33. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.
וחסדי לא אפיר מעמו ולא אשקר באמונתי :	34. *Et pietatem meam non diſſolvam de cum eo, neque mentiar in veritate mea.*	34. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.
לא אחלל בריתי ומוצא שפתי לא אשנה :	35. *Non profanabo teſtamentum meum, & egreſſionem labiorum meorum non mutabo.*	35. Ne*que* profanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.
אחת נשבעתי בקדשי אם לדוד אכזב:	36. *Unum juravi in ſanctitate mea, ſi Davidi mentiar.*	36. Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar.
זרעו לעולם יהיה וכסאו כשמש נגדי:	37. *Semen ejus æterno erit, & thronus ejus ſicut ſol coram me.*	37. Semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo.
כירח יכון עולם ועד בשחק נאמן סלה :	38. *Sicut luna aptabitur æterno, & teſtis in æthere fidelis. Selah.*	38. *Et* ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis.

39. Tu

ואתה זנחת ותמאס התעברת עם משיחך:

39. *Tu vero repuliſti, & reprobaſti, ſuccenſuiſti cum Chriſto tuo.*

39. Tu vero repuliſti, & deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum.

נארתה ברית עבדך חללת לארץ נזרו:

40. *Deſtruxiſti teſtamentum ſervi tui, profanaſti terræ coronam ejus.*

40. Avertiſti teſtamentum ſervi tui, profanaſti in terra ſanctuarium ejus.

פרצת כל גדרתיו שמת מבצריו מחתה:

41. *Scidiſti omnes ſepes ejus, poſuiſti muniriones ejus confractionem.*

41. Deſtruxiſti omnes ſepes ejus, poſuiſti firmamentum ejus formidinem.

שסהו כל עברי דרך היה חרפה לשכניו:

42. *Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viæ, fuit opprobrium vicinis ſuis.*

42. Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam, factus eſt opprobrium vicinis ſuis.

הרימות ימין צריו השמחת כל אויביו:

43. *Exaltaſti dexteram tribulantium eum, lætificaſti omnes inimicos ejus.*

43. Exaltaſti dexteram deprimentium eum, lætificaſti omnes inimicos ejus.

אף תשיב צור חרבו ולא הקמתו במלחמה:

44. *Etiam redire facies petram gladii ejus, & non ſtare feciſti eum in bello.*

44. Avertiſti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in bello.

השבת מטהרו וכסאו לארץ מגרתה:

45. *Ceſſare feciſti munditiem ejus, & ſedem ejus terræ detraxiſti.*

45. Deſtruxiſti eum ab emundatione, & ſedem ejus in terram colliſiſti.

הקצרת ימי עלומיו העטית עליו בושה סלה:

46. *Minoraſti dies adoleſcentiarum ejus, induiſti ſuper eum confuſionem. Selah.*

46. Minoraſti dies temporis ejus, perfudiſti eum confuſione.

עד מה יהוה תסתר לנצח תבער כמו אש חמתך:

47. *Uſquequo DOMINE abſconderis victoriæ? exardeſcet ſicut ignis furor tuus?*

47. Uſquequo DOMINE avertis in finem? exardeſcet ſicut ignis ira tua?

זכר אני מה חלד על מה שוא בראת כל בני אדם:

48. *Recordare, ego, quid tempus, propter quid vane creaſti omnes filios Adam?*

48. Memorare, quæ mea ſubſtantia: numquid enim vane conſtituiſti omnes filios hominum?

מי גבר יחיה ולא יראה מות ימלט נפשו מיד שאול סלה:

49. *Quis eſt vir, qui vivet, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferi? Selab.*

49. Quis eſt homo, *qui* vivet, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferi?

איה חסדיך הראשנים אדני נשבעת לדוד באמונתך:

50. *Ubi ſunt pietates tuæ priores Domine? (quas) juraſti David in veritate tua?*

50. Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine? *ſicut* juraſti David in veritate tua?

זכר אדני חרפת עבדיך שאתי בחיקי כל רבים עמים:

51. *Memor eſto Domine opprobrii ſervorum tuorum, portare me in ſinu meo omnes multos populos.*

51. Memor eſto Domine opprobrii ſervorum tuorum, quod continui in ſinu meo, multarum gentium.

אשר חרפו אויביך יהוה אשר חרפו עקבות משיחך:

52. *Qui exprobraverunt inimici tui DOMINE, qui exprobraverunt veſtigia Chriſti tui.*

52. Quod exprobraverunt inimici tui DOMINE, quod exprobraverunt commutationem Chriſti tui.

53. Be-

Digitized by Google

ברוך יהוה לעולם אמן ואמן:

53. *Benedictus DOMINUS æterno, Amen, amen.*

53. Benedictus DOMINUS in æternum: fiat, fiat.

ANNOTATIONES.

1. PRomiſſiones Davidi factas elegantiſſimo carmine deſcribens, Chriſtum differri, & ejus fideles externis gentibus exponi, queritur. Diſtinctionum varietates ex te met ipſo recognoſcas velim. Congruit argumentum cum argumento Pſalmi 44, quem velim cum iſto conferas.

2. *Miſericordias*. Sic transferre Noſtros, ſæpius vidimus. Hebræus: Pietates, officia. *In æternum*. Hebræus ſine præpoſitione, ſuo loquendi modo: Æterno, ſeculo. Hinc quidam arbitrantur, poſſe transferri ſic. Pietates Domini, mundum (appoſitive) canam. Hoc eſt: Sola Dei benignitate, non alia de cauſſa, mundum effectum fuiſſe cano. Hoc apertius verſiculo ſequenti proferet. Artificioſa utitur inſinuatione, antequam veniat ad querimoniam. Cæli propter Chriſtum, & fideles effecti, ſtabiles & firmi perſeverant, cum interim Chriſti regnum propter tot contrarias calamitates dilaceratum, ac prope diſciſſum, Dei veritatem & fidem in præſtandis promiſſis videtur in dubium vertere. Non alius in Noſtris ſenſus. *In generationem & generationem*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Ætati & ætati; per ætates ſingulas. *Annunciabo*. Idem fere Hebræus: Scire faciam, quæ fuerit benignitas Dei in creandis cælis, & quæ veritas, ſtabilitas, firmitas in ſervandis illis. *In ore*. Syntaxis hebræa. Latine vacat præpoſitio.

3. *Dixiſti*. Quaſi legerint Noſtri facili vocis tranſitu, אָמַרְתָּ, quod nunc Hebræis eſt אָמַרְתִּי, Dixi. Poetæ verba. Vel dic cum Genebrardo, licet duriuſcule, quod, ut mimeſis eſſet facilior, & perpetua, neve mutatio perſonæ tam eſſet abrupta, ſic verterunt; nam loquentem Deum mox inducet. Dixiſti, quod, &c. Putant nonnulli in Noſtris mendum ineſſe. Sed hæc nullius momenti varietas eſt. *In æternum*. Hebræus iterum ſine præpoſitione: Æterno, ſeculo. Quamvis Hebræi non exponant adverbialiter, ſed nominativo: Mundus. *Miſericordia*. Etiam Noſtri ſic transferunt, ad hunc modum ſententiam terminantes: Æterno miſericordia ædificabitur cælis; cui præpoſitionem *in* addiderunt. Ne ſcilicet obliterari, & deleri poſſit, tua erga nos miſericordia conſtruetur in cælis perpetuo duratura, ut ipſi prius ruituri ſint, quam tu non ſtes promiſſis. Aſt alium Hebræi ſenſum hic agnoſcunt exponentes: Mundus pietate ædificabitur; ex ſola benignitate, & pietate Dei creatus eſt. Deinde ſequitur: Cælos, &c. Syntaxis hebræa, quæ antecedens, & relativum diviſim in eadem ponit ſententia, pro, In ipſos cælos. Mundum, & cælos creaſti, ut ſtabiles durent perpetuo; regnum itidem Chriſti duratione cælos ipſos fore ſuperaturum, nedum adæquaturum, toties promiſiſti: cur igitur non ſtas promiſſis? Univerſa recidunt eodem, ut promiſſiones Dei certas & fideles eſſe inſinuent, quamvis nonnumquam interruptæ videantur, quod ex parte noſtra, non Dei, provenit. *Præparabitur*. Arbitror, Noſtros facili punctorum vocalium, & litteræ Jod in Vav mutatione legiſſe תִּכּוֹן in Niphal, tertia futuri perſona, quæ nunc Hebræis eſt תָּכִן, in Hiphil, ſecunda; videlicet: Aptabis, præparabis veritatem, firmitatem tuam in ipſis cælis. Idiotiſmus elegans. Ideſt, quos ſola bonitate condidiſti, ſtabiles & duraturos in perpetuum. Græcus *in eis* reticet.

4. *Diſpoſui teſtamentum*. Idem Hebræus

bræus ſuo idiotiſmo: Incidi, percuſſi fœdus. *Electis meis*. Quaſi legerint Noſtri לבחרי, quod nunc Hebræis eſt ſingulare לבחירי, electo meo; cum Davide, cui cum juramento me etiam obſtrinxi. Deum loquentem inducit.

5. *In æternum*. Hebræus idem, quamvis ſine præpoſitione: Uſque ſeculum; quamdiu mundus durabit; durabit autem ſemper. Sic & fideles, qui Chriſti ſemen ſunt, quibus præeſt, eos tuetur & ſovet uſque ad conſummationem ſeculi. *Præparabo*. Parabo, ſtabiliam, aptabo ſemen tuum Chriſtum. *In generationem, & generationem*. Hebræus dativo; ſuo loquendi modo: Ætati, & ætati. Ædificare ſedem, idiotiſmus. Ideſt, per ſingulas ætates eccleſiam, Chriſti ſedem, & thronum renovabo. De Selah, quod in hoc Pſalmo quater legitur, alibi dictum eſt.

6. *Confitebuntur*. Hebræus addit præpoſitionem Et. *Mirabilia*. Hebræus ſingulariter: Mirabile. *Etenim*. Hebræus: Etiam. Nullius momenti varietates. Proſopopœja. Cæli prædicabunt hoc tuum mirabile, hanc tuam promiſſionem, & ſua duratione fidem certam, & indubitatam facient in cœtu ſanctorum fidelium, nobis videlicet, quod promiſſa ſervaturus ſis. Cælos confiteri mirabile, & veritatem Dei, eſt hebraiſmus pulcherrimus, quem velim obſerves.

7. *In nubibus*. Hebræus ſingulariter: In æthere, cælo. Vox hebræa plura ſignificat. Conſule Theſaurum. *Deo*. Hebræus repetit nomen tetragrammaton, ליהוה. *Dei*. Hebræus pluraliter: In filiis fortitudinum, deorum, ſanctis, Angelis. Noſtri ſingulariter, ad fugiendam fortaſſe pluralitatis Divinæ ſuſpicionem.

8. *Qui glorificatur*. Translatio ſenſus. Hebræus: Tremendus, pavendus, formidabilis, & hac de cauſſa glorioſus, & glorificandus in conſilio & arcano, in cœtu ſanctorum, tam Angelorum, quam fidelium. *Magnus*. Videntur Noſtri, detracto He, legiſſe רב, Multus, magnus, venerabilis; quod nunc Hebræis eſt רבה, poſitum adverbialiter: Multum pavendus, & formidandus. Græcus addit ἐςιν. *Qui in circuitu ejus ſunt*. Ex continente ad contentum translatio. Hebræus ſuo tropo: Super omnes circuitus ſuos.

9. *Virtutum*. Hebræus: Sabaoth, exercituum; quod Noſtros transferre Virtutum, ſæpius vidimus. *Similis tibi*. Idem fere Hebræus: Sicut tu. *Potens* (*es*). Hebræus addit ſuperioribus: Quis ſicut tu fortis? *Domine*. Hebræus habet nomen divinum יה, Jaha, pro quo vide Theſaurum. *In circuitu tuo*. Idem Hebræus pluraliter, ſuo loquendi tropo: Circuitus tui ſunt veritas, fides, & firmitas tua. Non ſolùm es potentiſſimus, ſed etiam veraciſſimus, & in promiſſis fidelis, & firmus. Nullius fere momenti varietates.

10. *Poteſtati*. Non longe aliter Hebræus, ſed accuſativo: In ſuperbiam; in ferum, & ſuperbum impetum maris. Poetica locutione dat ſuperbiam mari. *Motum autem, &c.* Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: In elevando, dum elevat fluctus ſuos, dum extollit undas, tu demulcebis, compeſces, mitigabis eas. Conſule Theſaurum pro verbo hoc.

11. *Humiliaſti*. Hebræus: Contudiſti. Non maxima varietas. *Superbum*. Hebræus idem nomine ſubſtantivo: Superbiam; Ægyptum, Pharaonem, & Satanam. Alludit ad clades Ægyptiacas. Ægyptum enim a ſuperbia dici Rahab, ſuperius vidimus (Pſalmo 87. 4). Eam, tamquam lethaliter ſauciatum hominem, qui facile conficitur, perdidiſti. *Virtutis*. Sic transferunt Noſtri. Hebræus: Roboris, fortitudinis; in brachio robuſtiſſimo, valido.

12. *Tui ſunt*. Sic Hebræus ſuo tropo: Tibi cæli, etiam tibi terra. *Terræ*. Ad declarationem additum. *Fundaſti*. Hebræus ſyntaxi propria relativum *Ea* (orbem, & plenitudinem ejus, quicquid in eo continetur) addit, quod latine vacat.

13. *Ma-*

13. *Mare*. Noſtri proculdubio facili vocis tranſitu legerunt יַמִּים, Maria; vel putarunt Nun poſitum eſſe loco Mem; quod nunc Hebræis eſt יָמִין, Dexterum, auſtrum, auſtralem mundi partem aquilonari oppoſitam. Mare vero in Scriptura Sacra occidentalem plagam deſignat. Conſule Theſaurum. Hallucinatur fortaſſe hic Genebrardus. Illud autem Pſal. 107. 3. aliam rationem habet. *Creaſti*. Hebræus iterum addit hic relativum, de more linguæ: Ea; aquilonem, & meridiem ſcilicet. *Thabor*, *& Hermon*. Duo montes nobiliores Terræ ſanctæ, loco omnium poſiti. *Exſultabunt*. Idem fere Hebræus: Ovabunt, jubilabunt, laudem dicent. Poetice dat montibus, quod hominum eſt. Mortales, montium omnium magnitudinem contemplantes, in tuas prorumpent laudes maximas. Genebrardus aliter explicat.

14. *Tuum brachium*. Idem Hebræus ſuo tropo: Tibi brachium cum potentia; brachium potens, & robore præditum habes. *Firmetur*, *exaltetur*. Hebræus idem futuro: Roborabitur, exaltabitur. *Et*. Non habetur in Hebræo. Nullius momenti variationes.

15. *Præparatio*. Aptatio, firmitas ſolii tui ſunt Juſtitia, & Judicium. Hebraiſmus. Ideſt, æquo judicio ſolium tuum confirmaſti. *Miſericordia*. Sic transferunt Noſtri. Hebræus: Pietas. *Faciem tuam*. Idem Hebræus plurali: Facies tuas. Alter idiotiſmus: Id eſt, beneficiis firmis & perpetuis fideles tuos devincire ſemper es paratus, nam pietas in afferendis beneficiis, & firmitas in illiſmet conſervandis, ſunt velut præcurſores tui, perpetuo parati ad mandatorum tuorum exſecutionem. Græcus addit πρὸ.

16. *Qui ſcit jubilationem*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: Scientes periti jubilationis, qui ſciunt jubilare, & tua perſonare beneficia, ne videantur ingrati. *Vultus tui*. Sic Hebræus pluraliter: Facierum tuarum. Ambulare in lumine vultus alicujus, idiotiſmus elegans, ideſt, in favore; ut in Theſauro.

17. *Et*. Non habetur in Hebræo. Cætera patent.

18. *Gloria*. Hebræus: Decor, pulcritudo. Minima varietas. *Virtutis*. Ut Noſtri transferunt. Hebræus: Fortitudinis, roboris eorum tu decor, ad te fortitudinem ſuam referentes. *In beneplacito tuo*. Hebræus idem: In voluntate tua, bona ſcilicet, in benevolentia tua cornu noſtrum, imperium noſtrum exaltabitur, erit glorioſum. Vide Theſaurum.

19. *Domini*. Hebræus idem dativo: Domino. *Aſſumptio noſtra*. Defenſio noſtra; a quo defendendi aſſumimur. Chriſtum regem innuit, in cujus tutela & præſidio populus ipſe protegatur, & defendatur a Deo. Translatio ſenſus. Hebræus: Clypeus noſter; ideſt, rex, qui velut clypeus nos protegit. *Et ſancti*. Hebræus item dativo: Et Sancto Iſraelis. *Regis noſtri*. Noſtri legerunt appoſitive, ſupplentes per zeugma, Eſt noſtra aſſumptio & defenſio. Hebræis eſt nominativus, ut ſententiæ ſuperioris ſit diverſis verbis repetitio, & explicatio: Rex noſter. Chriſtus, de quo mox locuturus eſt.

20. *Sanctis tuis*. Noſtri ſic interpretantur vocem hanc, ut ſæpius vidimus. In Hebræo eſt ſingularis numeri dictio, licet a nonnullis etiam pluraliter exponatur, quaſi ſcripta ſit cum Jod ſigno plurali, quod nunc in omnibus emendatis exemplaribus ſuppreſſum eſt: Pio Tuo; Samueli forſitan, vel omnibus Prophetis in genere, qui de Chriſto ſunt vaticinati, ut collective poſitum ſit. Sed de hoc fuſius in commentariis. Loqui in viſione, ideſt, per propheticum afflatum. *Poſui*, *&c*. Idem Hebræus ſuo loquendi tropo: Adæquavi adjutorium ſuper potentem. Conſule Theſaurum. Innuit vero Davidem, cujus fortitudo nota eſt. Lege Regum libros. *Et*. Non habetur in Hebræo, nec in Græco. *Electum*. Davidem, per anticipationem. Hebræus: Juvenem; quòd ad omnia eligatur præ ſene. Vide Theſaurum. *Mea*. Ad declarationem additum.

21. *In-*

Digitized by Google

21. *Inveni*. Loquitur more hominum Deus. *Oleo*. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ. *Sancto meo*. Sic Hebræus nomine ſubſtantivo: Sanctitatis meæ.

22. *Enim*. Non habetur in Hebræo. *Auxiliabitur ei*. Translatio ſenſus. Hebræus peculiari tropo, & ſyntaxi propria totam ſic habet ſententiam: Quo manus mea aptabitur, firma erit cum eo. Eo, latine vacat; ideſt, cum quo manus mea firma & ſtabilis ad protegendum eum ſemper invenietur. *Et*. Hebræus: Etiam. *Confortabit*. Roborabit, fortem reddet adverſus hoſtes. Manus & brachium pro omnipotentia Dei poſita ſunt, idiotiſmis non inornatis.

23. *Nihil proficiet*, &c. Dum illum decipere perſuadendo ſtudet. Translatio ſenſus. Hebræus: Non perſuadendo decipiet inimicus (in) eum. Genebrardus aliud putat. Conſule Theſaurum. Filius iniquitatis, ſunt Homines iniqui & impii. *Apponet*. Non habetur in Hebræo, quamvis hoc parum, vel nihil referre crederem. *Nocere ei*. Non longe aliter Hebræus futuro: Affliget eum.

24. *Et concidam*. Hebræus: Contundam, conteram. Nullius momenti varietas. *A facie*. Sic Hebræus pluraliter: A faciebus ejus. *Inimicos*. Qui tribulant, affligunt eum, ut Hebræus habet. *In fugam convertam*. Sic Hebræus ſuo tropo: Percutiam, ita ut in fugam vertatur.

25. *Miſericordia*. Sic Noſtri tranſferunt. Hebræus: Pietas. Veritatem, & pietatem alicujus eſſe eum alio, eſt Ingentibus & firmis officiis eum proſequi continue. Cornu exaltari, ideſt imperium, ut ſuperius verſ. 18.

26. Ponere manum alicujus in mari, & brachium in fluminibus, eſt, maris, fluviorumque imperium tradere; inſulares, maritimos, & mediterraneos ſubjicere.

27. *Invocavit*. Pro ſimplici poſitum. Hebræus futuro: Vocabit; nominabit. Sic Græcus. *Pater*. Ratione divinitatis. *Deus*. Ratione humanæ naturæ. Hebræi Patrem, creatorem exponunt, juxta illud Iſaiæ 63. 16. *Quia tu es Pater noſter*, &c. Et Chriſtus, *Unus*, inquit, *eſt Pater veſter, qui eſt in cælis*. *Suſceptor*. Defenſor, propugnator, qui me protegendum ſuſcipit. Translatio ſenſus. Hebræus: Petra ſalutis meæ, in quam receptus protegor.

28. *Et*. Hebræus: Etiam. *Ponam*. Sic Hebræus ſuo loquendi modo. Dabo illum primogenitum, ideſt, ceteros excellentia, & gradu ſuperantem; quod primogeniti nobiliores eſſent. Conſule Theſaurum. *Præ*. Non habetur in Hebræo, ſed tantum Regibus dativo. Ideſt, Reges terræ ei ſubjicientur.

29. *In æternum*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Æterno, ſeculo. *Miſericordiam*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Pietatem. Servare pietatem alicui, eſt Officia præſtita conſervare. *Fidele*. Firmum, ſtabile, fixum erit fœdus meum ei.

30. *In ſeculum ſeculi*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi tropo: Æternitati, in æternum. *Sicut dies cæli*. Ideſt, in perpetuum, quamdiu cæli durabunt.

31. *Autem*. Non habetur in Hebræo. Noſtri deſumpſerunt illud ex verſ. 33, ut videre potes. Ambulare in judiciis Dei, eſt ea imitari.

32. *Juſtitias*. Hebræus: Statuta mea, decreta, quæ juſta illis tradidi. Nullius momenti varietas.

33. *Viſitabo*. Hebræus addit præpoſitionem Et, quam a Noſtris hinc acceptam in verſiculo 31. repoſitam fuiſſe vidimus. *Iniquitates*. Hebræus ſingulariter: Prævaricationem. Minima varietas. *Peccata*. Hebræus iterum ſingulariter: Peccatum. Viſitare in virga, & in verberibus, eſt tropus notus; ideſt caſtigatione paterna, non hoſtili manu.

34. *Miſericordiam*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Pietatem. *Non diſpergam ab eo*. Non longe aliter Hebræus ſuo loquendi tropo: Non diſſolvam

Digitized by Google

de cum eo. Officia, gratias meas non interrumpam, non auferam ab eo. Græcus pluraliter: Ab eis. *Neque nocebo*. Translatio ſenſus. Hebræus: Neque mentiar in veritate mea. Hebraiſmus elegans. Ideſt, Promiſſiones, & gratias firmas, & ſtabiles ei conſervabo; firmitatem meam in conſervandis beneficiis non fallam. Idem ſenſus in Noſtris. Non nocebo veritati meæ, promiſſo meo injuriam non inferam.

35. *Neque*. Hebræus ſine conjunctione, quod nihil refert. Non profanabo pactum meum cum eo initum ſolemniter. *Et quæ procedunt, &c.* Idem Hebræus ſuo loquendi tropo per quam ornato: Et egreſſionem labiorum meorum non mutabo. Quæ promiſi, fideliter ſervabo.

36. *Semel*. Idem Hebræus: Unum; hoc ſcilicet, quod mox dicturus ſum. *In ſancto meo*. Neutri generis. Sic Hebræus ſubſtantivo nomine: In ſanctitate mea. *Si Davidi mentiar*. Formula jurandi hebræa, in qua ſupprimitur fallacis juramenti devotio. Si faciam hoc: ſupple, accidant mihi talia. Ideſt, nequaquam eum fallam, ut aliud dicam, aliud opere præſtem. Conſule Theſaurum in dictionibus אִם, & כָּזַב.

37. *In æternum*. Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Seculo, æterno. *Manebit*. Idem Hebræus: Erit. Semen Davidis, eſt Chriſtus in æternum duraturus. *Sicut ſol*. Perpetuus erit ut ſol. *In conſpectu meo*. Sic Hebræus: Coram me.

38. *Et*. Non habetur in Hebræo. *Perfecta*. Idem fere Hebræus, ſed verbo futuro: Aptabitur; quæ firmabitur, firma erit, durabit. Qui ad thronum verbum hoc referunt, puritatem, & ſimplicitatem linguæ potius corrumpunt, quam intelligunt. *In æternum*. Hebræus dativo, ut ſæpius vidimus: Seculo, æterno. *In cælo*. Sic Hebræus: In æthere. Luna eſt teſtis fidelis, firmus, ſtabilis; ſemper duratura, licet per ſingulos menſes videatur deficere. Sic regnum Chriſti, quamvis aliquando videatur interruptum, numquam tamen perit, cujus durationis ſignum, & teſtis eſt luna, teſtis etiam eſt ſol, & ipſi cæli teſtes, qui propter Chriſtum, & fideles, effecti ſunt in æternum duraturi, quoad Chriſto tradatur regnum integrum & abſolutum, ut regnet in cælis, & ubique terrarum glorioſus. Mihi, ſi liceret a tot Patribus recedere, qui conſtanter וְעֵד, & teſtis, legunt, non diſpliceret puncto vocali mutato legere וָעַד, vel etiam וָעֶד, in æternum & ultra. Sed hoc parum, vel nihil refert.

39. *Deſpexiſti*. Idem fere Hebræus: Reprobaſti. *Diſtuliſti Chriſtum tuum*. Translatio ſenſus. Hebræus: Succenſuiſti, iratus es cum Chriſto tuo, contra Chriſtum tuum, & ſic eum ad auxiliandum nobis differs mittere. Ideſt, iratus es nobis; ut, quod fidelium eſt, eleganter Chriſto tribuat. Hebræi ſimpliciter de Davide, & ejus ſemine exponunt, cui omnia contra acciderint, quam Deus promiſerit, ſed falluntur. Fidelium eſt querimonia, oblique Deum perſtringentium, & fidem ejus interpellantium, qui Chriſtum differat tam diu propter ſeminis Davidici peccata, cum interim ipſi gentium injuriis expoſiti, male tractentur continue. Chriſtus quidem in fidelium gratiam promiſſus eſt. Verum hæc alibi.

40. *Avertiſti*. Vereor, ne mendoſum ſit Latinorum exemplar, pro Evertiſti; nam Græcus habet κατέστρεψας, pervertiſti fœdus, promiſſionem illi factam perdidiſti. Hebræus etiam non longe aliter: Deſtruxiſti, reſcidiſti fœdus cum cultore tuo initum. *Sanctuarium ejus*. Quo loci palam colitur Deus, ejuſque religio nota ſit. Translatio ſenſus. Vox hebræa plura ſignificat, nempe Nazareitatem (ut ita dicam), religionem, coronam, & hujuſmodi. Conſule Theſaurum. Hebræi pro Corona, & Diademate ſumunt. Regium profanaſti diadema; illud in terram projiciens, & proterens. *In terra*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Terræ.

41. *De-*

41. *Deſtruxiſti*. Idem fere Hebræus: Scidiſti, fregiſti ſepta ejus, a quibus muniebatur. *Firmamentum ejus*. Firmum ejus præſidium. Hebræus pluraliter: Arces, munitiones, firma præſidia. Sic Græcus. *Formidinem*. Hebræus dativo, ſuo loquendi tropo perquam ornato: Confractioni. Dicitur autem hæc vocula de confractione tam corporis, quam animi. Conſule Theſaurum. Arces ejus confractas reddidiſti, in quibus præ illarum infirmitate formidamus continue. Ponere præſidia confractioni, eſt in ruinam & deſtructionem vertere, ita ut non ſatis munita, & firma ad tuendum, formidinem, & terrorem occupantibus injiciant.

42. *Viam*. Idem Hebræus genitivo: Viæ. *Factus*. Hebræus: Fuit. Omnium injuriis & contumeliis expoſitus eſt.

43. Exaltare dexteram alicujus, eſt animos & vires addere, in aliquem incitare. *Deprimentium*. Hebræus: Tribulantium, affligentium. Non magni momenti varietas.

44. *Avertiſti*. Hebræus particulam orationis augmentativam addens futuro profert: Etiam redire facies, avertes. *Adjutorium*. Translatio ſenſus. Hebræus: Petram, in quam receptus protegitur, & adjuvatur gladius meus. Petra gladii Noſtris eſt idiotiſmus non inelegans; ideſt, robur, fortitudo. Hebræis alio idiotiſmo non multum a noſtro differenti Petra ſumitur pro acie gladii. Conſule Theſaurum. Avertere aciem gladii, eſt illam retundere, & ejus potentiam debilitare, ita ut adjutorio defenſionis, & offenſionis inutilis ſit. Mihi non diſpliceret, צור eſſe Dei epithetum, ut alibi ſæpius vidimus. Etiam redire facies, o Petra, gladium ejus. *Auxiliatus es*. Translatio ſenſus. Hebræus eleganti idiotiſmo habet: Et non feciſti ſtare eum, non ſublevaſti eum in prælio, dejectum non erexiſti, & ſuppetias, ut hoſtibus reſiſtere poſſet, non attuliſti.

45. *Deſtruxiſti eum ab emundatione*. Non longe aliter Hebræus: Ceſſare feciſti, abſtuliſti emundationem, puritatem, munditiem ejus; vel a ſanctuario, vel a ſplendore, & dignitate regia provenientem. Noſtris Mem מטהרו eſt præpoſitio; Hebræis autem nominis conſtitutivum. Hi relativum, quod huic additum eſt, cum verbo conjunxerunt. Minima, & nullius fere momenti varietas. *In terra colliſiſti*. Idem fere Hebræus: Terræ, humi detraxiſti; dejeciſti regnum ejus.

46. *Temporis ejus*. Suſpicor, Noſtros legiſſe, non multum difficili vocis tranſitu, עתותיו, temporum, temporis ejus; quod nunc Hebræis eſt עלומיו, Adoleſcentiarum, adoleſcentiæ ejus. Decurtaſti dies ejus meliores, adoleſcentiæ videlicet, eumque ante tempus præ malis conſeneſcere feciſti. Minima varietas. *Perfudiſti, &c.* Translatio ſenſus. Hebræus idiotiſmo pulcherrimo habet: Induere feciſti ſuper ſe pudorem, confuſionem. Vide Theſaurum.

47. *Avertis*. Quaſi legerint Noſtri punctis vocalibus immutatis תַּסְתִּיר ex Hiphil, Abſcondes, ſuper faciem, avertes; quod nunc Hebræis eſt ex Niphal תִּסָּתֵר, Abſconderis; ne feras nobis auxilium, te avertes. *In finem*. Sic Noſtros transferre, ſæpius vidimus. Hebræus ſuo loquendi modo: Victoriæ, in victoriam, in perpetuum. *Ira*. Furor; indignatio. Furorem ardere ſicut ignem, idiotiſmus, ut in Theſauro.

48. *Memorare*. Verbum hebræum eſt amphibolum, infinitivi temporis videlicet, & imperativi. Hinc diverſimode transferri poteſt ſententia, uti mox dicemus. *Quæ mea ſubſtantia*. Translatio ſenſus. Quanta ſit mea ſubſiſtentia, quantum in hoc mundo ſubſiſtere, & permanere debeam, memorare, ad memoriam revoca. Hebræus verbis conciſis habet. Ego, quid tempus. Idiotiſmus non inelegans. Ideſt, quid tempus meum ſit, quanti ævi ego ſim. Theologis ſecretioribus pronomen אֲנִי nonnumquam eſt unum ex divinis nominibus, prout alibi declarabimus. Hoc au-

tem loco nunc Hebræis virgula Macaph verbo conjungitur. Quare tota ſententia ſic transferri poſſet. Recordare Ego, Deus ſcilicet, vel recordari, ideſt recordor ego (nam infinitivus ſupplet vices aliorum temporum), quid tempus, quam brevis ſit vita humana, ut, niſi promiſſiones afferas cito, fruſtra genus humanum condidiſſe videaris. Idem fere ſenſus ubique. *Numquid enim*. Hebræus affirmative: Super, propter quid. *Conſtituiſti*. Non longe aliter Hebræus: Creaſti, condidiſti. *Hominum*. Idem Hebræus: Adam. Videtur ſiquidem genus humanum fruſtra creatum eſſe, cui Meſſias promiſſus tam diù differtur dari. Genebrardus aliud putat. Recordare, inquit, in quanta vanitate creaviſti filios hominum. Quaſi verba hebraica ſic ex eo transferri poſſint: Super quo vano, ſuper qua vanitate, quam vanos, miſeros, & infelices nos creaveris; quod a puritate linguæ longius eſt. Qualem enim locum hic ſenſus habeat, non video ſatis. Noſter autem ſenſus ſequentibus confirmatur.

49. *Homo*. Hebræus: Vir, quavis dote vel corporis, vel animi præditus. Non videre mortem, eruere animam de manu inferi, vel ſepulcri, ſunt idiotiſmi ornati idem ſignificantes. Conſule Theſaurum. Vides, inquit, nos quotidie vitàm in mortem commutare, & nihilominus Chriſtum, & bòna, felicitateſque promiſſas illius gratia, differs adducere. Quaſi diceret: quid mea refert, ſi poſt mortem Chriſtum adducas? Loquitur humano affectu, Chriſti deſiderio raptus.

50. *Miſericordiæ*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Pietates. *Antiquæ*. Idem fere Hebræus: Priores, quas olim patribus, & Davidi præcipue promiſiſti. *Sicut*. Non habetur in Hebræo, licet eclipſis locutionis per commodam particulam ſit perficienda. Sicut, vel quas juraſti in veritate, per tuam veritatem & fidem, quæ fallere non poteſt.

51. *Quod continui*, *&c.* Noſtris, quaſi legerint נשאתי, facili vocis tranſitu, in præterito, eſt hyſterologia. Et *multarum gentium* conſtruunt cum relativo Quod, ad eclipſim perficiendam addito. Quod quidem opprobrium multarum gentium (active, ideſt a multis gentibus illatum) continui, ſuſcepi, & portavi in ſinu meo. Hebræis eſt infinitivus, altero idiotiſmo eundem fere ſenſum habente. Recordare, inquit, opprobrii ſervorum tuorum, recordare, ferre me, quod fero; vel portare me in ſinu meo omnes multos populos. Portare in ſinu, eſt præ oculis ſemper habere. Dicit omnes, & addit multos, ne putares eſſe paucos, licet omnes credêres. Sunt omnes gentes, & eædem innumeræ, quæ convicìantes, mihi ſemper aſtant, & quaſi geram eas in ſinu, earum opprobria, & convicia cogor audire continue.

52. *Quod*. Dictio hebræa eſt omnis generis, & numeri. Noſtri ad opprobrium referunt. Quod opprobrium exprobraverunt, nempe commutationem, &c. Nullius momenti varietas. *Commutationem*. Arbitror, Noſtros ſenſum, non verbum ipſum transfluliſſe, quod alioquin duram facere locutionem, & latinis auribus inſolitam videretur. Dictio hebræa calcaneum ſignificat, ſed uſurpatur etiam pro veſtigio, & pro mercede, quæ finis eſt operis, ſicut corporis calcaneus. Conſule Theſaurum. Fidelium Chriſtus merces eſt. Hanc mercedem Noſtri commutationem ornate vocant: mercede ſiquidem opus commutatur. Exprobrant, ajunt, mercedem Chriſti tui, uti fruſtratoriam, & numquam apparentem. Genebrardus ſimplicem vocis latinæ intelligentiam affert. Te mutaſſe, inquit, ſententiam de promiſſo Chriſto exprobrant, quod non adveniat. Hebræi in propria vocis ſignificatione, calces, & veſtigia interpretantur, ideſt, tarditates, dilationes, extrema; ſicuti calcaneus corporis eſt extrema pars. Vocant eum tardigradum, crura fracta, calces læſas habentem; & ſic nos quaſi fruſtra Chriſtum liberatorem exſpectantes, cujus veſtigia & pedes numquam

quam

Digitized by Google

quam viſuri ſimus, paſſim irrident. Idem ſenſus ubique.

53. *In æternum*. Sic Hebræus dativo, ſuo loquendi modo: Æterno. *Fiat, fiat*. Sic transferunt Noſtri. Hebræus. Amen, & amen. Ideſt, ſtabile, ratum, & firmum ſit. In ſe reverſus patienter, & cum gratiarum actione omnia de manu Domini ſe excipere declarat.

Explicit Liber tertius Pſalmorum, & incipit quartus, juxta Hebræorum diviſionem.

PSALMUS XC. Latinis LXXXIX.

תפלה למשה איש האלהים אדני מעון אתה היית לנו בדר ודר :	1. *Oratio Moſis viri Dei. Domine habitaculum tu fuiſti nobis ab ætate & ætate.*	1. Oratio Moyſi hominis Dei. Domine refugium factus es nobis a generatione in generationem.
בטרם הרים ילדו ותהולל ארץ ותבל ומעולם ועד עולם אתה אל :	2. *Priuſquam montes geniti ſunt, & parta fuit terra & orbis, & a ſeculo uſque ad ſeculum tu Deus.*	2. Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a ſeculo, & uſque in ſeculum tu *es* Deus.
תשב אנוש עד דכא ותאמר שובו בני אדם :	3. *Reduces hominem uſque ad contuſionem, & dixiſti, redite filii hominum.*	3. *Ne* avertas hominem in humilitatem; & dixiſti: Convertimini filii hominum.
כי אלף שנים בעיניך כיום אתמול כי יעבר ואשמורה בלילה :	4. *Quoniam mille anni in oculis tuis, tamquam dies heſterna cum præterierit, & cuſtodia in nocte.*	4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte.
זרמתם שנה יהיו בבקר כחציר יחלף :	5. *Abripuiſti eos, ſomnus erunt, in mane ſicut gramen mutabitur.*	5. Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt: mane ſicut herba tranſeat.
בבקר יציץ וחלף לערב ימולל ויבש :	6. *In mane florebit, & mutabitur, veſperi ſuccidetur, & areſcet.*	6. Mane floreat, & tranſeat, veſpere decidat, *induret*, & areſcat.
כי כלינו באפך ובחמתך נבהלנו :	7. *Quia defecimus in naſo tuo, & in furore tuo turbati ſumus.*	7. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus.
שת עונתינו לנגדך עלמנו למאור פניך :	8. *Poſuiſti iniquitates noſtras coram te, occultum noſtrum lumini facierum tuarum.*	8. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui.
כי כל ימינו פנו בעברתך כלינו שנינו כמו הגה :	9. *Quoniam omnes dies noſtri alio iverunt in furore tuo, conſumpſimus annos noſtros ſicut ſermonem.*	9. Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus, anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.

10. Dies

ימי שנותינו בהם שבעים שנה ואם בגבורות שמונים שנה ורהבם עמל ואון כי גז חיש ונעפה :	10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta annis, ſi autem in potentatibus octoginta anni, & robur eorum labor & iniquitas, quoniam exciſio eſt cita, & avolabimus.*	10. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Quoniam ſupervenit manſuetudo, & corripiemur.
מי יודע עז אפך וכיראתך עברתך :	11. *Quis novit robur naſi tui? & ſecundum timorem tuum furor tuus.*	11. Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam.
למנות ימינו כן הודע ונביא לבב חכמה :	12. *Ad numerandum dies noſtros ſic ſcire fac, & afferemus cor ſapientiæ.*	12. Dinumerare, dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia.
שובה יהוה עד מתי והנחם על עבדיך :	13. *Redi DOMINE uſquequo, & te pœniteat ſuper ſervos tuos.*	13. Convertere DOMINE uſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.
שבענו בבקר׳ חסדך ונרננה ונשמחה בכל ימינו :	14. *Satia nos in mane pietate tua, & ovabimus, & lætabimur in omnibus diebus noſtris.*	14. Repleti ſumus mane miſericordia tua, & exſultavimus, & delectati ſumus omnibus diebus noſtris.
שמחנו כימות עניתנו שנות ראינו רעה :	15. *Lætifica nos ſicut diebus,* quibus *affixiſti nos, annis* quibus *vidimus mala.*	15. Lætati ſumus pro diebus, *quibus* nos humiliaſti, annis *quibus* vidimus mala.
יראה אל עבדיך פעלך והדרך על בניהם :	16. *Appareat ad ſervos tuos opus tuum, & decor tuus ſuper filiis eorum.*	16. Reſpice in ſervos tuos, & *in* opera tua, & dirige filios eorum.
ויהי נעם יהוה אלהינו עלינו ומעשה יהוה בוננה עלינו ומעשה ידינו בוננהו :	17. *Et ſit voluptas DOMINI Dei noſtri ſuper nos, & opus manuum noſtrarum apta, & opus manuum noſtrarum apta* illud.	17. Et ſit ſplendor DOMINI Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige.

ANNOTATIONES.

INanem & fugacem hominum vitam elegantiſſima, & Poetarum floſculis ornata deſcribens oratione, Deum orat, ût fidelibus tandem reconciliatus, Meſſiam temporibus ſuis mittat, qui eorum opera dirigat, atque perficiat. Mirum eſt, quam varius ſit Vulgatus ab Hebræo tam in ſententiarum diſtinctionibus, quam in verborum tranſlatione, cujus varietatis cauſſas nos, Deo favente, demonſtrabimus.

1. *Moyſi.* Vel Moſis, nam utroque modo transferri poteſt Lamed articulus, ut in Grammaticis rebus dictum eſt. *Refugium.* Translatio ſenſus. Hebræus: Habitaculum; locum, in quem refugimus, tamquam ad præſidium & arcem. *Factus es.* Idem fere Hebræus: Tu fuiſti. Tu habitaculum, refugium, præſidium nobis ſemper fuiſti. *A generatione, &c.* Sic transferunt Noſtri vocem hanc hebræam, ut ſæpius vidimus. Hebræus: Ætate & ætate; per ſingulas ætates retroactas; per totum generationum progreſſum; perpetuis & continuis ſeculis.

2. *Fierent.* Non longe aliter Hebræus præterito. Poetice. Geniti ſunt, nati. *Aut.* Hebræis eſt conjunctio Et,

quæ

quæ tamen commode per Aut transferri poteſt. *Formaretur*. Hebræus iterum præterito, & poetice. Eſt autem hebræa vox amphibola, nam ex pihel derivari poteſt ſecunda maſculina: Parturiſti terram & orbem o Deus; vel ex pohal cum Noſtris tertia fœminina: Parta fuit. *A ſeculo*. Hebræus addit conjunctionem Et, emphatice, quam Noſtri ad Uſque tranſportarunt. *In*. Hebræus: Ad ſeculum. Omnibus ſeculorum curriculis, ſemper tam a parte ante, quam a parte retro, ut ita docendi gratia dicam. *Es*. Non habetur in Hebræo, licet ſubintelligatur. Noſtris eſt hyſterologia. Tu Deus es; o Deus tu exſtas ab omni ævo. Suſpicor vero Noſtros ſententiam ſic terminaſſe וּמֵעוֹלָם עַד עוֹלָם אַתָּה, Et a ſeculo uſque ad ſeculum tu. Supple, Deus es. Rejicientes videlicet in ſubſequentem verſiculum particulam אל. Vel certe dictionem eam, quæ ſine punctis varie legi poteſt, bis poſitam in ſuo habuerunt exemplari, quam hic cum Tzere legerunt אֵל, hoc eſt, Deus, & in ſequenti verſiculo cum pathah אַל, ideſt, Ne. Sed prior ſententia mihi magis arridet, nam & Græcus habet σὺ εἶ. Eſt inſuper altera ſententia, quam mox afferam.

3. *Ne avertas*. Noſtri, ſicut diximus, videntur legiſſe אַל תָּשֵׁב, ne avertas (pro ſimplici poſitum), ne vertas, ne reducas. Vel certe lectionem hebraicam admirative, & interrogative protulerunt, quam ſane huic negativæ æquipollere, nullus dubitare debet. Hebræa lectio talis eſſet. Reduces hominem uſque ad contuſionem? Et dixiſti, (qui tamen dixiſti, cum dixeris), Convertimini filii hominum? Quaſi dicat, Cum jubeas, homines in ſe converſos, tandem reſipiſcere, cur eos ad has miſerias redigis, quibus dum obruuntur, mentem ad reſipiſcentiam eos adjecturos, non eſt probabile? Verum alius eſt etiam ſenſus in hebraicis verbis, a paucis, ne dicam nullis, adhuc cognitus. Aliorum expoſitiones prætereo, quas, ſi libet, conſule. Mihi loci hujus duplex eſt intelligentia, ut paullatim in ſequentibus dicendum eſt. Verbum hebræum eſt futurum ſimpliciter enunciatum: Reduces, redire facies. *In humilitatem*. Hebræus ſuo idiotiſmo: Uſque ad contuſionem, contritionem. Hanc contuſionem Noſtri vocant humilitatem, tenuitatem, calamitatem, abjectionem, & miſeriam. Hebræis contuſio non miſeriarum tantum & calamitatum, ſed malæ valetudinis, & præſertim mortis tempore ſenſum habet, quamvis potius nomen Toar ſit, ut in Theſauro docuimus, contuſum & attritum miſeriis, calamitatibus, & ægritudinibus ſignificans. Verſiculus de gratia præveniente (quam vocant Scholaſtici) homines ad reſipiſcentiam excitante loquitur. Senſus igitur verborum eſt, quod Deus reducit hominem uſque ad contuſionem, vel quoad attritus & contuſus ſit miſeriis & infirmitatibus, quibus eum ad reſipiſcentiam revocat, interim illum inſpirando continue, ut convertatur a viis ſuis peſſimis, quoniam anni vitæ illius fluxiſſimi tandem finientur, etiam ſi mille annis ponamus eum poſſe vivere. Vel certe, reducit, redire facit eum ſemper, ut pœniteat, numquam deſiſtit monere, ut reſipiſcat, uſque ad contuſionem etiam, vel uſque ad attritum. Ideſt, in mediis ipſis etiam calamitatibus & miſeriis, adverſiſque valetudinibus, hominibus miſeris gratiam ſuam offert libere, dicens, convertimini, &c. Poteſt igitur in verbis hebraicis duplex idiotiſmus eſſe. Reducere hominem, eſt ad ſaniorem mentem revocare, in ipſis etiam miſeriis & calamitatibus. Reducere vero hominem uſque ad contuſionem, eſt eum ad omnes miſerias adigere, ut contuſum & attritum appellare illum liceat. Sed hæc alibi ſubtilius diſputabimus. *Convertimini*. Non aliter Hebræus: Redite, a malis operibus videlicet diſcedentes, ad me properate. Prophetarum, & Apoſtolorum voces & oracula, divinaſque inſpirationes innuit. Qui reverſionem hominum in pulverem, & in rerum naturam exponunt, longius a puri-

rita-

ritate linguæ mihi videntur recedere.

4. *Ante oculos tuos*. Idem Hebræus ſuo loquendi modo: In oculis tuis. Tua ſcilicet æſtimatione & judicio. Græcus autem Κύριε addit. Ratio ſuperiorum. Noſtris quidem ad hunc modum. Ne afficias homines humilitate & miſeriis, quoniam ſat per ſe humiles & abiecti ſunt, nam humana vita eſt particula temporis, tempus breviſſima pars æternitatis, ut etiam mille anni ante oculos tuos non pluris ſint, quam dies heſterna, quæ iam præteriit, & cuſtodia in nocte, ideſt, vigiliæ, excubiæ nocturnæ, quæ & ſi vigilibus longæ videantur, fluunt tamen celeriter humanæ felicitatis teſtimonium ſane perſpicuum, dum & vita fugaciſſima eſt, & quidquid eſt, miſeriarum eſt plenum, ut in ſequentibus narrabitur. Hebræis itidem non alio fere modo locus intelligitur. Reducis homines, inquit, ad contuſionem, ad reſcipiſcentiam eos flagellis revocas, ut convertantur, mones eos continue, quòd & ſi detur eis, ut mille annos tranſigant (longe pauciores ſiquidem annos mortales vivere, mox dicetur), ſint hi velut una elapſa dies, aut una ex tribus noctis partibus, nubis inſtar; fugaces videlicet, & reſolubiles, fugientes velut umbra, maximum pietatis divinæ indicium, quod flagellis verberet homines, eos ad æternitatem excitans. Recte diem præteritam, non præſentem, aut futuram dicit, ut oſtendatur, nullam eſſe rationem etiam mille annorum ad æternitatem. *Quæ præteriit*. Hebræus futuro: Cum præterierit, millenarius videlicet, ut referatur ad mille, non ad diem heſternam, ne verba putes eſſe ſuperflua. *Et cuſtodia*. Et ſicut vigiliæ, quæ fiunt in nocte, plenæ ſollicitudinis, timoris, & aliarum tam corporis, quam animi perturbationum. Noſtri, quatuor cuſtodias nocturnas in caſtris eſſe, & tres horas cuique deputari, docent. Hebræis autem tres vigiliæ ſunt, quatuor horas habentes ſingulæ.

5. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*. Suſpicor, Noſtros aliter legiſſe, quam nunc Hebræus; &, ſi conjectare licet, arbitror, eos litteris quibuſdam tantum tranſpoſitis legiſſe, זִרְמָה שְׁנָתָם יִהְיוּ, vel זֶרֶם, ideſt, inundatio eorum anni erunt. Similem tranſpoſitionem litterarum ſuperius etiam vidimus (Pſalm. 71. verſ. 3). Ibi vide. Hanc inundationem Græcus ἐξουδενώματα tranſtulit; quaſi diceres, nihilitudines, nihilationes, extenuationes in nihilum, quod inundationes ſubſtantias omnes devaſtent, & ad nihilum prope redigant. Vulgato vero nihil commodius occurrebat, quam ut vocem reſolveret in plura verba. Ideſt, eorum anni erunt ea, quæ pro nihilo habentur. Eſt enim hyſterologia. Genebrardus ſenſum hunc ineſſe putat, ut comparetur fugacitas vitæ cum fluxu rapido fluminum, & ſomniis. Hebræus ſiquidem habet: Inundaſti eos (annos calamitatibus affeciſti, inſtar fluminis rapidi abripuiſti), ſomnium erunt. Non maximi tamen momenti varietatem eſſe crederem. *Mane*. Hebræus addit præpoſitionem In, de more linguæ. *Herba*. Idem fere Hebræus: Gramen, fœnum. *Tranſeat*. Non longe aliter Hebræus, ſed futuro: Mutabitur. Fœnum ante ſolis adventum reciſum florens, ſub ortum areſcit facile, & ex herba florenti ſole vehementius percuſſa, cito fœnum fit aridum.

6. *Mane*. Hebræus iterum addit præpoſitionem In. *Tranſeat*. Hebræus ut paulo ſuperius, ad emphaſim locutionis augendam, & futuro: Mutabitur. *Floreat*. Idem Hebræus, ſed futuro: Florebit. *Veſpere*. Idem Hebræus dativo: Veſperi. *Decidat*. Tranſlatio ſenſus. Hebræus futuro: Succidetur, reſecabitur. Refectum vero gramen decidit. *Induret*. Abſolute: Indurabitur. Non habetur autem in Hebræo, ſed poſitum eſt a Noſtris ad majorem declarationem ſequentis dictionis; quod enim ſiccatur, dureſcit. *Areſcat*. Hebræus itidem futuro: Areſcet, exſiccabitur. Hæc omnia brevitatem, & miſeriam vitæ humanæ ſignificant.

7. *In ira tua*. Idem Hebræus: In na-

naſo tuo, per naſum tuum, per tuam iram, quæ ex fumanti naſo dignoſcitur. Redditur cauſſa, cur tantopere ſit humana vita interciſa, propter peccata videlicet. *Turbati ſumus*. Idem fere Hebræus: Obſtupuimus, perturbatione mentis, & corporis affecti. Conſule Theſaurum.

8. *In conſpectu tuo*. Idem Hebræus dativo, ſuo loquendi idiotiſmo: Oppoſitioni tuæ; loco e regione tui poſito; coram te. *Seculum noſtrum*. Noſtri procul dubio punctis vocalibus immutatis facili tranſitu legerunt עֹלָמֵנוּ, quod nunc Hebræis eſt עֲלֻמֵנוּ, occultum noſtrum; ideſt, peccata, vitia noſtra occulta, quæ vel alios latere cupimus, vel quæ per inſcitiam, & animo incauto, & præſertim in adoleſcentia, commiſimus. Conſule Theſaurum ſuper hujus dictionis radice. Genebrardo eſt metonymia: Seculum noſtrum; ideſt, vitia noſtri ſeculi, & vitæ; quod non placet. *In illuminatione*. Hebræus itidem dativo: Lumini, ad lumen. *Vultus tui*. Sic Hebræus pluraliter: Facierum tuarum. Ponere iniquitates coram ſe, & occulta (per zeugma) ad lumen vultus, ſunt bini idiotiſmi elegantes, pro Exacte peccata cognoſcere, & ſemper ante oculos claros & limpidos habere, ne te effugiant, ſed puniantur. Ante oculos tuos, ait, quos nihil latere poteſt, ideo vitia noſtra poſuiſti, ut intuereris jugiter; in noſtris erroribus oculatus, eorum recordaris, eaque punis.

9. *Defecerunt*. Non longe aliter Hebræus: Abierunt, alio reſpicientes iverunt. *Et*. Non habetur in Hebræo; propter quod Noſtri alias fecerunt diſtinctiones ſententiarum, ut vides. *In ira tua*. Sic Hebræus: In furore tuo; propter furorem, & indignationem tuam. *Defecimus*. Noſtri punctis vocalibus immutatis legerunt in Cal כָּלִינוּ, ſententiam hic terminantes; quod nunc Hebræis eſt Pihel כִּלִּינוּ, conſumpſimus, exegimus annos noſtros. *Anni noſtri*, *&c.* Suſpicor, Noſtros aliud exemplar habuiſſe, nec, quid legerint pro eo præſertim, quod ipſi araneam reddiderunt, ſatis conjectare valeo. Neque enim Hebræorum lectio nunc ſatis eſt perſpicua. Conſumpſimus (ait) annos noſtros ſicut ſermonem; meditationem; dicto citius. Noſtris Meditabuntur paſſive ſumitur; ideſt, æſtimabuntur; pro araneæ tela reputantur. Verbum הָגָה, a quo præſens vocula derivatur, loqui ſignificat, licet a Noſtris verbo Meditandi transferatur. Conſule Theſaurum. Neque Steucho aſſentior, qui putat LXXII. dixiſſe tantum, *Anni noſtri ſicut aranea*; ab alio autem additum fuiſſe, Meditabuntur, quaſi ab eadem voce hebræa הגה, & aranea, & verbum meditandi, deduci poſſint. Ego potius crederem, eos particulam כְּמוֹ aliter legiſſe, quam nunc ſe habet, ut puta כְּעָשׁ, ſicut tinea, vel quid ſimile, & הָגָה verbum eſſe futuri temporis, credidiſſe, nempe יֶהְגֶּה; ut tota ſententia talis eſſet. Annos Noſtros ſicut tineam meditabitur (quilibet). At illi ex activo paſſivum reddentes verbum, etiam e Tinea fecerunt Araneam, ut ſimilitudo eſſet congruentior. Quod autem ad ſenſum attinet, nullam fere habet varietatem; nam æque pulcra collatio vitæ humanæ eſt cum tela araneæ, & cum locutione. Ex ore utrumque vaniſſimum & facile. Araneus ore telam vomit, homo verbum.

10. *Anni*. Noſtris eſt Hebraiſmus, ut Genebrardo placet, quo antecedens demonſtrativo præponitur in diverſo caſu, pro, In ipſis diebus annorum noſtrorum (ſunt) ſeptuaginta anni. Hebræis autem alter idiotiſmus eſt. Dies annorum noſtrorum ſunt in ipſis ſeptuaginta annis. Hoc termino ponuntur dies noſtri, ætatis noſtræ ſpatium hic terminatur. *In potentatibus*. In fortitudinibus; ſi prævaleant. Hebraiſmus, quo datur diebus, quod corporis eſt, pro In potenti, & firma corporis conſtitutione, ob fortem craſin & bonam valetudinem ſunt octoginta anni, ad hanc metam pervenitur, quod vitæ ſpatium, quam mi-

ni-

nimum ſit, quis non videt, cum mille anni coram te ſint ut dies heſterna? Latine diceres: Vel ad ſummum 80. *Et amplius eorum*. Noſtri procul dubio detracto He legerunt facili vocis tranſitu וְרֻבָּם, Et multitudo eorum: cui lectioni concordat Chaldæus Interpres, qui habet וְסוּגְעִיהוֹן, & multiplicatio eorum; ideſt, quidquid vitæ ultra hos annos protenditur, vel certe, quanto plures annos intra metas haſce quis vixerit. Neque enim omnibus datur, ut ad 70, vel 80. annum perveniant. Hebræus nunc habet וְרָהְבָּם, & robur eorum. Robuſtiſſima pars, & præcipua eorum annorum, ut puta a viceſimo uſque ad quinquageſimum. Vel robur annorum eſt cum Noſtris multiplicatio vitæ, de qua ſuperius etiam dixerat, In potentatibus; ideſt, hæc propter validam craſin vitæ prorogatio. *Labor & dolor*. Laborioſum, & doloris plenum tempus, ſive juventutem, ſive ſenectutem ſpectes. Hebræus: Labor & iniquitas; ideſt, anxietas acquirendi per fas & nefas, & hujuſmodi aliæ paſſiones iniquæ. Voces has Noſtri ſemper laborem & dolorem, ſic intelligendas transferunt. Conſule Theſaurum. Senectus vafra, callida, & perverſa ſæpius eſt. De adoleſcentia non eſt, quod dicam. Satis per ſe res manifeſta eſt. Verba hebræa adoleſcentiæ, latina (niſi ad intelligentiam hebræarum vocum ea revoces) ſenectuti melius aptantur. Neutrum ſenſum reſpuo. *Supervenit*. Non longe aliter Hebræus, licet nomine: Avulſio, tonſio; quod tondetur, avellitur, decidit. *Manſuetudo*. Quid in ſuo exemplari habuerint Noſtri manſuetudinem transferentes, non valeo ſatis conjectare. Eorum ſenſus talis eſt. Anni Noſtri ſunt 70, & ad ſummum 80, quod ſpatium non ſolemus tranſgredi, quoniam ſupervenit (avulſa decidit) ſuper nos manſuetudo tua Domine, tua ſuavis providentia, quæ ad correctionem vitam decurtat, malis & ærumnis ſubjectam eſſe nolens; nos hinc corripit, quia hoc non eſſet vivere, ſed quotidie perire. Hebræus alluſione poetica, & idiotiſmo ſatis pulcherrimo habet: Quoniam avulſio (eſt) cita, velox; ſtatim avellimur, reſecamur ab hac vita. Sic Parcas filum vitæ noſtræ ducere, & ſecare, Poetæ noſtri decantant. *Et corripiemur*. Si Vulgatum haberemus tantummodo, crederem eum dixiſſe Corripiemur, pro Celeriter ex hac vita rapiemur, ut eſt proprius verbi ſenſus. Virgil. *Hic arcumque manu celereſque ſagittas corripuit*. Sic enim Hebræo fere concordat, qui poeticam orationem proſequens habet, Et avolabimus. Verum LXXII. in quo ſenſu accipi debeat, declararunt, transferentes παιδευθησόμεθα, ideſt, caſtigabimur; ut arbitrer, eos ſenſum, non verbum tranſtuliſſe. Quid enim tandem, amabo te, aliud eſt avolare, quam per mortem corripi? caſtigari? Idem igitur fere ſenſus eſt, Tonſionem eſſe velocem, & nos evolare; ideſt, celeriter reſecari, & ad aliam avolare vitam; & Manſuetudinem divinam ſupervenire, quæ nos hinc corripiat, ut antequam hac pœna caſtigemur, poſſimus erudiri, & tempus vitæ noſtræ, alioquin labore & dolore plenum, ad frugem revocare meliorem.

11. *Poteſtatem*. Vim, & magnitudinem. Non aliter fere Hebræus: Robur, fortitudinem. *Iræ tuæ*. Sic Hebræus: Naſi tui, ex quo furor & ira dignoſcitur. *Et præ timore tuo*. Suſpicor Noſtros facili tranſitu Beth in Caph legiſſe וּבְיִרְאָתְךָ, Et in timore tuo, ob timorem tuum; quod nunc Hebræis eſt וּכְיִרְאָתְךָ, Et ſecundum timorem tuum; quantus ſit timor tui; ut formidabilis & verendus. *Iram tuam*. Furorem, indignationem tuam. Quis, ait, cognoſcit, quanta ſit in peccantes iræ tuæ vis & magnitudo, & quantus ſit timor tui, tantumdem eſſe furorem, & indignationem tuam? Potens quidem eſt ira tua, ſed eam ad menſuram timoris tui frequentius ſoles exſerere, ita ut cruces majores, ſanctioribus, qui te magis timent, colunt, & venerantur, pro-

propoſitæ ſint. Hic terminat Hebræus ſententiam. Noſtri verbum aliud conjunxerunt, dicentes: Quis novit iræ tuæ magnitudinem? vel ob timorem tui, ut te vereatur, dinumerare, metiri, comprehendere, & habere in numerato indignationem tuam? Hebræorum ſenſus patet. Sunt enim hæc ſe ſtatim ſubſequentia, præter id, quod ordinatione divina certi, & breviſſimi limites ad vivendum hominibus ob primorum parentum inobedientiam propoſiti ſunt; videlicet peccatum, Dei indignatio (quam in fideles majorem effundit), & caſtigatio, non ærumnis & miſeriis ſolum, ſed morte.

12. *Dinumerare*. Idem Hebræus: Ad numerandum. Sed Noſtri ſuperioribus, ut vidimus, Hebræi ſequentibus conjungunt. *Dexteram tuam*. Noſtri punctis immutatis, & ex Vav facto Caph legerunt יְמִינְךָ. Quibus etiam ſequens particula *Sic* eſt illativa. Ergo, inquiunt, in hac miſera noſtra conditione dexteram tuam, potentiam, miſericordiam, & opem (metonymice) notam fac. Hebræus nunc legit יָמֵינוּ. Dies noſtros (ait) fac ſciamus dinumerare ſic, ad hunc modum. Hebraiſmus ſatis ornatus. Ideſt, fac, ut cogitemus ſemper vitæ brevitatem, quæ brevior etiam propter peccata ſæpius redditur, & maxime propter ea, quæ corpori nocumentum afferre cognoſcimus, ut puta cum Veneri, & Baccho plus æquo indulgetur; hinc enim fit, ut plures occidantur crapula, quam gladio, & nimia Venus enervet, debilitetque vires. Genebrardus, & cæteri, qui locum hunc exponunt, Oſtende nobis tuam dexteram (cum Noſtris), vel dierum noſtrorum finem; longius a puritate & ſimplicitate linguæ mihi videntur recedere. Quin imo non efflagito, inquit, ut finem vitæ noſtræ mihi demonſtres, quum ſciam ultra 70, vel ad ſummum 80 annum, humanæ vitæ ſpatium non poſſe protrahi; ſed velim ut dinumerationem annorum noſtrorum hujuſmodi fidelibus tuis notam facias, nempe ut in hunc modum ſic apud ſemetipſos continue recogitent. Septuaginta annos, vel etiam aliquando 80. poſſe vivere datur hominibus, infra quos limites, & præcipue juventutis tempore, labores & dolores perpetui; & longe pauciores ſunt, qui ad hanc annorum metam perveniant; nam frequenter peccatur, propter quod irato Deo ante hunc terminum complurimi puniuntur morte (ut interim infinitas alias moriendi cauſſas in omnibus ætatum curriculis taceam). In homines ſævius agit ira divina, ut eos revocet a peccatis. Quid ergo? vivendum ita nobis eſt profecto veluti ſtatim morituris, & rationem de omnibus reddituris. Siquidem ex jugi meditatione mortis peccata vitantur. Hoc enim eſt, quod ab alio dicitur ſapiente: Recordare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. *Et eruditos corde in ſapientia*. Noſtri procul dubio paucis immutatis legerunt וְנָבִיא לֵב בְּחָכְמָה, Et Prophetam (quos eruditos ipſi vocant, pluralem numerum ex ſingulari de more linguæ transferentes, niſi malles eos legiſſe וּנְבִיאֵי) corde in ſapientia. Fac, inquiunt, veros prophetas, & doctores cognoſcamus (per zeugma ſcilicet), ne pſeudoprophetæ & inſipientes nos paſſim decipiant. Hebræus nunc habet וְנָבִא לְבַב חָכְמָה, Et adducemus, afferemus cor ſapientiæ. Idiotiſmus. Afferre cor ſapientiæ, eſt cor ſapiens reddere, quod prius ſtultum & fatuum peccando fuerat. Ex ſtultitia originem habent, & prodeunt omnia peccata. Nullus ſane peccat, niſi prius inſipiens & ſtultus efficiatur, quod verum experieris eſſe, ſi rem paullo attentius conſideraveris. Ergo (tandem inquies poſt longam brevitatis, fragilitatis, laborum & dolorum vitæ humanæ, nec non iræ divinæ conſiderationem) peccandum non eſt, ſed tandem reſipiſcendum, qui ſtultus prope, & inſipiens hactenus permanſi. נָבִא eſt vox æquivoca, ut in Theſauro.

13. *Convertere*. Idem prope Hebræus: Redi ab hac ira ad ſolitam miſe-

ſe-

Digitized by Google

ſericordiam. Humano more loquitur. *Uſquequo?* Α'ποτωτηπς. Supple, iratus eris, vexabis, affliges nos, vel quid ſimile. *Deprecabilis eſto*. Placabilis, exorabilis, propitius. Non longe aliter Hebræus: Et te pœniteat, vel Conſolare; nam utrumque verbum hoc ſignificat. Conſule Theſaurum. Qui flagellant, animo ſunt in eos, quos torquent, acerbo, amaro. Placatis remittitur amaritudo, dulceſcit animus, & conſolatur, fitque placabilis. Dum pœnitet, itidem dulceſcit, molleſcit, conſolatur, fit placidus. *Servos*. Cultores tuos.

14. *Repleti ſumus*. Noſtri punctis immutatis legerunt שָׂבַעְנוּ ex cal præteritum: Satiati, repleti ſumus; quod nunc Hebræis eſt imperativus ex pihel cum affixo שַׂבְּעֵנוּ, Satia, reple nos. *Mane*. Hebræus addit præpoſitionem, de more linguæ: In mane, mature, cito; vel certe, nativitatis tempore, quod matutinum recte dicitur. *Miſericordia*. Ut transferunt Noſtri. Hebræus: Pietate. Satiare pietate, eſt Ingentia beneficia conferre. Replere vero aliquem pietate mane, eſt ab ortu dotibus corporis & animi ſic ornare, ut ad optimam ſenectutem feliciter pervenire poſſit. Græcus addit Κύριε. *Exſultavimus*. Idem prope Hebræus, ſed futuro: Ovabimus. *Delectati ſumus*. Sic Hebræus fere: Lætabimur, gaudebimus in omni vita, quod miſerias humanas te largiente poterimus evitare.

15. *Lætati ſumus*. Etiam hic Noſtri punctis immutatis legerunt שָׂמַחְנוּ in præterito Cal; quod nunc Hebræis eſt imperativus ex pihel cum affixo שַׂמְּחֵנוּ, lætifica nos. Diverſis verbis eadem poſtulat, ſed in ſuperiori verſiculo pro ſingularibus erat deprecatio, nunc pro univerſo fidelium cœtu. *Pro diebus*. Pro numero dierum, vice dierum, quibus mala pertulimus. Hebræus non longe aliter: Sicut diebus, quibus affligere nos incepiſti, ante quos tua præſentia, oraculis, donis, & gratiis innumeris nos lætificabas, & beneficiis continuis nos proſequens, dabas, ut lætam & felicem vitam degeremus. Hebræi locum hunc aliter exponentes, puritatem, & ſimplicitatem linguæ ſane corrumpunt. Optat ad antiquam redire felicitatem. *Quibus*. Ex vi verborum, & ex conſequentia ſententiæ ſubintelligitur, ut ſæpius fit in hac lingua. *Humiliaſti*. Sic interpretantur Noſtri ſæpius verbum hoc: Afflixiſti, vexaſti. *Annis*. Pro, vel ut annis, ad inſtar annorum (repetita præpoſitione per zeugma), quibus vidimus mala; tunc ſiquidem lætantes eramus, felices, & prope beati.

16. *Reſpice, &c.* Noſtri paucis nonnullis immutatis, & tranſpoſitis, facili tranſitu videntur legiſſe וּרְאֵה אֶל עֲבָדֶיךָ עַל פָּעֳלֶךָ וְהַדְרֵךְ בְּנֵיהֶם, & vide (Græcus quidem addit καὶ ἴδε) ad ſervos tuos, ſuper opus tuum, & incedere fac eorum filios; quod nunc Hebræis eſt יֵרָאֶה אֶל עֲבָדֶיךָ פָעֳלֶךָ וַהֲדָרְךָ עַל בְּנֵיהֶם, Videatur, appareat ad ſervos (cultores) tuos opus tuum (redemptionis, & liberationis, Meſſias videlicet) & decus tuum (tua gloria, majeſtas, Chriſtus) ſuper filiis eorum. Noſtrorum ſenſus eodem prope recidit. Varietatis dictionum cauſſa ſatis nota eſt. Conſule Theſaurum in ſingulis.

17. *Splendor*. Favor, gratia. Non longe aliter Hebræus: Jucunditas, voluptas, dulcedo, gratiarum omnium affluentia. *Opera*. Idem Hebræus ſingulariter: Opus. *Dirige*. Ut firmum, & ſtabile, perfectumque ſit. Non longe aliter Hebræus: Apta, firma, ſtabili quicquid gerimus, omnem vitæ actionem juva, & fortuna, ut recta ſit. Ad ſecundum dirige. Hebræus addit relativum *Illud*, de more linguæ, quod latine vacat.

Explicit Gradus Nonus.

Digitized by Google